BASSIANI CARMINATI

HYGIEN. THERAP. GENER. MATER. MED., ET CHIRURGIC. AC PHARMACIAE IN TICIN. GYMNAS. REG. PROF. NOSOCOMII MED. PRIMAR. ET REG. ACADEM. SCIENTIAR. NEAPOLIT. SENENS. MANTUAN., ELECTOR. MAGUNTIN. PATR. MEDIOLAN. EC. SODALIS.

HYGIENE, THERAPEUTICE ET MATERIA MEDICA

VOL. II. PARS I.

PAPIAE MDCCXCII.

Typis Balthassaris Comini.

Praesidibus rei litterariae permittentibus.

Cum haec per multa volumina, perque magnae contentionis disputationes a medicis saepe tractata sint, atque tractentur: subiiciendum est, quae proxima vero videri possint. Ea neque addicta alterutri opinioni sunt, neque ab utraque nimium abhorrentia; media quodammodo inter diversas sententias: quod in pluribus contentionibus deprehendere licet, sine ambitione verum scrutantibus.

A. Corn. Cels. pag. 11.

DIVI . LEOPOLDI . II

AVSPICIO

INCHOATVM . OPVS

DE . SECVNDAE . ET . ADVERSAE . VALETVDINIS

AVXILIIS

ABSOLVTVM

FRANCISCO . II . FILIO

IMP . CAES . REGI

PIO . FELICI . AVGVSTO

SPEI . AMORI . ET . PRAESIDIO

POPVLORVM

BASSIANVS . CARMINATVS . MED . PROF

D . D . D

D . N . M . Q . E

INDEX CAPITUM

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

HYGIENES, THERAPEUTICES, ET MATERIAE MEDICAE

PARS ALTERA

DE AUXILIIS PHARMACEUTICIS, ET CHIRURGICIS, AC PRIMUM DE ALTERANTIBUS.

CAPUT I.

De remediorum inventione.

516. Cum dixerim de iis auxiliis, quae sive ad tuendam, sive ad restituendam valetudinem victus ratio suppeditat, de iis nunc dicam, quae ex Pharmaceutico, et Chirurgico fonte ad suos iamdiu Medicina usus traduxit, quaeque eam rite exercentibus maxime utilia sunt, ac plerumque necessaria. Multa enim corporibus nostris incidunt, quae sine manu, aut sine medicamentis, sive per se, sive victu ad sanitatem pervenire non possunt. Sunt vero adeo evidentes horum auxiliorum salutares effectus, ut illos pudeat refellere, qui eorum utilitate, necessitateque temere denegata, omnem usum veluti alienum, et nocuum reiiciunt quasi

pravum, et simulatum Medicorum artificium, a quo quisque debeat refugere.

517. Cuique proinde recte curaturo prorsus expedit novisse, quae genera sint, quae species, quae proprietates rerum, quarum vi, ubi certa copia, certoque modo, et tempore interius, exteriusve usurpentur, natura, quibus indigebat, praesidiis provide adiuta necessarias aegri saluti mutationes perficiat, omnique functionum laesione sublata motus omnes, et vires pristinae integritati restituat. Nec minus quidem ipsis medicamentis interest scire ob eandem caussam quae ad eiusmodi assequendos effectus, morbosque curandos manu administrentur, quaeque totius corporis commodo fiunt. Quare de medicamentis dicens de istis quoque auxiliis suis locis loquar, illas solummodo mittens rationes, quae etsi ad Chirurgiam proxime referantur, ad eos tamen pertinent, qui singulares eius partes exsequentes speciatim tradunt quomodo Artifex divisa uniat, continua solvat, compressa et contorta emendet, supervacanea, atque aliena evellat, ac deficientia restituat.

518. Porro cum sine medicamentis nullus persaepe sit Medicinae locus, inditumque a natura cuique animanti doloris vitandi, vitaeque tuendae desiderium hominem praesertim, utpote plenum rationis et consilii, atque una morbo, mortique obnoxium compulerit, ut in hac, qua versamur, rerum omnium copia dolorum, morborumque re-

media perquireret, sibique compararet; magna contentione a Philosophis, et Medicis quaesitum fuit quonam modo ipse potuerit corpora, quae medicatis pollent facultatibus, certisque medentur malis, a caeteris apte distinguere, quae eiusmodi carent viribus, sicque perarduam, ac necessariam medicaminum scientiam assequi. Quaesiverunt scilicet quid casus, quid corporum alibilium usus, quid observatio in animalibus Brutis stirpes quasdam, cum aegrotant, vorantibus instituta, quid rerum quarundam inter se convenientia, ac cum aliis similitudo, aut discrimen, quid diversae earum qualitates, quae sensus maxime afficiunt, quidque aliae demum rationes ad remedia cognoscenda contulerint.

519. Verum ipsis iam repertis quam plurimis medicamentis, etsi hocce inquisitionis genus omni vera utilitate destitutum videri queat cuique reputanti curiose potius id quaeri, quam ulla spe fructus proposita; vanum profecto non erit, quin imo utilissimum eo fine susceptum, ut singulae innotescant rationes, quarum subsidio nobis liceat facultates eorum corporum, quae ut sua Medicina nondum adscivit, probabili admodum coniectura prospicere, eorumque veros, potioresque in morbis usus facilius constituere, tum remediorum, quorum vires vel non satis constitutae, vel non omnes evolutae censentur, certius ac tutius determinare, aut penitius, ac plenius assequi. Licet enim

alibi dixerim (§. XXI. et seq.) in eruendis, explicandisque medicatis corporum facultatibus quosdam spem omnem, omnemque fiduciam perperam collocasse in sensilium qualitatum, quae corporibus insunt, perspecta indole, vel in chemica horum resolutione, quae principiorum naturam, vim, mixtionem, et nexum aperiat, vel in characterum, quos natura iisdem impressit, convenientia, atque affinitate, vel in iis phaenomenis, quae corpora ipsa eductis ex homine humoribus permixta edunt, aut animalibus applicita in eisdem excitant; licet, inquam, dixerim, haec subsidia non tanti esse, ut per se sumpta facilem, perspicuam, et tutam nobis remediorum scientiam exhibeant, quae a sola experientia in aegris instituta, recteque suscepta tuto deducitur; contendo tamen haec omnia prudenter, et scite usurpata insigni adiumento esse ad remediorum vires, et proprietates explicandas, eorumque usus rectius instituendos, ipsamque agendi mechanicen aliquo modo percipiendam.

520. Ut autem a sensilibus qualitatibus exordiar sapore, atque odore medicatas corporum facultates declararari, ac quae remedia gustum, atque olfactum pari modo afficiunt, eadem pariter virtute pollere veteres iam Medici, maximeque HIPPOCRATES, GALENUS, atque AETIUS censuerunt. Profecto ea est indoles, ac vis particularum, quae ex odoris, sapidisque rebus emanant, ut sensiles admodum narium, linguae, atque oris, aliarumve

partium, quibus admoventur, nerveas fibrillas proxime afficiant, atque ob miram consensus legem ex hisce ad reliquos quoque nervos suam actionem extendant, unde vel alicuius partis, vel totius etiam corporis conditionem, quae antea obtinebat, aut protinus, aut paullatim immutent. Verum non inde consequitur, quod nonnulli olim docuerunt, ac nuperrime censuit CULLENIUS (a) generatim quae gustum, vel olfactum nulla ratione, aut leviter afficiunt, ea tamquam omni virtute destituta, ac prorsus inutilia non esse in remediis ducenda, nisi forte emolliendi, nutriendi, atque edulcandi caussa adhibenda sint. Sunt quippe non pauca, quae, etsi sensus saporis, odorisque vix percellant, manifestas tamen edunt salutares mutationes, sunt pariter alia, quae valida medicamenta sunt, licet insipida prorsus, atque inodora iudicentur, suntque contra nonnulla, quae dum odore, saporeque praestant, virtute aliis remediis quamplurimum concedunt: quemadmodum alibi demonstravi, atque deinceps cuiusque remedii historiam tradens opportune indicabo.

521. Quamquam vero ista evincant ab odore, et sapore remedia nec perpetuo, nec tuto indicari, plerique tamen censent sapida, et odora quaelibet, relictis aliis, ad certa

(a) Mat. Med. Vol. 1. Cap. II. Art. III.

genera ita posse revocari, ut liceat constituere, quae ad idem, vel alterutra, vel utraque qualitate spectata, pertinent genus easdem quoque facultates possidere. Postquam enim, inquiunt, ex gustu innotuerit corpus aliquod, vel amarum, vel dulce, vel acidum, vel austerum esse, ex eo quod iam sit evictum, amara fibris robur addere, ac bilis potentiam acuere, dulcia relaxare, atque humorum acredinem demulcere, acida refrigerare, et corruptioni resistere, ipsaque austera adstringere, ac liquores cogere, nonne licebit generatim constituere, idem corpus pro varia saporis indole una, aut altera virtute donari? Odorem vero quod respicit, nonne, addunt, tutissimum erit arbitrari aromaticum corpus nervorum sensum excitare, aut contra virosum consopire, ambrosiam spirans cordis musculorumque vim erigere, ac nauseosum nervos et carnes convellere, ventremque subducere, quoniam iam innotuit, quae hisce scatent odoribus ista, pro vario odoris genere praestare?

522. Haec sane non sine aliqua veritate proposita tanti quidem prima fronte videntur, ut quemque ad assentiendum cogant. Verum qui animadvertat sapida, maximeque odora ad certa genera, quae prorsus distincta, et satis constituta sint, revocari non posse, divisiones eiusmodi, quas LINNAEUS, LORRYUS, aliique protulerunt, vagas nimis, implexas, atque hypotheticas, vel nimis generales esse, quae vel sapore, vel odore

uni homini grata et suavia videntur, alteri prorsus diversa videri, pleraque non unum saporis, odorisque sensum, sed ex pluribus compositum explicare, qui etiam gustantibus, atque olfacientibus dissimilis appareat, ac quaedam sub eodem odoris, saporisque genere iam relata virtute adeo differre, ut admodum diversas, ac plane contrarias actiones exerant, tum in quibusdam odoris, saporisque qualitates detrimentum pati quin virtus pereat, ac denique nonnulla eas mutationes applicita corpori inferre, quae a sensilibus proprietatibus argui non potuissent, qui, inquam, ista omnia animadvertat fateatur necesse est, utramque rationem ex odore, saporeque petitam eruendis, explicandisque remediorum facultatibus, quae nondum alia ratione innotuerunt, imparem esse; ac solummodo aliquid conferre ad utrumque assequendum, ubi prudenter cum caeteris aliis latentis medicatae virtutis indiciis adhibeatur.

523. Aequiori autem iure in hanc rem animadvertunt Therapeutices Professores, maximeque CULLENIUS magis vagam, imo ineptam, ac prorsus inutilem esse rationem ad remedia revelanda, aut ad explicandas vires a colore corporum desumptam, ut LINNAEUS, aliique proposuerunt. Qui enim volunt colorem pallidum insipida indicare, luteum amara, rubrum acida, album dulcia, nigrum ingrata, hi remediorum principia, vires, et agendi rationes ignorare plane vi-

dentur, aut magis hypothesium studio duci, quam veritatis.

524. Utinam vero, quemadmodum hactenus proposita ratio ad medicas eruendas corporum vires satis non valet, ad eas facile, et tuto assequendas saltem sufficeret illa, quam non pauci Rei Herbariae, ac Naturalis Professores olim proposuerunt fidenter arbitrati, quae externis notis congruunt, medicatis quoque facultatibus inter se prorsus convenire. Tum enim paucis admodum usu, atque observatione declaratis, compertisque remediis reliqua omnia, utut praestantissima, ex universa rerum natura expeditissime assequeremur. Satis quippe esset, cuiusque corporis habitum, notas, et characteres inspicere, atque ex hisce definire cuius classis, ordinis, et generis sit, ut eius quoque posset virtus intelligi. At dolendum hanc rem alio modo se habere. Demus porro eiusmodi classes, atque ordines ad normam naturae constitutos fuisse, demus eidem maxime consentanea esse singula genera, tum etiam concedamus, quam plurima praesto esse exempla stirpium, aliarumque rerum, quae dum genere, et ordine conveniunt, virtute pariter inter se consentiant; eritne inde concludendum ex hisce, quas vocant, affinitatibus vires remediorum cognosci? Qui observet propositam regulam innumeris pene exceptionibus obnoxiam esse, sub eadem classe quot sunt genera, totidem interdum occurrere virium medicarum discrimina, sub

uno genere species subesse, quarum vires adeo inter se differant, ut ad contrarios edendos effectus aptissimae sint, imo in eadem specie plures praesto esse facultates ita, ut quaelibet pars sibi propriam, a reliquis distinctam, atque interdum oppositam plane virtutem praeseferat, tum denique fere omnes species, saltem quo ad vim, inter se non parum dissentire, qui, inquam, haec omnia observet a GLEDITSCHIO (*a*) speciatim animadversa nobiscum censebit ex propositis affinitatibus vires remediorum aliquomodo posse coniectari, nunquam vero facile, ac tuto perspici nisi experientia accedat.

525. Si itaque adductae rationes ad remediorum facultates aperiendas non valent aptissima eritne Chemica corporum resolutio, quae evolutis principiis, eorumque proprietatibus declaratis vires una patefaciat? Hanc profecto sententiam olim a Chemicis prolatam non paucos etiam Medicorum amplexos fuisse compertissimum est. Prout siquidem ii e quibusdam corporibus Chemiae subsidio educebant modo salem, vel acidum, vel alcalicum, vel neutrum, modo spiritum, modo oleum, tuto deduci posse contendebant illa corpora roborare, spasmos solvere, nimium humorum aestum, et motum compescere, liquores condensare, corruptionem avertere, vel iam natam corrigere, aut acida

---

(*a*) De methodo botanica dubio, et fallaci virtutum in plantis indice.

absorbere, spissa resolvere, ac solidas irritare partes, aut cuncta pervadere, viresque incitare, aliaque pro varia partium natura efficere. A muco quippe, gummi, resina, terra valde copiosa, aliisque principiis resolutione dispectis alias, atque alias vires praemonstrari existimabant. Hinc facile intelligimus quomodo hac opinione Chemicorum plerique ducti tot labores susceperint, ut eorum corporum, quae iam erant inter remedia relata, vel medicata esse suspicabantur, singulas partes detegerent.

526. At nemo iam ignorat quam parum Chemici in eiusmodi opere eo, quem proposui, fine suscepto profecerint. Latet quippe fortasse neminem ob multas sane caussas a gravissimis Auctoribus iamdiu prolatas propositam methodum semper dubiam, plerumque fallacem, ac saepe falsam esse. Porro falsam esse quisque facile videt, qui consideret ab ipsa ratione ad resolvenda corpora adhibita, utut lenissimus admittatur ignis, vel quodvis aliud recipiatur auxilium, ita singulas partes resolvi, ut quae virtus ab ipsa forte eorundem unione pendebat, cohaerendi modo, ac varia admixtione, pereat, aut, quae inerat tenuioribus partibus, prorsus evanescat, ac generatim dubium subesse utrum, quae resoluta manent, producta sint, ut loquuntur, an educta. Fallacem rursus ostendit observatio quorundam corporum, quae partes habent eiusmodi, quae perfectam resolutionem aut non admittunt, aut si

admittant nonnisi valde mutatae; ac novam prorsus naturam consequutae in sensus cadunt. Dubiam vero perpetuo esse censendam, unde ambigas utrum inter resolvendum cunctas, an tantum aliquas particulas eduxeris, ipsa experientia satis superque evicit, cum saepe Medicis monstraverit, nonnulla, ut alibi dixi (§. XX), quae chemicis rationibus explorata indole, et proportione principiorum nihil discrepabant, diversos in humano corpore effectus praestare, ac contra alia natura, proportione, et mixtione partium inter se dissimilia easdem vires exerere, eosdemque morbos sanare. Quae quidem discrimina praesto esse omnes fatentur quamquam eorum ratio non satis innotescat. Ignoramus siquidem num in eo fortasse posita sit, quod remediorum quorundam vis a principio adeo subtili, tenuissimoque proficiscatur, ut hactenus cognitis Chemiae periculis detegi nequiverit, aut quod eorum potentia a partium dispositione, figura, nexu, ac peculiari mixtione originem ducat, aliisve modis, qui inter resolvendum plane mutentur, vel ab aliis denique caussis, quae sensuum aciem effugiant.

527. Perperam tamen ex eo, quod argumenta a chemicis periculis desumpta viribus remediorum detegendis, antequam eas experientia evicerit, imparia sint, nonnulli contemnunt subsidia, quae ad Materiam medicam augendam, atque illustrandam Chemia et olim attulit, et nunc rectius exculta maxi-

me praestat. Etsi enim, quae ad evolvenda stirpium, aliorumque corporum, quae ad medicamenta pertinent, principia olim egerunt Chemicorum plerique, ac speciatim NEUMANNUS, GEOFFROYUS, BOERHAAVIUS, SPIELMANNVS, aliique non multi usus esse queant, quanti contra facienda non sunt illa, quae nuperrime Chemici praestitere, ac maxime egit Ill. THOUVENELIUS animalia cuncta remedia chemicis periculis illustrare aggressus, vel Celeberr. LASONNIUS, et CORNETTUS praestantissima quaedam medicamenta iisdem adiuti rationibus expendentes, vel Ill. FOURCROAEUS praestitit cum duabus corticis Peruviani speciebus, ut egregii eiusmodi medicamenti veram indolem, ac compositionem patefaceret? Tanti sane habendae sunt spectata utilitate, quam afferunt, novae istae investigationes, ut negligi nullo modo debeant ab iis, qui remediorum vires, atque usus expendunt.

528. Quam ob rem concludere licet, sive spectetur copia remediorum, quibus Medicina Chemicorum industria locupletata est, sive plurium, quorum usus erat compertus, indoles patefacta, sive inde evoluta consideretur aliorum medicamentorum vis, atque ipsa agendi ratio, sive pars, cui medicata virtus inhaeret, aut principium, quod caeteris efficacius est, declaratum respiciatur, sive verior usus atque utilior administratio, magisque propria compositio, ac cum aliis remediis coniunctio tuto constituta animadvertatur,

sive alia commoda, quae a chemicis rationibus promanant, reputentur; fatendum omnino est, tantas utilitates Materiae medicae Chemiam attulisse, ac tantas modo etiam afferre, ut sine ea numeris omnibus absoluta esse nequeat remediorum doctrina.

529. Alias vero quod respicit rationes ad exploranda remedia (n. 519.) propositas arbitror utique ad ea pernoscenda non satis per se valere, at nihilominus contendo, et non exiguam iisdem lucem affundere, et coniecturae, quae veritati, postea constituendae, quam proxima sit, locum afferre, et remediorum iam compertas vires ita patefacere, ut eorum usus certius constituantur, atque actio vel tuto, vel probabiliter explicetur. Ad hunc proinde multiplicem assequendum finem summi in Arte Viri nonnulla corpora, quae vel iam erant ad medendum recepta, vel medicis facultatibus donari suspicabantur, humoribus sive ab Homine, sive a caeteris Animantibus eductis admiscuerunt, atque observarunt, quid cum sanguine, eiusdem sero, lympha, saliva, bile, aliisque liquoribus varia ratione coniuncta praestarent. Prout autem ab hisce videbant humorem aliquem in molle, vel firmum coagulum compingi, vel fluidiorem reddi, aut dissolvi, vel sapore, odore, et colore immutari, vel a corruptione tueri, vel contra in eam proniorem effici, aliisve denique rationibus affici, coniecerunt istis rebus inspissandi, cogendi, solvendi, etc. vires inesse.

530. Hanc igitur periclitandi rationem sequuti quidam Medicorum ad remedia illustranda quamplurimum contulerunt; quemadmodum recte observavit MURRAYUS, vir numquam interiturae memoriae, perpendens ea experimenta, quae REDIUS, et TORTIUS cum anthelminticis, LOBBIUS cum lithontripticis, VALLERIUS cum cinnabari, atque ALEXANDER cum nitro, maximeque PRINGLAEUS cum antisepticis instituerunt. Quare dolendum est in hoc periclitationis genere nos adhuc inopia laborare, nec ea semper, qua oportebat, diligentia, atque omni vitata errandi occasione suscepta fuisse. Hanc enim vitare, dum similia fiunt experimenta, quam arduum sit, is facile percipiet, qui animadvertat, vel ipsum PRINGLAEUM virum paucis comparandum ea, quorum memini, pericula instituentem in quosdam errores incidisse, quos postea Ill. GABERI animadversiones, atque observationes perpendens non cognovit modo, sed raro prorsus exemplo more magnorum Virorum ultro fassus est (*a*). Vel ab una enim conditione mutata quot in ipso experimentorum exitu discrimina praesto esse non possunt? Tanta profecto, ut cum vir Ill. VERRATUS ex cantharidum, aliorumque remediorum, quae cuti imponuntur, ut rubefiat, atque in vesicam attollatur, admixtione cum sanguine, eiusque sero ad eorum virtutem te-

(*a*) Macbroyd. Op. vers. fin.

nuantem, ac solventem, ubi tenuiores partes intimiora corporis subierint, fidenter concluderet, contra Ill. FORSTENIUS vim prorsus contrariam demonstrari contenderet. Cuius quidem discriminis caussam cum iteratis periculis detegere tentarem (quatuordecim ab hinc annis iisdem susceptis suadente Ill. BURSERIO, cui totam observationum summam, cuius ipse meminit, postea retuli) facile reperi a diversa experiundi ratione, a dissimili pondere, et proportione rerum sanguini admixtarum, aliisque differentiis originem duxisse.

531. Sed quamvis omnia, quae in errorem possunt adducere, tuto declinentur, atque insuper curetur, ut qui liquores, qui calor, ac quae alia experimentis inserviunt, conditionibus, quae in humano corpore praesto sunt, aut omnino respondeant, aut parum differant; tot accidunt, tamque dissimiles esse possunt mutationes, quas in primis viis, aut in ipso sanguine remedia subeunt, ob quas nonnulla, vel in sanguinem non advehantur, aut exigua admodum copia a vasculis obsorbeantur, vel pristinas exuant vires, aliasve interdum oppositas acquirant, vel omnem efficacitatem amittant, ut CULLENIO prorsus assentiar reputanti, plura, quae ex eiusmodi experimentis extra humanum corpus institutis deducta fuerunt de remediorum viribus, atque effectibus iudicia, falsa esse. Quod profecto ego ipse maxime cognovi, qui simili methodo nondum tentata quaedam genera remediorum

saepe exploravi visurus, utrum hac ratione generalia quaedam de actione eorundem medicamentorum praecepta tuto possem constituere.

532. Caeterum mutationes, quas nonnulla remedia variis humani corporis humoribus admixta inferunt, sive adducta ratione misceantur, sive iisdem a vasis resorpta, atque in circuitum ducta affusa sint, ac consociata, animadvertere toties utilissimum censeo, quoties ipsae revera aperte innotuerint. Qui enim sciverit quosdam liquores, aut quaedam medicamenta bilem viridem perpetuo efficere, alia urinam rubro, sanguineo, aut alio prorsus alieno colore tingere, aut insolito odore, et halitu inficere, aut eius sedimina inspissare, alia quae ex alvo secedunt diversimode immutare, vel, quae prodeunt ex cute, quo ad colorem, et halitum a propria indole longe diversa reddere, ubi istis remediis adhibitis similia viderit aegrotantibus evenire, cavebit profecto, ne, quae phaenomena ex hisce nascuntur, corporis naturae, aut morbi viribus tribuens turpiter hallucinetur.

533. Num vero remediorum vires, vel perspici, vel certius, ac plenius cognosci queant factis in Brutis animalibus periculis a Medicis quaeri solet. Quidam enim ab iis phaenomenis, quae nonnulla corpora, vel nondum revelatae, vel adhuc dubiae virtutis opportuna ratione parata animantibus ingesta, vel in alvum infusa, vel corio imposita edunt, utrumque posse plerumque constitui

fiden-

fidenter affirmant, dum alii, ut iam dixi (§. XXI.), neutrum declarari iudicant. Illi namque ab externis signis, quae hisce periculis exposita animalia edunt, maximeque quadrupedia satis effectus, quos medicaminum vis suscitat, ostendi existimant, etsi quae ipsa patiuntur nequeant loquendo declarare. Quos quidem effectus clarius intelligi putant si quando sanguine ex incisa vena educto, egestionibus quo ad copiam, et indolem exploratis, atque extis secto ventre patefactis, propius scrutentur quae humoribus, visceribus, reliquisque partibus mutationes acciderunt. Addunt praeterea hoc modo veras quorundam remediorum, quae antea latuerant, facultates tuto fuisse perspectas, ac saepe declaratum num aliquod pharmacum aegris hominibus sine discrimine posset propinari. Denique observant hac ratione nobis licere ad intelligendam quorundam remediorum actionem, ipsamque agendi mechanicen ea pericula suscipere, quae in aegris fieri non possunt, quaeque in ipsis etiam nocentibus hominibus, mortique damnatis tentare, ut quidam proposuere, humanitas non sinit.

534. Qui autem contrariam sententiam tuentur ea, quae animalia edunt, indicia ex ululatu, velleris hirsutia, irrequie, difficili spiritu, ventris tumore, vomitu, mictu, ac similibus nec semper se exeri, etsi magna sint, quae ab assumptis remediis intus eveniant, observant, nec, cum apparent, satis

esse arbitrantur, ut proprium, ac verum passionis sensum demonstrent, quemque loquendo homo declarat. Animadvertunt rursus ea phaenomena, quae certa corpora in animalibus edunt ab iis persaepe differre, quae in hominibus praesto sunt; atque ita interdum differre, ut quae detrimentum istis afferunt illis omnino parcant, aut contra, dum animalibus summopere nocent, atque exitio sunt, nobis nullam labem, nullamque molestiam inferant. Tot deinceps occurrere discrimina hominem inter ac reliqua animalia observant, ut nullo modo velint, quae in istis accidunt ad eum traduci: quae quidem discrimina a dissimili humorum conditione non satis constituta, a peculiari cuiusque animantis constitutione, a diversa partium, quae in brutis notatur, fabrica, a dissimili liquorum indole, et proportione, ab acriori succorum digestioni famulantium potentia, a vario sensilitatis genere, a maiori, aut minori irritabilitatis gradu, ab opposita victus cibique ratione repetunt, vel ab aliis caussis, quarum perfecta cognitio nondum suppetit, ac forte ab intelligentia, sensuque hominum disiuncta est.

535. Haec sunt, quae utrinque acriter disputando proposita MURRAYUS in praetium huius generis experimentorum ad medicaminum efficacitatem constituendam speciatim inquirens (*a*) a Medicis diligenter

---

(*a*) Disq. praelect. Acad. Svec. 1772.

expendenda esse iudicavit. Ego vero de eisdem alibi disserens satis constitui quamnam afferrant remediis lucem cum demonstravi eorum subsidio potius erui in quibusnam partibus praecipue se exerat medicaminum, aut venenorum potentia, unde actio clarius innotescat, quam alia patefieri, quae in remediis explorandis Medici perquirunt. Quare, etsi eiusmodi experimentorum genus medicatas quarundam rerum facultates quandoque praemonstraverit, atque interdum veros etiam usus in morbis, quibus obnoxii sumus, non obscure ostenderit, nunquam eo prudentem Artificem adducet, ut ex iis, quae in animalibus eveniunt, de futuris effectibus medicinae homini exhibendae pronunciet, ac quaecumque in illis accidunt sine consilio, ac sine multa trepidatione ad hunc traducat.

536. Praestabitne itaque huic generi experimentorum ad medicaminum virtutem atque actionem prospiciendam illud, quod in iisdem brutis animalibus quoque suscipitur, cum in apertas eorum, sive bene valentium, sive aegrotantium venas, quaedam pharmaca, aut res aliae, quae medendo pares videntur, idonea ratione iniiciuntur? Ubi enim hisce in sanguinem proxime instillatis, iamque ad intimiora, ac singula corporis loca traductis, quin ab oris, et stomachi, intestinorumque humoribus detrimenti aliquid acceperint, celeriores, vividioresque fiant pulsus, aut calor augeatur, aut somnus accedat, aut

aut vomitus concitetur, aut urina, vel alvus moveatur; nonne pronum erit affirmare in venas indita pro vario, quem edunt, effectu aliis atque aliis viribus ita donata esse, ut variis pro dissimili eorum indole, queant usibus prospicere? Quemadmodum vero in LOWERI, BOYLEI, ETMULLERI, KRUGERI, ELSHOLZII, SPROEGELII, aliorumque experimentis visum est tam venena, quam medicamenta in venas vivorum animalium impulsa eos sibi proprios, ac singulares effectus procreasse, quos assumpta, aut alia ratione applicita edunt, dum pro eorum natura sanguinem cogunt, vel soporem accersunt, et nervorum distentiones, ac mortem inferunt, vel contra vomitum, vel alvum, vel urinam, vel salivam movent; nonne tutissimum erit ex phaenomenis, quae nonnulla nondum cognitae virtutis in venas data procreabunt, medicas vires detegere, ac certe constituere? Si praeterea effectus, quos in animalibus brutis, ac maxime quadrupedibus praesto sunt ab emeticis, purgantibus, diureticis, salivam moventibus, refrigerantibus, similibusve remediis infusis ab iis non diferunt, quae eadem medicamina in homine excitant, ut in periculis ELSHOLZII cum tartaro emetico, BORRICHII cum alvum ducentibus, BAGLIVII, cum cantharidibus, COURTENII cum mercurio sublimato, ac MALPIGHII cum nitro apparuit, cur, quae in animalibus a quibusdam rebus infusis observantur ad hominem fidenter traduci non poterunt?

537. Praecipua haec sunt, quae propositae opinioni favere videntur. Sed alia interim suppetunt, quae eidem adversantur. Siquidem verum non est phaenomena, quae a nonnullis liquoribus in apertas venas animalium infusis praesto sunt, iis esse simillima, quae generatim ab eisdem deglutitis nascuntur. Nam, ut mittam, quod apposite cum aliis Medicinae Scriptoribus animadvertit CULLENIUS id possibile non esse ob mutationes, quas in primis viis, cum solvuntur, dividuntur, atque cum variis humoribus permiscentur, remedia subeunt; ipsi revera experimentorum eventus evidenter declarant diversos esse, ac plerumque plane contrarios effectus, qui ab utroque utendi modo praesto sunt. Exemplo sint, ceteris missis, lac, pinguedo liquata, ipsumque oleum olivarum, quae sane in venas animalium data valde nocent, ac vitam plerumque adimunt, quemadmodum periculis ab HALLERO praesertim indicatis (*a*) innotuit, dum assumpta plane innocua existunt, imo largiter etiam assumpta nunquam vitae minitantur.

538. Neque dicas tantae dissimilitudinis caussam in adductis experimentis ex eo esse repetendam, quod ob minus diligentem periclitandi methodum circumfusus aer inter infundendum venas subierit, ac propere ra-

(*a*) De Part. Corp. Human. fabr. etc. T. I. lib. III. §. IX. X.

rescens morato sanguinis itinere animalibus mortem intulerit. Nam quominus ab aere inductum soporem, aliaque funesta mala perpetuo repetam vetant ea, quae evenire ab illis liquoribus in animalium venas instillatis ipse observavi usus ad experimentum diligentius instituendum, omnemque aditum aeri prohibendum aptissimo instrumentorum apparatu, quem non multis ab hinc annis descripsit Cl. REGNAUDOTIUS, adhibuitque ad medicamenta in aegrorum venas sine vitae discrimine infundenda: de qua medendi ratione alibi disseram (*a*). Porro vidi eos liquores, atque alios, qui impune ore sumuntur, graves noxas agnis, ovibus, et canibus perpetuo intulisse, etsi animalia mortem saepius eluderent. Quod si tamen accidat, ut, quae per venas sanguini affunduntur, nec gravem morbum accersant, nec mortem adducant, non eos sane effectus perpetuo praestant, quos edunt in os indita, ut quidam nimia fiducia contendunt. Nam etsi BORRICHIUS, aliique tradiderint, ut refert HALLERUS „ purgantium eandem dosim in venas infusam alvum movere, quae deglutita movet „ ab aliis tamen, atque a me ipso animadversum est, vomitum potius ciere, quam alvum ducere, tum lenia remedia, quae stomachum evidenter non afficiunt assumpta, plerumque vomitionem, interdum sat vehementem concitare.

(*a*) Histoire de la Societé Royale de Med. de Paris. Tom. 2. p. 250.

539. Quid quod? eadem in homine sunt observata ab infusis in venas medicamentis, quae alia prorsus ratione plerumque egerunt, quam assumpta generatim soleant. Enim vero ne ea persequar, quae superioris aetatis Medici attulerunt, nonne nuper vidit REGNAUDOTIUS purgantia semper vomitum concitasse, et quae lenia remedia sunt in venas hominum pariter instillata alvum non sine febri movisse, quemadmodum etiam accidit e gummi arabico similiter iniecto, quod horrorem, sat validam febrim, sudorem, atque alvum concitavit: dum haec sane demulcens, blandum, mitissimumque medicamentum nunquam efficit, ubi ore sumatur (*a*)? Quae porro omnia, ni fallor, satis ostendunt, perperam quosdam contendere hactenus propositum experimentorum genus sive ad medicatas vires rerum, quas ut suas nondum Medicina adscivit, eruendas, sive ad dubias confirmandas remediorum facultates tutissimam nobis normam suppeditare, atque ita quidem suppeditare, ut, quae in animalibus accidunt in homine quoque certo eventura concludamus.

540. An ergo hisce experimentis longe tutiorem viam ad germanos remediorum effectus cognoscendos, qui in aegris locum habent, ingressus est Cel. ALEXANDER (*b*),

(*a*) Loc. cit.
(*b*) Essays Experim.

cum eos prospici suspicatus ex mutationibus, quas pharmaca bene valentibus exhibita in pulsuum celeritate, ac caloris temperie inferunt, proprio corpore ad periculum exposito, quaedam medicamina assumpsit, ac quae ex eisdem passus est diligenter observavit, nobisque tradidit? Propius utique reliquis periculis hicce investigandi modus accedit ad eam, quae omnium tutissima est, remedia explorandi rationem; sed interim nimiis patet exceptionibus, ac nimiis obnoxius erroribus est, ut ad certam nos conclusionem ducat in admittendis, aestimandisque viribus, dosibus, atque usibus medicaminum in morborum curatione. Nonnulla quippe remedia, quae aegris exhibita prorsus salutares effectus praestant, sanum hominem perturbant, ac laedunt, quia omne medicamentum, quod supervacaneum est, monente CELSO (a), nocuum esse solet. Sunt alia praeterea, quae nonnisi certis sub conditionibus, quae in aegris solummodo occurrunt, auxilium afferunt, dum aliis in casibus, ipsaque praesertim vigente valetudine, aut nullam, aut contrariam, aut etiam nocuam vim exerunt. Nec desiderantur remedia, quae, etsi neque pulsuum motum, neque calorem imminuant, aut intendant, dum secunda praesto est valetudo, utrumque tamen praestent quoties morbus aliquis adversam intulerit. Quaedam

---

(a) De Med. Lib. II.

item licet sanis data nec in corde atque arteriis, nec in corporis, quo ad calorem, temperie agere videantur, suas tamen vires mutata corporis conditione, aliis editis signis, evidenter patefaciunt, eaque suscitant, quae modo conveniant, modo dissentiant ab effectibus, quos eorum usus in morbis affert. Denique, ne cuncta persequar, non desunt medicamenta morbis quibusdam mitigandis, ac profligandis utilissima, quae sanis data omni virtute destituta, si sensibus respicere solum oporteret, essent iudicanda, quia eos vel nihil, vel saltem manifeste non afficiunt.

541. Hinc evenit, ut, quae ex suis experimentis, non mediocri licet ingenio, ac diligentia susceptis, ALEXANDER deduxit, non omnia prorsus vera, atque observationi in aegris institutae consentanea mihi videantur. Id speciatim de *Castoreo*, et *Croco* existimo. Etsi enim ab utroque remedio, maximeque a Castoreo non tanta mihi in morbis pollicear, quanta veteres, aliique Medici expectabant, neutrum tamen salutaribus edendis effectibus, paullo maiori, quam communiter fieri soleat, copia porrectum impar pharmacum iudico, secus ac olim crediderim, atque ex ALEXANDRI periculis consequeretur. In iis praeterea experimentis, quae simili modo cum aliis remediis, de quibus suis locis dicam, nuper institui, cum experiundi, observandique opportunitatem ultro fecisset strenuus iuvenis, qui varia remedia, ut propius eorum effectus ALEXANDRI methodo

cognoscerem, audacter assumere consueverat; evidenter didici, quam fallax, et dubia sit illatio ex eisdem deducta, si ad ea, quae in aegris eveniunt, referatur.

542. Ergo licebit concludere hactenus expositas rationes, sive singulae, sive omnes una sumantur, multa quidem subsidia nobis afferre ad coniiciendas quorundam corporum medicatas vires, tum ad medicaminum principia eruenda, eorumque actionem explicandam; generatim vero impares esse veris facultatibus remediorum, usibusque in morbis per se tuto praemostrandis. Quare constituendum esse arbitror, quod alibi monui (§. XXI.), atque omnes artis proceres plane evictum iudicant, facultates, et usus medicamentorum Clinices observationibus certius aperiri, quam alia quacumque ratione, imo perpetuo fallax, ac dubium esse de viribus iudicium nisi ab experientia in aegris instituta fuerit petitum; quae tamen quam accuratissima sit, atque ab iis omnibus erroribus vacua, quibus etiam ipsa ob Medicorum quorundam, vel imperitiam, vel negligentiam, vel ob alias caussas obnoxia evasit, quas alibi attigi (*a*), ac speciatim CULLENIUS recenset (*b*). Profecto si omnes errandi occasiones in remediis periclitandis sedulo Clinici declinassent neque

---

(*a*) Vol. I. Proem.
(*b*) Mat. Med. Vol. I. Cap. II.

tot falsa de remediis iudicia, quae in Materiam medicam irrepserunt, haberemus, nec multo sane labore in Clinicorum potius libris, quam eorum, qui medicamina speciatim perquirunt ad eruendas horum facultates, nunc quoque versari deberemus, neque eos, qui etiam puri, atque integri videntur Medicinae fontes, quam cautissime, et dubitanter adiremus, ne dum vera, ac tuta remedia attingere credimus, falsa veri specie decepti ambigua, simulata, ac plane inania hauriamus. Etsi enim multiplici eorum vitio, qui olim Materiam medicam pertractarunt, ipsam non paucis erroribus obnoxiam evasisse alibi demonstraverim (§. XIII. et seq.) fateor tamen non minus eius perfectionem retardasse eos inter Clinicos, qui illas de viribus remediorum observationes nobis reliquere, quae nullo modo possunt veritatem declarare, cum ab experimentis deductae sint inconsulto, inepte, imperfecteque susceptis.

543. Porro quamnam utilitatem remediorum vires inquirenti afferre unquam poterunt ex datis medicamentis illi saepe propositi vel funesti, vel salutares exitus morborum, in quibus ratio nos docet artem non posse vitium corrigere, aut tollere, aut mitigare, vel contra malum eiusmodi esse, ut solo corporis beneficio queat removeri? Quaenam inde fieri potest ad remedium, curationis caussa, exhibitum cum vituperandum, tum extollendum conclusio? Quaenam erui ex iis observationibus, quas,

cum ad vim alicuius remedii ostendendam afferunt, non satis absolutas sistunt, iis magna ex parte neglectis, quae morbi naturam, vim, tempus, et differentiam determinant, vel praetermissis iis animadversionibus, quae aegri temperies, habitus, consuetudo, aliaque huius generis sibi vindicant? Quaenam illatio deduci ex iis narrationibus morborum, in quibus alicuius medicamenti virtus enituisse dicitur, atque interea phaenomena, quae eius praestantiam solum possent declarare, neque singula indicantur, neque ita saltem historice, et sine fuco, prout acciderunt, exponuntur, ut cuique videri debeant e natura desumpta, non vero ex hypothesi, aut ex nimis praecoci, ac fallaci iudicio temere deducta? Quae denique desumi ex iis morborum historiis, quae etsi ab ingenuis, ac medendi usu probatis Scriptoribus eo adducantur fine, ut alicuius auxilii vis, et usus tuto queant constitui, speciem tamen, et caussam morbi, in quo idem auxilium utilissimum cessit, non exhibent? Haec sane ubi negligantur nullo modo possumus de medicamentorum viribus pronunciare.

544. Sed neque possumus veram assequi remediorum facultatem, verumque in morbis usum cum in eas observationes incidimus, ex quibus aperte liquet in remediis periclitandis eas regulas fuisse neglectas, quas perpetuo oportet servare, ut tutissima sint, quae de viribus, et effectibus remediorum deducuntur. Eiusmodi porro sunt praecepta,

quae rectum cuiusque pharmaci administrationem respiciunt, quaeque, sive novae res ad medendum experiantur, sive iam nota remedia usurpentur, ad medicas omnes proprietates, atque actiones detegendas maxime conferunt. Inspicere primum oportet quae nam sit, dum remedium aliquod usurpatur, victus ratio, ac speciatim cuiusnam generis alimenta aeger assumpserit: quoniam iamdiu innotuit pro diverso rerum non naturalium usu medicaminum actionem, vel intendi, vel imminui, vel etiam immutari; atque idcirco perinde non esse si remedium detur sub opportuna corporis exercitatione, ac vacuo sumatur stomacho, vel contra omni motu prohibito, ciboque in ventriculo adhuc haerente propinetur; imo si potus, vel cibus eam indolem habeat, quae medicamento ita repugnet, ut huius naturam in aliam plane diversam resolvat, cum insigni virtutis detrimento. Hae vero observationes si quando negligantur, erit ne mirandum si, qui accidunt, in quorundam experimentis a nonnullis remediis effectus ab iis omnino dissentiant, quos Medicorum alii se observasse fatentur?

545. Ob non dissimilem etiam caussam non minori sedulitate curandum est, ne cum aliquod exploratur remedium alia interponantur medicamenta, quae dubitationem possent iure movere, utrum salutares motus, quos Artifex postea animadvertit, istis potius, quam illi essent tribuendi. Qua sane de

caussa non paucos in periclitandis viribus novarum rerum, vel in admissis iam medicamentis confirmandis persaepe deceptos Medicos novimus. Quare si medicatus potus, qui quotidiano usui inserviat, aegro exhibendus omnino sit, aut aliqua remedio, cuius vires indagandae sunt, praemittenda sit medicina, aut subinde quodcumque interponendum auxilium esse videatur, id perpetuo moneant Clinici, ac sedulo caveant, ne cum hisce credunt viam tantum parare remedio, ut ocyus cum morbo pugnet, medicatricem naturae vim ita commoveant, atque ad salutarem mutationem sollicitent, ut nulla iam pharmaci postea ad salutem exhibendi necessitas supersit.

546. Quod si tamen medicamenti iam comperta natura suadeat non simplex, sed cum aliis commixtum dandum esse, quam sedulo inspiciat Clinicus, ne aut indole, aut copia, quae admiscenda praecipit, errandi caussam tam saepe obviam in praescriptionibus Medicorum afferant. Nonnulla quippe sunt, quae quorundam unionem respuunt, sunt, quae cum aliis nonnisi certa proportione coniuncta utiliter agunt, imo maiores effectus praestant, suntque alia, quae certis rebus admixta tantam resolutionem patiuntur, ut penitus immutata, quas habebant facultates, interdum omnino amittant, interdum novas assumant. Saepe proinde videmus quosdam Medicos ex harum rerum ignoratione pluribus medicamentis una congestis tam incon-

cinnas medicinas componere, ut quemadmodum mixtione, sic viribus una convenire non possint.

547. Expedit rursus curare, ut quod Clinici adhibent remedium optimae notae sit. Cum enim inter ea medicamenta, sive simplicia sint, sive mixta, maximeque exotica, quibus utimur, nonnulla saepe occurrant, quae qualitatum ratione perfecta non sunt, vel iam viribus prope destituta, vel aliarum rerum minus sumptuosarum mixtione adulterata, vel non ea, qua opus erat, arte composita, ubi Medicus de optimo remedii cuiusque delectu parum sollicitus exiguum, aut nullum ex eo dato salutarem videat effectum, nihil boni ab eius usu sibi amplius pollicebitur, inerti eius naturae tribuens, quod rectius indicatis caussis referre debuisset. Hinc tot de remediorum viribus, atque in morbis usibus dissensus inter Medicos prudentia ceterum, ingenio, ac doctrina spectatissimos originem duxerunt, ac nunc quoque apud quosdam obtinent. Exemplo esse possunt, ut cetera mittam eximia illa remedia, quibus Ill. ac Cel. Archiatr. Caesar Comes STOERKIUS Therapeuticen hac aetate locupletiorem reddidit, quae etsi opportune, prudenterque adhibita valde utilia sint, ac tuta, parum tamen efficacia, aut etiam inutilia, aut generatim periculosa ideo quibusdam non infimae sortis Clinicis visa sunt, quia eadem, vel adulterata, vel ex aliis stirpibus petita, vel male praeparata ad ex-

perimentum traducta fuerunt. Memini olim *Moschi* a praestanti Medico incassum cuidam foeminae tamdiu propinati in eo rerum statu, in quo indicatissimus videbatur, donec animadversum est, cum iam pharmaco, vel improvide dato, vel per se inerti inutilitas curationis tribueretur, moschum deterioris notae, et partim adulteratum hactenus exhibitum fuisse. Tum enim cum verum moschum aliunde petitum aegra sumpsisset brevi ex eo salutem accepit.

548. In quorundam etiam Clinicorum experimentis ideo remediorum, quae periclitabantur, vis omnis non apparuit, quod in eorum qualitatibus corrigendis minus caute se gesserint. Cum enim suppetant medicamenta, quae ob ingratum saporem, vel ob odoris insuavitatem, vel ob ipsum colorem quibusdam forte invisum, simplicia dari non solent, ac proinde rebus aliis ad eiusmodi qualitates corrigendas, aut saltem obvelandas accommodatis permixta exhibentur, non raro evenit, ut ea ad alterutrum praestandum recipiantur, quae, vel qualitate, vel nimia copia vires remediorum plurimum enervent. Cui quidem errori obnoxii esse solent Medici nobilium, et divitum, qui eorum molitiei nimium indulgentes ita elegantes fiunt in medicamentis edulcandis, ut horum facultatibus imprudenter infirmatis dum satagunt iucunde mederi, nec cito, nec tuto curent, sicque aegrorum, quos nutriunt, deliciis potius, quam saluti prospiciant.

549. Perperam igitur ex horum Medicorum observationibus quidquam de medicaminum facultatibus constitueretur: quemadmodum nihil, quod indubium, ac verum sit, constituere licet cuique illorum de remediis pericula reputanti, in quibus ea neglecta fuerunt praecepta, quae remedii cuiusque exhibendi forma, eiusdem copia, quam dosim dicunt, ac protractus eius usus iure sibi vindicant. Porro exhibendi rationem, quod respicit, Medicorum quidam non animadvertentes, num pulveris, aut extracti potius, quam diluti, aut infusi, aut decocti forma remedium, quod probinabant, magis expediret, ea exhibuerunt, sub qua remedium suae virtutis multum amittit, aut non omnem efficacitatem explicat, aut eam saltem prompte non exerit. In dosi vero remediorum assignanda, quam saepe a Medicis a recta via descitum non est, quoties ipsi, quasi nescirent medicaminum dosim duobus veluti limitibus generatim coerceri, quorum unum minima vis, alterum maxima constituit, non mediam sequuti sunt, sed nunc arctiori, nunc pleniori, quam opus erat, manu pharmaca propinarunt? Cum multa sint, quae paucissime data nullos sat manifestos, ac salutares edunt effectus, largiter vero exhibita evidenter nocent, aut saltem diversa ratione operantur, eadem sane quam obviam, et pronam incautis errandi occasionem suppeditarunt in admittendis, aestimandisque viribus remediorum.

550. Ex eo vero, quod Medicorum nonnulli in novis, aut dubiis medicamentis periclitandis eorum usum citius, quam par erat, deseruerint, vel si in eodem tamdiu perstiterint, quamdiu remedii natura, vel morbi indoles postulabat, neglexerint nihilominus remedium vel subinde intermittere, vel paullatim quotidie augere, nimis saepe de remediorum viribus, usibusque temere fuit iudicatum. Subirascor quandoque quibusdam Medicis, qui una, alterave vice cum remedium sine ulla manifesta utilitate propinaverint, propere de eius inertia concludunt, quin considerent pleraque auxilia nonnisi post aliquot dies largiter exhibita suam vim ex sensilibus effectibus perspicue ostendere, atque utilia evadere, quoniam certo indigent tempore, ut impedimenta, quae eorum actioni praesto sunt, removeant, ac motus suscitent, qui ad naturae, ac sanitatis ordinem aberrantes actiones iterum adducant. Porro ut in hanc rem, quae paratissima in multiplici genere remediorum, ac maxime in diureticis medicamentis suppetunt exempla brevitatis caussa praeteream, satis erit, meminisse, quod saepe animadverti de *Valerianae Sylvestris* usu ad comitialem morbum vincendum. Etenim cum multos epilepsia laborantes hoc uno auxilio sanaverim, quosdam inter eos, qui incassum a Medicis aliis propinatam Valerianam usurpaverant, non alia de caussa sanare ipse potui eodem remedio, quam, quod praecepta de recto huius radicis usu ab

Helveto Hippocrate Tissoto iampridem sancita diligenter sequutus longe diutius, quam alii egerant Artifices, qui prius curationem susceperant, Valerianam exhibui, ne etiam semel victus recidivus fieret morbus, quemadmodum saepe evenit.

551. Qui autem dum alicuius remedii administratio in longum trahitur neque ab eo subinde abstinent, neque eius vim modo imminuunt, modo intendunt, modo sensim quavis die plenius exhibent, ignorare videntur, eam esse humani corporis naturam, ut non solum validioribus medicamentis, verum etiam ipsis quoque venenis paullatim admissis assuescat, quin ullam mutationem, aut ullum detrimentum accipiat. Cum enim ab assuetis, sicuti Philosophi perhibent, non fiat passio, sequitur necessario, ut corpus, quod a remedio primum assumpto beneficium experiebatur, progressu temporis non amplius sentiat, aut saltem tam lene percipiat, quod malo vincendo impar existat. Quare, ne in usu praestantissimi caeterum remedii spe excidamus, si quando eius vim sensim augere ipsius indoles, aut aegri natura prohibeat, quemadmodum interdum evenit, curemus saltem, ut maiori ipsius pharmaci virtuti prospiciamus, aegrotanti suadendo, ut modo ab eo sibi temperet, modo aptis vicibus ad eius iterum usum redeat.

552. Duo denique sunt, quae in explorandis medicaminum viribus non raro Clinici neglexerunt. Quidam siquidem ex iis, quae

in uno, aut in altero tantum aegro ex dato medicamento accidebant, de eius viribus, atque usibus generatim iudicarunt, non animadvertentes ob singularem cuiusque corporis vim, temperiem, consuetudinem, atque alia, quae in quovis aegro propria occurrunt, plurium una conspirantium observationum seriem, non unum experimentum, accuratissime licet institutum, et captum, requiri, ut quae de remediis deducuntur iudicia generatim vera, ac tuta habeantur. Alii vero, quod uno anni tempore, aut in una morbi constitutione proficuum, ac praesentissimum auxilium experti fuerunt, pari modo et in singulis aliis indicatum, utilissimumque perpetuo futurum nimia fiducia tradidere, cum iam sit evictum pro vario anni tempore, proque dissimili constitutionis genio, ita saepe morborum genera differre, ut necessario differre debeat medicina, quae eisdem adhibeatur.

553. Cum tot igitur, ac tam magnae praesto sint caussae, quae fallaces, et dubias, ac parum utiles quorundam Clinicorum observationes reddunt, quae remedia sive iamdiu usurpata, sive recens invecta respiciunt; id mihi curae perpetuo erit, dum vim, atque usum cuiusque medicamenti proferam, ut utrumque ex iis studeam eruere Medicorum observationibus, atque experimentis, quibus rite susceptis, ac candide revelatis omnem fidem cordatus nemo detrectabit. Quod si neque ex aliena, neque ex propria experientia

potero de quibusdam medicamentis, quemadmodum nimis saepe eveniet, tutissime iudicare, curabo sane, ut meam potius ignorantiam fatear, quam vero similia sectando pati, ut me ipsum, aliosque in ea re, quae vitam, et sanitatem hominis, quam proxime respicit, falsa veri species unquam decipiat. Qua quidem de caussa opportunum erit praestare, quod alias pollicitus sum (§. XX.) me perpetuo facturum in viribus recensendis remediorum, scilicet indicare fontes, e quibus, tum vetera, tum nova quaeque ad praesidia sanitatis relata ipse deprompsi, ut facile quisque possit de eorum fontium integritate iudicare, atque una nullo labore assequi per quosnam Therapeutice locupletior, ac certior evaserit. „Oportet enim, dicam cum CELSO, neque recentiores Viros in iis fraudare „quae vel repererunt, vel recte secuti sunt; „et tamen, quae apud antiquiores aliquos „posita sunt auctoribus suis reddere „.

CAPUT II.

De Medicamentorum actione, atque in sanguinem itinere.

554. Medicina iam orta subinde aliorum salute, aliorum interitu, vana, ac perniciosa discernente ab utilibus, et salutaribus, rationem fuisse quaesitam, repertisque deinde remediis de rationibus eorum homines disserere coepisse, CELSUS luculenter perhibet. Noverant siquidem, vel antiquissimi Sapientiae, ac Medicinae Professores, per quos maxime ars ista humanae salutis praeses increvit, huic quoque disciplinae ratione opus esse, ipsumque Artificem, ut rationalis, atque aptior sit, praeter usum, in ipsa quoque rerum naturae cognitione, ac penitiori contemplatione versari oportere. Cum enim inter multa similia genera morborum, et remediorum cogitare ipse debeat, quod potissimum medicamentum conveniat; illae omnes coniecturae ab indole remediorum, et naturalibus humani corporis actionibus petitae, quae in tam obscuro, atque ancipiti casu tutius, atque utilius auxilium queunt monstrare, ad artem sane, atque ad ipsum Artificem non poterunt non iure pertinere.

555. Inter eas vero coniecturas praecipuam partem sibi vindicare actionem rema-

diorum quisque facile sentiet, qui noverit quantum ipsa luminis afferat, ubi perspecta sit, ad meliorem medendi viam ineundam, atque ad aptius remedium eligendum. Porro, ut caetera mittam exempla, qui non ignorabit inter ea, quae alvum ducunt, multa subesse discrimina, quoniam agunt nonnulla impactis humoribus resolutis, alia constrictis partibus relaxatis, quaedam ventriculi, intestinorumque fibris evidenti stimulo perculsis, quaedam etiam vehementi irritatione lacessitis, is, inquam, cum debeat homini, qui inflammatione alicubi laboret, aut in eam valde proclivis sit, medicinam praebere, quae ventrem deiiciat, ab iis sane refugiet, quae irritando, nimiumque corpus commovendo possunt, dum alvum moliuntur, morbum graviorem reddere, ac novum etiam suscitare. Qui vero iam allata discrimina ex agendi ratione petita aut ignorans, aut contemnens in eo, quem posui, casu iis posthabitis, quae, dum alvum molliunt, cum morbo pugnant, acrioribus, irritantibusque ventrem sollicitaret, protinus inflammatione insigniter aucta, aut ea, si nondum adfuit, temere accersita in peius omnia converteret. En itaque quomodo ab ipsa medicamentorum agendi ratione, aut cognita, aut neglecta, caussa deducatur, cur rationalis Medicus ei auxilio sit, cui Empiricus non solum noxam, sed hanc quoque gravissimam infert.

556. Etsi igitur generatim incomprehensibilis adhuc prima, atque intimior ratio ha-

beatur, qua medicamenta agunt, verumque principium, a quo eorundem actio pendet, non evolutum iudicetur, quaecumque tamen ex ipsis remediorum effectibus discrimina apparent, quae sin minus propiorem agendi rationem, saltem manifestas eiusdem actionis dissimilitudines exhibeant, quam sedulo Medici persequuntur. Considerant scilicet remediorum effectus, seu illas omnes mutationes, quae ex remedio interne, externeve vivo homini applicito in solidis, fluidisque partibus, sive singulas, sive aliquas afficiant, quo ad motum, positum, cohaesionem, nexum, magnitudinem, texturam, figuram, mixtionem, temperiem, densitatem, indolem, colorem, aliasque proprietates nascuntur. Mutationes autem istas cum probe sciant non minus ab actione remedii pendere, quod admovetur, suaque vi, atque impulsu novi motus caussam suppeditat, quam proficisci a viribus vitae, ac naturalibus corporis actionibus, quae agentis remedii vim excipiunt, quaeque illatae mutationis genus suis motibus significant, remediorum effectus, sive ipsi generatim, sive speciatim considerentur, derivandos esse concludunt a modo, quo eadem humanum corpus afficiunt.

557. Quemadmodum vero non omnia remedia ab eadem caussa actionem suam accipere videntur, ipsumque humanum corpus, quod afficiunt, praeter eas dissimilitudines, quas in singulis partibus exhibet, aliis, atque aliis in quovis homine iuxta diversas,

quae in unoquoque praesto sunt, proprietates obnoxium iure habeatur, ita Medici, dum modum assequi tentant, quo agunt medicamenta, solent caussas rimari, quae ista possunt discrimina afferre. Harum porro caussarum alias deducunt a Physicis, et Chemicis remediorum proprietatibus, alias vero ab humani corporis viribus, actionibus, conditionibusque, quae cuique homini propriae sunt. Ab utroque enim caussarum una conspirantium genere, cum corporis viventis conditio, quae, antequam remedium propinatum fuisset, obtinebat, necessario debeat mutari, ipsa autem mutatio non possit non manifestis signis se prodere; facile assequimur cur in eo generatim omnis remediorum actio quaeratur.

558. Ad caussas porro quod attinet a medicamentis deductas, explosis iamdiu occultis qualitatibus a GALENO, ut eorum effectus explicaret, invectis, tum falsis reiectis principiis, quae Chemicorum schola ad eundem assequendum finem admisit, atque iis etiam plane hypotheticis rationibus relictis, quas BOERHAAVIUS actionem remediorum ex figura molecularum, e quibus coalescunt, deducens in medium protulit, nuperiores Medicinae Professores remediorum actionem, si de physicis caussis quaestio sit, ab illorum forma, a gravitate, a vi, ob quam corporum particulae una cohaerent, et divisioni resistunt, a temperie, seu gradu caloris, quo gaudent, a sapore, atque ab odore dedu-

cunt. Neque temere sane iisdem proprietatibus tribui remediorum actionem illa luculenter ostendunt, quae in hanc rem prae caeteris Ill. FOURCROAEUS plenissima doctrina adduxit (a). Penitius siquidem, quam ceteri egerant, vim cuiusque caussae scrutatus, quid quaelibet ad actionem remediorum conferat, apte proposuit. Porro dum contendit inter caussas, ob quas medicamenta agunt, formam vix esse enumerandam, quia, nisi insolubilia sint, in stomachum delata eam exuunt, quae vero solvi non possunt et raro solent praescribi, et etiam assumpta, si mechanica excipiantur venena, non satis manifeste operantur; a caeteris caussis reliquas mutationes perfici contendit.

559. Et re quidem vera quisnam spectatis effectibus gravitatis, qui in universa spectantur rerum natura, unquam inficias iverit non ipsa quoque medicamenta ab ea suam actionem agnoscere, quatenus suo iam pondere, sive in stomacho haereant, sive intimiora corporis occupent, premendo, aliterve operando partes, quibus admoventur, evidenter percellunt, ac mutationem aliquam eisdem inferunt? Profecto sive ea, quae generatim de corporum gravitate Physici perhibent, sive quae de effectibus hydrargyri adhuc liquidi ad ileum sanandum ingesti, ac

---

(a) L'Art de connoit, et d'empl. les médicamens T. 1. chap. IV.

ciborum, aliarumve rerum nimis grave stomacho onus inferentium Medici tradunt, sedula cogitatione reputentur, veritati maxime consentaneum videtur cum eodem FOURCROAEO affirmare ad praecipuas caussas, ob quas agunt remedia, ipsam quoque gravitatem pertinere; eius vim in stomacho, atque intestinis confestim se exeri, ab hisce ad reliquas partes iuxta consensus legem actionem propagari, tum particulas medicamentorum in sanguinem receptas ea quoque vi operari, imo effectus eo maiores edere, quo earum gravitas maior est.

560. Potior autem caussa, quae medicamenta ad agendum determinat in ea vi, ob quam eorum particulae una adhaerent, ac divisioni resistunt, quamque Chemici aggregationem nominant, quaerenda est. Sunt quidem nonnulli, qui tantam vim ab hoc principio expectandam non esse credant, imo doceant eo minorem esse medicamentorum actionem, quo eorum cohaesio maior est, quia tunc minus divisae eorum moleculae minus spatium occupant, ac pauciores proinde corporis partes attingunt, et percellunt, ac remissius afficiunt. Sed qui ista proferunt, etsi proferant, quod rationi apprime consentaneum videtur, non animadvertunt tamen, quod medicamentis, caeterisque corporibus accidere ignis, aut frigoris, aliarumve caussarum potestate Physici iamdiu repererunt, scilicet cohaerendi vim, qua gaudent, ita temperari, moderari, aut immutari, ut pro

vario eiusdem gradu, ac modo ipsa medicamenta admodum varia suae actionis, virtutis, atque efficacitatis discrimina necessario exhibeant.

561. Ex hoc proinde actionis principio arduum sane non erit et vim, et multiplicem remediorum facultatem assequi. Cum enim observante FOURCROAEO medicamenta gradatim cohaesionem, vel amittant, vel recuperent, ut caloris, aut frigoris actione in aliis corporibus evenit, atque inde dura, ac solida mollescant, liquida fiant, in vaporem resolvantur, ac sub specie aeris, quae gas dicitur, consistant, vel contra in vapores mutata densitatem deinde, duritiem, pristinamque iterum soliditatem acquirant, non possunt sane iuxta dissimiles cohaesionis gradus non dissimiles, atque ad agendum aptissimas proprietates accipere. Non possunt siquidem a diverso cohaerendi modo non eam accipere densitatem, mollitiem, solubilitatem, tenuitatem, atque ultimam prope divisionem, quae requiritur, ut involvere, inspissare, aut plures partes attingere, intimioresve pervadere, imo dividere, dilatare, aliterve agere queant. Quare fatendum est, eos non intimam scrutatos fuisse remediorum naturam, et vim, qui dum medicamentorum agendi rationem explicare student, vim a vario cohaesionis modo nascentem vel negligunt, vel negant ab ea quoque medicamenta suam virtutem, maiorem efficacitatem, suamque in agendo constantiam, ac promptitudinem quam saepe agnoscere.

562. Nec minus vere, mea quidem sententia, reliquarum caussarum actionem, quas iam indicavi (§. 55) FOURCROAEUS asseruit, scilicet earum, quas medicaminum temperies, sapor, atque odor afferunt. Ex iis enim phaenomenis, quae ex calore, et frigore in humano corpore accidunt, dum fibras, humoresque varia admodum utriusque vis aggrediens magnas mutationes inferat, tutissimum est arbitrari, medicamenta quoque ipsa pro dissimili eorum temperie, ob quam naturalem corporis calorem vel imminuere, vel intendere queant, magnis effectibus procreandis paria futura, ac revera magnos edere. Id profecto obvio ex diversa aquae temperie exemplo desumpto FOURCROAEUS luculenter confirmat; quae, ut notum est, prout gelu concreta, aut frigida, aut egelida, aut calida, aut fervida, aut in vapores resoluta adhibetur, ob dissimilem gradum caloris, dissimilem exerit actionem, ac varias, et prorsus oppositas mutationes suscitat, quae rursus modo mediocres sint, modo tam vehementes, ac salutares, ut inter potiora, ac maiora artis praesidia aqua locum sibi vindicet.

563. Saporem vero, quod respicit ab eo quoque principium actionis remedia agnoscere illa satis ostendunt, quae sapida corpora cum gustus organum, aliasve sensiles partes attingunt, evidenter excitant. Quae enim e sapidis rebus sensationes nascuntur eiusmodi sunt, ut universas humani corporis

partes plus, minusve afficiant, ac diversimode commoveant, prout in ipsis sensationibus discrimen fit a dissimili sapidarum particularum indole, ac vi, atque a diversa partium natura, et fabrica, quas sapida corpuscula proxime percellunt. Quae quidem caussae, dum plures in sapore differentias constituunt, proprietates quoque, et dissimiles, et validas medicamentis quibusdam tribuunt, ob quas non in solo gustus organo, verum etiam in cute, in stomacho, caeterisque partibus, quae sensui, et motui prospiciunt, subitas, et magnas mutationes inferant, quas secus, ut experientia evicit, non praestitissent.

564. Tutissime itaque inter caussas, ob quas remedia agunt, saporem admittam, Philosophis, et Chemicis dispiciendum relinquens unde vel sapidum principium pendeat, vel oriatur sensationum, quod a sapore fit, discrimen. Ii scilicet dispiciant, num ab intima molecularum, quibus sapidum principium adhaeret, configuratione, quae diversa sit, pendeat discrimen sensationum, quas sapida corpora in gustus organo excitant, ac proinde ex ea caussa nascatur saporum distinctio, an potius ratio affectionis, quam sapidae particulae in communi sensorio suscitant, quaerenda sit in singulari earum vi, ob quam nituntur cum organis, quae attingunt, coniungi, aut forte, quod nonnulli probabilius iudicant, ab utraque caussa omne principium, omnis actionis ratio, atque omne discrimen

oriatur. Caeterum FOURCROAEI, aliorumque Chemicorum sententia nisi plane evicta sit, quam proxima tamen videtur veritati, dum constituit, saporem nil aliud esse, quam paullo ante indicatae intimae coniunctionis effectum, et sapores gradu tantum inter se differre, ac proinde non alia de caussa quaedam corpora caustica esse, alia vix sapida, quam, quod dum illa cum aliqua humani corporis parte vehementi vi nituntur uniri, ista aegre admodum ad eam accedant.

565. Odorum denique vis quam late pateat in humano corpore quatenus odora, quae erumpunt e plurimis rebus effluvia mira prorsus subtilitate, fugacitate, et natura olfactus, reliquarumque partium nervos protinus, valideque percellunt, nemo est, qui non videat spectatis effectibus, quos ista pro vario eorum discrimine suscitant. Tanta siquidem est halituum, quos odora corpora effundunt, potentia in immutanda hominis conditione, ut modo protinus vires erigant, modo confestim infirment, modo alias mutationes, vel in aliqua corporis actione, vel in omnibus inferant. Qui quidem effectus inter se mirifice differunt, pro ut dissimilis est species odoris, quae tam multiplex esse solet, ut quaelibet certis nequeat generibus adscribi, quemadmodum alibi dixi. Hinc quae summa genera censentur nonnisi exiguum constituunt specierum numerum, quas odora medicamenta exhibent, quae hoc respectu infinitas pene sistunt dissimilitudines ex eo derivandas,

quod principium, a quo odor pendet, in singulis corporibus tam diversa ratione se habeat, ut in unoquoque, nisi quo ad indolem, saltem quo ad vim, et modum dissimile videatur.

566. Sane circa principium eiusmodi actionis obrepimur undique tenebris, cum intimam eius naturam detegere nitimur, vel eruere quomodo idem principium in quibusdam rebus fugacissimum sit, atque evanescat, in aliis diutissime adhaereat, nec evelli queat, quin protinus pereat, in nonnullis mutetur, in aliis idem semper maneat, atque in quibusdam cum saporis qualitate conveniat, in caeteris differat. Nec satis assequimur quomodo idem, quod simplicissimum volunt, odorum principium immutetur adeo, ut queat praecipuas quasdam differentias sistere, quae eaedem semper maneant, nec destrui arte possint, ac reliquis odoris principiis basim, ut dicunt, suppeditent. Caeterum, etsi haec nondum innotescant, nec generatim satis constituta odorum divisio mihi videatur, ut monui, quam vel ipse LORRYUS proposuit odores omnes, qui simplices dici debeant, ad quinque genera revocans, quamque Ill. FOURCROAEUS admisit; mihi tamen sufficiunt (ut inter praecipuas caussas, ob quas agunt medicamenta, odorem enumerem) manifesta illa phaenomena, quae odores humani corporis fibris admoti suscitant, utpote quae pro multiplici odoris discrimine, proque varia eiusdem virtute admodum dissimilia sunt,

atque

atque ad magnam inferendam mutationem maxime valent.

567. Ut enim mittam argumenta, quae ad ingentem odorum vim in corporis conditione immutanda peti solent ex iis venenis, quae non ideo, quod gas laethiferum, sed quod proprium odorum summe nocuum principium effundant, olfacientibus extant infensa, nonne medicamenta suppetunt, quae nervis maxime admota miras prorsus, ac saluberrimas inferunt mutationes? Prout siquidem ista vel camphoram, vel virosum halitum, vel aethereum spiritum, vel acidum, vel alcali, utrumque volatile, spirant (quos principes, et simplices odores, ex quibus caeteri componerentur, LORRYUS censuit) nervos, atque universas partes dissimiliter percellunt, et commovent tanta saepe promptitudine, ac vehementia, ut recte usurpata praesentissima fiant artis auxilia.

568. Hactenus de caussis actionis, quam remedia a physicis eorum proprietatibus agnoscunt; nunc pauca de illa vi, quam eadem remedia a chemicis eorum facultatibus accipiunt. Cum enim omnibus corporibus vis insit, qua eorum particulae divisae, ac resolutae nituntur cum aliis ex diversis corporibus eductis intime coniungi, ac tunc se mutuo excipientes, atque una coalitae novum plane corpus constituant novis affectionibus praeditum, atque eiusmodi quoque vis affinitatis in humano corpore praesto sit, utut a viribus vitae aliquomodo temperetur, atque

immutetur; nuperioribus Chemicis assentimur, cum tradunt, eandem potentiam, aut vim etiam in medicamentorum actione se prodere, eamque volunt ab effectibus prospici, quos eadem pharmaca procreant, tum corporis extrinsecus applicita, tum stomacho, atque intestinis recepta, tum in ipsum sanguinem delata.

569. Quam multa porro non sunt phaenomena, quae ostendunt eiusmodi vim medicamentis praecipuam actionis caussam largiri? Profecto si modus, quo medicamina urentia, et caustica, vel acida, vel alcalica, vel volatilia, vel antiseptica agunt, aut venena, eorumve antidota operantur cuti maxime applicita, consideretur, si dempta quibusdam venenis in os inditis nocendi potentia ex provida assumptione rerum, quae ipsa resolvunt, animadvertatur, si denique mutationes, quas ex vario remediorum genere humores primas vias alluentes, ac speciatim succus gastricus, atque enthericus, ac bilis facile subeunt, aut solidae partes patiuntur, sedulo spectentur: non solum, ut verosimillimum, sed satis evictum haberi posset, hos effectus magna ex parte a Chemica corporum affinitate pendere, quemadmodum Chemiae Proceres tradunt, ac maxime FOURCROAEUS contendit.

570. Nec mihi minoris ponderis videntur, quae ad vim, seu actionem remediorum Chemicam, tum in sanguine, tum in universo corpore demonstrandam idem Auctor

in medium attulit. Satis quippe constare arbitratus medicamentorum particulas sanguinis quoque vias ingredi, atque in eodem, licet divisae summopere sint, ac diverso modo immutatae, suam adhuc virtutem retinere, censuit medicamenta, dum ob multiplicem aliam rationem ab eorum physicis proprietatibus derivandam operantur, Chemica pariter potentia salutares mutationes inferre. Interim non omnes FOURCROAEUM recte iudicasse existimant. Sunt enim nuperrimi quidam Medicinae Scriptores, qui, etsi non audeant prorsus denegare medicamenta in sanguinem venire, ut olim quidam non incelebres Medici tradiderant, paucissima tantum in eum influere putant, atque ea quidem vix non inutiliter omnes sanguinis vias excurrere. Horum quippe utilitatem, vel omnem, vel saltem praecipuam deducunt a proxima eorum actione in stomacho, atque intestinis, quae ministerio nervorum ad alia loca, imo ad universa, modo pedetentim, modo protinus extenditur. Quamobrem officii erit in tam gravi concertatione, quam magni interest dirimere, quae utrinque afferuntur, breviter expendere, ut veritas evidenter elucescat.

571. Imprimis autem praestat expendere quae novissime protulit CULLENIUS ad eorum opinionem vallandam, qui fere omnes medicaminum effectus a stomacho proxime affecto deducunt. Non enim ipse satis habuit cum plerisque, tum mecum affirmare in remediorum actione explicanda stomacho quam

plurimum ideo esse tribuendum, quod illa, quae interiora corporis subeunt, magna ex parte viam stomachi petant, quod eiusmodi viscus tam exquisito donetur sensu, ut vim cuiusque rei, quae humanum possit corpus afficere, plus, minusve sentiat, quodque singularis prope sit inter ventriculum, ac reliquas partes nexus, ac valde evidens, atque insignis consensus cum quibusdam intersit: unde motus in eo a pharmacis inducti ad certa maxime loca, atque ad totum etiam corpus quam facile deriventur. Ulterius siquidem progressus est CULLENIUS, dum conquisitis undique rationibus nititur demonstrare plurium medicamentorum effectus, qui in variis corporis partibus se produnt, ab eorum actione in stomacho solummodo proficisci, ac pleraque remedia, quae totum corpus afficiunt, in solo stomacho proxime agere. Verum quae magnus Vir in medium adduxit, nisi mea me fallit opinio, dum luculenter ostendunt plurimum in medicamentorum agendi ratione stomachi vi, et consensui, qui latissime patet, a Medicis iure tribui, non evincunt aut omnem, aut praecipuam, aut propiorem eorundem caussam actionis in varia unius stomachi affectione generatim esse constituendam; unde ab ea quoque caeterae explicandae sint mutationes, quae ab usurpatis auxiliis in aliis dissitis corporis sedibus accidunt.

572. Rem porro ita se habere in plerisque, aut pene omnibus medicamentis per-

peram ex eo deducitur, quod nonnulla ad stomachum vix delata suos exerant effectus antequam ulterius progressa, aut in sanguinem recepta videantur, quod quaedam tenuissimis, ac fugacissimis donata particulis prompte, expediteque operentur, priusquam humorum conditionem immutent, tum quod alia, quae ob sensiles, atque irritabiles fibras speciatim perculsas salutaria fiunt, actionem suam in toto corpore patefaciant, licet vix soluta, vel adhuc integra in stomacho haereant. Iam vero, ne dicam quaedam remedia a resorbentibus oris, faucium, oesophagi, et ventriculi vasculis hauriri, atque in sanguinem ocyus abripi posse, quam communis ferat opinio, neque ex promptitudine, qua *cortex Peruvianus* febrim interdum avertit, et tollit satis declarari eius virtutem a singulari prorsus modo, quo afficit stomachum pendere, quae sane ex volatilibus, aut sopientibus remediis sive vix assumptis, sive adhuc integris nascuntur, neque perpetua, neque praecipua phaenomena sunt, quae sub eorum usu post certum temporis spatium, ac post eorum solutionem, atque absorptionem accidunt. Evenit siquidem istis in stomacho haerentibus, quod in aliis accidit pharmacis, quae etsi vel naribus subdita, vel linguae tantum imposita, atque ore detenta fibrillarum sensu affecto vim nervorum vel erigant, atque excitent, vel imminuant, ac consopiant; longe tamen certiores, diutur-

nioresque effectus procreant, ubi penitiora corporis subierint, ac cuncta pervaserint.

573. Neque a modo solummodo, quo stomachus percellitur, ac commovetur omnes effectus explicandi sunt reliquorum medicaminum, quae etsi agere non posse vulgo existimentur, nisi partes attingant, in quibus salutaris mutatio praestanda est; aut certa copia ad eas deferantur, attamen in istis stomacho remotis locis opportunas, atque exoptatas mutationes suscitant non multo post ac fuerunt assumpta, aut eas etiam inducunt quamquam exigua quantitate hausta sint, aut aegre, et lente in stomacho solvantur. Nam praeter quamquod istis quoque remediis generatim tantum temporis relinquitur, quantum sufficit, ut aliqua eorum portio soluta in sanguinem advehatur, atque ad ea loca, quae eorum contactu indigent, perveniat, humanum corpus ita a natura constitutum videtur, ut minimam etiam quorundam medicaminum vim eius partes, maximeque intimae, penitioresque manifeste sentiant. Eam vero potissimum percipere solent cum magis sensiles atque irritabiles fibrae evaserint, atque ab iis perculsae sint particulis, quarum medica virtus, sive iam per se magna est, sive ad insignes effectus praestandos ideo aptissima existit, quia vel in stomacho, atque intestinis, vel in ipsis vasis, quae cum humoribus perfluunt, vel in utroque itinere ob quarundam caussarum actionem novum virium incrementum subierit.

574. Quod si ex singulari aliquo casu, vel a peculiari alicuius pharmaci actione, quis concluderet generatim constituendum esse medicamenta, quae universum nervorum systema afficiunt, et proxime, et solum in stomacho agere, temere concluderet; non minus sane inconsiderate ille ageret, qui ab eodem principio, seu ab eodem viscere affecto deducendos arbitraretur generales pariter effectus, qui ab assumptis interne medicamentis in universo vasorum sanguineorum genere nascuntur. Non enim argumentum, quod ab actione remediorum, quae sudorem movent, desumit CULLENIUS, tanti ego habeo, ut tutissimum arbitrer allatam sententiam constituere. Porro si concedit, cum caeterae augentur exaninitiones, seu, ut dicunt, evacuationes, medicamenta, quae eas sollicitant, atque eliciunt, organis revera admoveri, quae secretioni, atque excretioni humoris egerendi inserviunt, cur hanc agendi rationem prorsus denegat pharmacis, quae sudorem movent, atque omnem eorum effectum ab uno stomacho repetit, qui stimulum, quo fuit percursus, ad cor, atque ad arterias usque traducat, seu cum istis partibus communicet?

575. Id quidem denego, inquit CULLENIUS, quia de aliis exaninitionibus quod verum est nullo modo de sudoribus potest admitti, tum exigua spectata quantitate medicamenti, quod eos ciet, tum forte perspecta eiusmodi excretionis natura, quae neque a glandulis, neque ab excretoriis earum

ductibus perficitur. Verum quisnam ignorat, quaedam medicamenta, quamdiu in stomacho manent, tamdiu sudorem non elicere, eumque excitare, quando certo temporis spatio exacto sanguini affusa fuisse licet coniicere, aut quaedam quando revera cum caeteris humoribus in circuitum ducta, ac per totum corpus diffusa proprio iam stimulo vasorum fibras proxime percellere manifesta phaenomena declarant? Quisnam rursus potest nescire alia medicamenta non prius sudorem elicere, quam humorum, quos attingunt, conditionem mutaverint, aut alia etiam sudori ciendo paria subesse, etsi summam tantum cutim afficiant, vel ex hac via intacto stomacho ad intimiora ferantur? Profecto qui ista iamdiu experientia constituta non negligat, cavebit, ne quod in uno, aut in altero locum habet genere auxiliorum, quae sudorem movent, id in omnibus aeque obtinere temere concludat.

576. Caussam praeterea non video, ob quam Cullenius crediderit medicamenta nonnisi in stomacho ex eo operari, quod mutari ipsa queant ab iis viribus ventriculi, intestinorumque, quae assumptorum assimilationi prospiciunt, unde si quam actionem eadem medicamina exerant, eam necessario exerere debeant eo temporis momento, quo primo stomachum attingunt, vel antequam a digestionis opere mutentur. Porro si idem ingeniosissimus caeterum Auctor probe sensit, ac saepius docuit, materiem illam a

natura in corporibus inditam, a qua medica eorum virtus pendet, a digestionis potentiis non mutari, eamque vix, ac ne vix quidem affici, quomodo postea animadvertens coctionis vi texturam vegetabilium disrumpi, ac singulas partes evolvi, inde deduxerit medicatis eorum particulis impedimentum opponi, ne ultra stomachum vim suam extendant, ego sane non assequor. Praesertim vero dum considero tam multa suppetere remedia, quae etsi vegetabilia, vix aliquas habent nutritioni aptas particulas dum medicatis abundant, ac fossilia medicamenta nullam nutriendo corpori idoneam materiem erogare, quae proinde queat digestionis potentiis obsequi; dumque una video in ventriculo, atque intestinis patulas vias, quas medicamentorum moleculae facile subeant, ac continuato itinere suis adhuc proprietatibus donatae in sanguinem irruant, atque hac illac ferantur ad salutem.

577. Illud denique, quod ultimo loco adducitur ad actionem plurium medicamentorum in stomacho circumscribendam petitum ab admixtione principiorum, humorumque in eodem viscere haerentium non melius iam allatis rationibus propositam sententiam veritati consentaneam declarat. Enim vero quod de acido, et copioso, et evoluto in humano stomacho traditur observationibus, quas in homine tum ego pluries institui, tum Ill. SPALLANZANIUS suscepit (si morbosi acoris casus excipimus) manifeste repugnat. Hinc

nisi acorem, vel e reliquis ciborum, aut nondum, aut non satis immutatis, vel ex morbo natum alcalica intus delata offendant; ipsa quidem in neutram naturam converti nec possunt, nec revera solent, ut in ea hypothesi fidentissime admittitur.

578. Verum hoc etiam concesso si admitterem alcalica eiusmodi acido saturata mediam indolem in stomacho perpetuo adipisci, eaque sola ratione in humano corpore operari, atque ideo tantum medicamenta existere, quod non mediocrem copiam acidi secum abreperint, quod secus humores, dum componuntur, una recepissent; non possem tamen iudicare remediorum mediam naturam habentium actionem tam angustis limitibus coerceri. Ulterius siquidem progredi, in sanguinem defferri, ac, quin sub hoc itinere suas exuant proprietates, vim suam diffundere per vasa in totum corpus, atque hac etiam ratione salutares suos effectus edere ratio, atque experientia evincunt.

579. Si itaque non omnis medicamentorum actio in stomacho, innexisque intestinis quaerenda est, licet plerumque insignis existat, ac maior generatim sit, quam in caeteris partibus appareat, cavendum est ne, qui istis debentur effectus uni stomacho temere referantur; quemadmodum ii solent, qui censent, quam paucissima occurrere medicamenta, quae in sanguinem veniant, aut integris saltem viribus in eum irruant. Contrarium quippe constituendum esse, ac revera

affirmandum omnibus medicamentis generatim viam patere, qua sanguini affundantur, atque in eodem affusa universas corporis partes pervadant, suasque vires pro varia eorum natura, modo in uno tantum loco, modo in omnibus exerant, tam multa sunt, quae ostendunt, ut otio abutentis videri posset in hac quaestione immorari, nisi summi quidam in Arte Viri olim crediderint, atque inter eos quidam adhuc crederent plerisque medicamentis vetitum iter in sanguinem a natura fuisse.

580. Quam multa porro non suppetunt rationum momenta, quae manifeste demonstrant medicamina in sanguinem ingredi ex iis petita, quae singula eorum genera assumpta procreant, quaeque Medicos generatim non latent? Praetereo, quae desumi solent a manifesta quorundam evacuantium remediorum actione, quae ideo aut salivam movent, aut urinam expellunt, quia organis, quae utramque secretionem, excretionemque praestant, revera admoventur. Mitto quam plurium alterantium medicamentorum effectus, qui dum ostendunt eorum virtute fluidarum, solidarumque partium conditionem mutatam fuisse, eisdemque pristinam integritatem restitutam, quin ulla acciderit particularum a naturae ordine aberrantium excretio, non obscure declarant, eadem medicamenta intimius delata ea loca, eosque humores attigisse, e quibus vitium aliquod erat provida emendatione adimendum. Reticeo denique

mutationes non paucas, atque interdum ingentes in sanguinis motu, atque in universis functionibus a quibusdam pharmacis fieri, quae proprie explicari, atque intelligi nequeunt, nisi haec in sanguinem sibi aditum aperuisse, ac totum vere corpus permeasse existimentur. Praesto siquidem sunt, quamquam ista negligantur, tutiora adhuc argumenta, quibus medicaminum ingressum in sanguinem, atque una cum humoribus per quaelibet loca circuitum, eorumque modo in una, modo in altera parte, modo in omni proximam actionem clarius, et certius quisque constituat.

581. Propius autem evincunt, rem ita se habere mutationes sensibus perviae, quas non pauca remedia inferunt variis humoribus e sanguine proxime secerni solitis, quatenus cum istis suas qualitates, et vires tam evidenter communicant, ut ipsi deinde excreti, quas a mixtione novas proprietates acceperunt, adhuc retineant, ac manifestis signis patefaciant. Eiusmodi sane tutissimum indicium praebet halitus volatilium quorundam medicaminum, ac speciatim *Moschi*, vel diu, vel abunde assumpti, qui e cute erumpit, ac lintea, et vestes quibus obvelatur corpus facile inficit, ut non raro vidi; praebet *Rhei palmati* radix, quam ingestam odore, et colore suo manantem sudorem, atque una tunicas carni adhaerentes imbuisse MENTZELIUS, TILLINGIUS, aliique observarunt, imo urinam rufam reddere, seu rubro, qui

ad luteum declinet, colore tingere passim experimur; praebet foetor cum sudore ex eorum corporibus, quibus *cetaceorum oleum* curationis caussa fuit exhibitum, exhalans, qui, animadvertente Ill. PERCIVALIO (*a*), quo magis ingrato olei odori, nempe corrupti piscis, respondet, ac validior est, eo certius indicat haustum remediorum profuturum; praebet rursus urina, quae ab *Asparagi officinalis* turionibus ingestis singulari prope foetore imbuitur, quemadmodum alienum halitum spirat ex vegetabilibus aliis, quae singillatim persequi nimium esset.

582. Praeter haec vero nonne medicamina in sanguinem venire, cum eo intime commisceri, ac penitiora quaeque pervadere, quin suam virtutem amittant, lac luculenter ostendit, quod ab uberibus nutricis, quae alvum ducens remedium assumpserit, ab infante exsuctum huic ventrem, quemadmodum purgantia solent, interdum movet? Profecto etsi perpetuo non videamus lac principia, et qualitates quorundam remediorum, quibus nutrix usa est, suscipere, atque ita quidem suscipere, ut medicatum evadat, suamque vim in lactentis corpus deducat; id tamen perperam ex eo denegavit CULLENIUS, quod nunquam eiusmodi phaenomenon viderit. Enim vero, quod ipse non observavit, ego non semel vidi, atque alii summae au-

(*a*) Memoirs of the literary and phil. Soc. at Manchester Vol. the third.

ctoritatis Viri observarunt. Possem, nisi oporteret brevitati consulere, quam plura ex istis petita exempla proferre, possem ea adducere, quae ex animalibus, maximeque ex Vaccis, quarum lac quarundam herbarum, quibus victitant, odorem, saporem, aliasque proprietates induit, peti solent; possem rursus ea narrare, quae ad detegendum quousque lac ipsum ab assumptis medicamentis in herbivoris quadrupedibus immutetur, in Capris maxime egi. At cum tempori parcendum sit, hisce modo posthabitis, solum monebo, quod in quibusdam mulieribus, quae lac praebebant, nuper mihi contigit observare a nonnullis medicamentis usurpatis, scilicet lac in tribus foeminis assumpti rhabarbari odorem, saporem, ac vim alvum solventem retulisse, in duabus ex *Manna* abunde ore sumpta adeo purgans factum, ut infanti datum alvi profluvium concitarit, in pluribus ex *Alii sativi* largiori usu eiusdem odoris foeditatem contraxisse, atque in una denique nutrice non exiguam Peruviani corticis copiam sumente tantam eius sapori persimilem amaritiem consequutum fuisse, ut cuique gustanti perspicua esset, tum invisa infanti, qui admota ubera fere refugiebat.

583. Non minori rursus perspicuitate remediorum ingressum in sanguinem ostendit phaenomenon cuique notissimum a MIZALDO primo animadversum, quod *Rubia tinctorum* edit, quodque *Galii* variae species, ut

luteum, *mollugo*, et *aparine*, *Valantia cruciata*, aliaeque fortasse stirpes etiam exhibent. Ex earum enim radicibus pabulo ad aliquot dies admixtis cum animalium ossa roseo colore tingantur, terra ossis potissimum affecta, ac subinde humores ex eisdem soleant proprium colorem mutare, nonne remediorum in sanguinem iter, cum eo mixtionem, moram, et penetrandi vim, cui nec durissima ossium fabrica resistat, luculentius adhuc quisque percipiet?

584. Ne autem dicas ista utique ex animalibus, ac vegetabilibus petita verosimile esse in sanguinem venire cum partibus conflentur, quae nihil, aut parum indole differant ab iis, e quibus humanum corpus componitur, tum quae differunt, nempe medicatas particulas in humoribus solvi, eisdemque admixtas extrema vasculorum oscula subire, atque ulterius progredi posse; non item caetera medicamenta vel ex partibus humanae naturae prorsus dissimilibus coalita, vel admodum acria, vel laedendo corpori paria; ne, inquam, id forte dicas, praesto sunt argumenta, quae haec quoque in sanguinem affundi, atque ad certa, imo ad singula loca intactis viribus pervenire demonstrent. Profecto etsi plane certum credam, quod iamdiu docuit HALLERUS (*a*) villos conctractiles in lacteis vasis occurrere, atque in hoc vasorum

---

(*a*) Op. cit. lib. XXV. p. 234.

genere vim contractilem multo, quam in vasis rubris insit, validiorem esse, imo ad hanc lacteorum irritabilem facultatem cum eo referam, " si eorum ostia acria varia, et „ venenata, et spiritus acidos intestina re- „ plentes non facile ad sanguinem admit- „ tant "; contendo nihilominus ista quoque, quaecumque permissi itineris caussa constituenda sit, suis qualitatibus praedita generatim admittere.

585. Utrumque maxime ostendunt *terebinthina*, *resinae*, et *balsama* dum in os ingesta violae odore, vel alio sibi magis proprio urinam imbuunt, eam praesertim proritant, aliosque edunt in secundis viis suae virtutis effectus; ostendunt *cantharides*, quae sive deglutitae, sive impositae in urinae, ac generationis organa speciatim agunt proximae suae actionis manifestis editis signis; ostendunt ea venena, quae maxime sanguinem afficiunt, atque eum, vel resolvendo, vel cogendo, vel alia ratione corrumpendo exitio sunt, tum illa, quae certas partes, aut ipsa speciatim ossa aggrediuntur, quemadmodum a corrupto tritico singulare virus terram ossibus adimens in se habente evenire dicitur; ostendunt rursus duo maxime *acida*, nempe *sulphuricum*, et *muriaticum* cum illud adhuc acidum e cute erumpere dum scabiem sanat, hoc vero assumptum cauteria, atque ulcera irritare vel ipse CULLENIUS fateatur (*a*);

(*a*) Vol. II. Cap. XII.

ostendunt denique acria nonnulla, quae ad secretoria organa ducuntur sua acredine donata, eaque retenta e corpore prodeunt; quemadmodum *Sodae solutionem* efficere Ill. PERCIVALIUS testatur (*a*) dum monet largiter assumptam urinam alcalicam reddere.

586. Ea rursus medicamenta e fossilibus deprompta, de quorum in sanguinem ingressu magis ambigunt Medici, scilicet mineralium, ac metallorum particulas nondum arte naturam consequutas, qua in humoribus vel facile, vel perfecte solubiles evadant, lactea quoque vasa subire, ad sanguinem delabi, cunctas cum eo partes permeare, atque eas, quas revera attingunt, corrigere, integrasque reddere, tot sunt, quae luculenter significent, ut denegare inconsideratissimae sit temeritatis. Si enim dubites de *Sulphure*, dubitationem omnem abiicies observando sub interno eius usu erumpentem cutis emanationem sulphur redolere, atque argentum colore inficere, imo illius virtute quasdam cutis aegritudines discuti (*b*). Si de *Oxydo hydrargyri sulphurato* tum *nigro*, seu aethiope minerali, tum *rubro* seu cinnabari, tum de *Stybio*, deque variis eius *Oxydis* haereas, facile assenties animadvertendo, quod gravissimi observarunt Medicinae Proceres, quodque ipse non semel,

(*a*) Op. cit,
(*b*) Ibid,

at pluries vidi, ista remedia diu, et copiose in aegris adhibita praestare, nempe interdum salivam movere. Si ambigas de nonnullis aliis, non amplius dubius haerebis reputans animo vel ipsum encausti genus, quod *Oxydum cobalti vitreum* nominant tenuissime tritum ad sanguinem deferri, sicuti ex MURGRAVII periculis in canibus institutis PERCIVALIUS apposite coniecit. Si denique de *Plumbo*, de *Hydrargyro*, ac de aliis metallis, fossilibusque nondum arte multum mutatis in ambiguo sis, eorum effectus respice, qui in singulis corporis partibus se produnt, si ex eisdem ducta remedia tum exterius, tum intrinsecus usurpentur, ac sententiam mutabis.

587. Quae cum ita sint mirari non possum Nuperiores non paucos contendere vetitum iter in sanguinem esse tum *Ferri*, aut *Calybis* suam adhuc metallicam naturam habentis particulis tenuissimis, tum reliquis etiam ex eo petitis remediis, quibus solubilem in humoribus qualitatem concedunt, ac proinde horum omnium actionem stomacho, atque intestinis coerceri, eorumque utilitatem solummodo pendere a robore, quod istis partibus addunt, atque ab earum consensu cum reliquis, quae totum corpus constituunt. Miror profecto hanc sententiam claros quosdam Viros amplexos fuisse, maximeque CULLENIUM. Etsi enim praecipuam Ferri in morbis utilitatem a robore, quod stomacho atque intestinis tribuit, deducam, ac

satis assequar quomodo hisce firmatis partibus reliquae pariter confirmentur; censeo nihilominus eius particulas ad sanguinem quoque traduci, atque eum ingressas non una ratione, nec quidem mediocriter, prodesse, tum speciatim prospicere, ne inducto robori laxitas, atque infirmitas brevi succedant.

588. Porro eas particulas ad sanguinem deferri nec si vellem ullo modo possem denegare, cum eum subire experiundo, atque observando ipse cognoverim. Mitto quae ad Ferri per lactea vasa in sanguinem ingressum demonstrandum protulit HALLERUS; mitto quae ab aliis animadversa sunt, ac praesertim ab iis, qui de viribus, atque usibus disserunt aquarum, quae a Ferro, quod vehunt, potiorem virtutem agnoscunt; mitto etiam, quae adversus WRICHTIUM remedia ex ferro praeparata ad vasa transire negantem pericula in animalibus suscepta possem proferre. Istis enim, quibus forte aliquid non sine veri specie posset opponi, non egeo argumentis, cum viderim quatuor foeminas, quae iam a pluribus diebus Ferri scobem largiter sumebant, ut avocato menstrui sanguinis fluxu ob laxitatem cohibito, ac viribus restitutis convalescerent, urinas reddere, quae Ferrum, nec quidem copia exiguum, consuetis Chemiae rationibus nullo adhibito igne exploratae protinus demitterent.

589. Ex his igitur quid de remediorum in sanguinem itinere sentiendum sit facile potest intelligi, etsi illa negligantur, quae de infantium curationibus praestitis, quoties e nutricibus remedia ipsis accommodata, ac pernecessaria sumentibus medicatissimum lac exsugerent Clinicorum non pauci candore animi, atque artis usu praestantes perhibent. Quae enim hactenus adduxi aperte demonstrant medicamenta pene omnia in sanguinem venire, suisque viribus adhuc praedita generatim venire, quin negotium debeat cuique facessere quod a plerisque dissentiendi caussa proponitur, ideo multa in sanguinem non recipi, quia in humoribus, qui vel in primis, vel in secundis viis praesto sunt, solvi nullo modo possunt. Si enim, inquiunt, in eo consentiunt fere omnes medicamenta non agere nisi soluta, nonne efficacitate carebunt, quae solvi non possunt? Nonne insolubilia suppetunt plura, atque idcirco non pauca, quae sanguinis iter non petunt, aut nullam vim exerunt, aut in stomacho, atque intestinis solummodo operantur?

590. Quaedam sane inter ea, quibus medendi caussa Medici utuntur, praesto esse, quae in stomacho, atque intestinis solvi generatim renuant eo in sensu, quo corpora soluta a Chemicis vocantur, ego nunquam denegabo. Subit enim recordatio eorum, quae ad eiusmodi quaestionem persolvendam olim egi, quaeque ab experimentis, observationibusque deducta alibi mo-

nui (*a*). Memini siquidem me observasse *Oxydum* non unum, nempe *ferri luteum*, *hydrargyri sulphuratum*, tum *nigrum*, tum *rubrum*, *zinci sublimatum*, ac *stibii album nitro confectum valde ablutum*, *Sulphur sublimatum*, ac *Sulphuretum stibii nativum* non solum in gastrico succo ex homine sumpto, sed neque in aliis eius liquoribus primas vias alluentibus, in humore scilicet pancreatico, in entherico, atque in ipsa bile soluta fuisse. Verum ex eiusmodi experimentorum eventu neque tunc arguebar, quod modo quaeritur, vel illa remedia inutilia esse, vel tantum in stomacho, atque intestinis operando prodesse, vel ad sanguinem non perduci; neque nunc quidem arguar cum eorum virtus, in morbis utilitas, atque in sanguinem iter ex iis, quae paullo ante (§. 586.) proposui, ac Medici perhibent, perspicue innotescant.

591. Cum autem manifeste agant, atque in sanguinem veniant illud necessario consequitur vel chemicam remediorum solutionem in humoribus humani corporis non requiri, ut eorum actio se exerat, vel eam, nisi perpetuo, saltem interdum, in primis viis perfici, aut potius in secundis contingere. Si illud dicas, dices profecto, quod ab iis traditur, qui credunt sufficere, ut medica-

(*a*) Ricerche sulla natura ec. del suco gastrico. Cap. VII.

menta, quae perfecte solvi nequeunt eam habeant tenuitatem, proprietatemque; qua humoribus admixta, adiuncta, atque, ut dicunt, aggregata instar olei ob interpositam mucaginem cum aqua uniti, per lymphatica, aut lactea vasa in sanguinem advehantur. Si vero alterum mavis defendere, cum aliis credas, quae in stomachi, atque intestinorum succis adhuc integris solvi non possunt, solvi, ubi acido, vel alcali, vel alio principio, sicuti interdum accidit, una suscepto iidem succi novam indolem assumpserint, vel eorum solutionem aliis modis perfici. Docent siquidem tunc solutionem ab humoribus in sanguine haerentibus fieri, vel ab aliis caussis originem ducere, quae sive in stomacho, atque intestinis, sive in reliquis partibus medicamenta ita resolvant, ut novam iam naturam consequuta solutionem non amplius respuant.

592. Neque a stomacho, atque ab intestinis tenuibus una est via, qua remediis patet aditus in sanguinem. Nam, ut mittam in alvum infusa a lacteis vasculis, quae in crassis quoque intestinis occurrunt, resorpta ad sanguinea vasa deferri, pleraque etiam medicamenta externe adhibita summam cutim ita permeant, ut ad eadem vasa, ad cor, atque ex eo ad singulas corporis partes deducantur non sine magno interdum effectu, atque insigni aegrorum commodo. Nonne enim ex iis periculis, tutissimisque rationum momentis, quae ad cutis inhalationem neque

Hippocrati, neque Galeno, neque vetustioribus aliis Medicis incognitam certius demonstrandam una complexus est Vir magni nominis Hallerus, exploratissimum est, tenuiores medicamentorum particulas obvia ubique in cute, ac satis patula resorbentia vasa, quae etiam laxari, ac constringi possunt, facile subire, ex istis ad sanguinem usque meare, ac per totum corpus diduci? Quae sane vascula ex lymphaticorum genere in cute pervia tenuem ex aere humorem resorbent, aliaque ex eo principia singulari quadam affinitatis lege attrahunt, impositorum quoque medicaminum moleculas abripiunt, ulterius vehunt, atque ad intimiora modo lente, modo prompte deferunt.

593. Nec pauca quidem credas per hanc viam ad sanguinem deferri ex eo, quod nonnulli arbitrantur effectus, quos pharmaca cuti imposita excitant, a proxima eorum actione in ipsum cutis organum ob copiam nervorum exquisito sensu donatum generatim profisci, non ab eorum particulis ad sanguinem delatis. Profecto non denego quorundam pharmacorum effectus priori potius modo, quam altero rectius explicari, praesertim cum insignis sit inter cutim, atque intimiores quasdam partes consensus a nervis, ne de ipsa loquar vasorum communicatione, quam lymphaticorum fabrica praestat. Satis equidem intelligo ex proxime affectis nervis, qui ad oculum pertinent, quomodo foliis *Atropae belladonnae* ei applicitis pupilla prius dilatata,

ac dein amaurosis fuerit consequuta, ut Medici perhibent. Satis item assequor ex ipsa fibrillarum, quae in cute sunt, nervearum affectione quomodo *Aconiti napelli* fascicula puellarum sinibus imposita summum virium languorem intulerint, quemadmodum post VIRIDETUM se observasse SCOPOLIUS fassus est. Satis denique explico, ne caetera persequar, a miro consensu, quem nervi cutis, ac speciatim inferiorum artuum, et pedum habent cum iis, qui intestina reptant, quomodo abdomini, aut plantis pedum vel glacies imposita, vel quodpiam aliud corpus admotum ad subitam, atque ingentem mutationem inferrendam idoneum eadem intestina ad deiciendum sollicitet.

594. Ista sane ab alterutra, quam posui, caussa facile et tuto deduco; sed interim reliquas mutationes, quas imposita pleraque medicamina inferunt ab eorum in sanguinem ingressu, ac proxima in ipsum actione aequiori iure derivandas esse contendo. Id quippe volunt, dicam cum HALLERO (*a*) „effectus manifesti medicamentorum cuti ap„plicatorum, vaporum, mercurii, terebinthi„nae, croci, aquae in balneis, emplastrorum, „quae argentum vivum recipiunt, aut nicotia„nam, colocynthidem, opium, cantharides, ar„senicum, venenorum per cutem resorptorum „funesta efficacia, etc. Volunt id quae de *Oxydo*

(*a*) Prim. Lin. Physiol. §. 442.

Stibii sulphurato semi-vitreo, aliisque *Oxydis* acceptimus, quae externe apta methodo usurpata vomitum concitarunt, quemque moverunt *Hellebori albi* recentes radices epigastrio applicitae, quae de ungentis quibusdam, ac speciatim de *Arthanita* impositis ventri novimus, quibus alvum in infantibus; et pueris crebro duxisse Clinicorum non pauci fatentur. Volunt quae de utilitate quorundam remediorum ad vermes enecandos ubi imponantur infantis ventri gravissimi Medici tradunt. Id rursus volunt remedia alia, ac presertim *Oleum cajeput*, quod plantae pedis affrictum ori saporem suum reddere SCHWENKIUS vidit; *Alii sativi* radix, quam corpori applicitam oris halitum foedare post caeteros PERCIVALIUS (*a*) tradit; atque ipsa *Terebinthina*, quam manibus contrectatam urinam violae odore imbuere KAAWIUS testatur (*b*). Id denique volunt, ut unum tantum in multa copia similium ad venena pertinentium deligam, quae de damnis a Fuco *ex Oxydo plumbi* illatis Caesar. Chiriatr. Comes Ill. Eques BRAMBILLA, paralysi, colicis doloribus, convulsionibus, ac morte diutinum eius usum consequutis consulto animadvertit, quaeque idem PERCIVALIUS retulit (*c*) ex Ill. WALLII fide de colicis doloribus cum febre coniunctis

---

(*a*) Op. cit.
(*b*) HALLER op. cit. lib. XII. p. 85.
(*c*) On the poison of lead. p. 126.

nervorumque distentionibus in tenero admodum puero observatis, qui nudis pedibus super *Plumbi* laminas non satis post fusionem refrigeratas incedere consueverat.

595. Quemadmodum vero inhalantia cutis vasa tenues medicaminum particulas resorbent nonne licebit fidenter affirmare ab ipsis etiam pulmonibus si quando cum aere subtilissimae eorum moleculae ad bronchia deferantur, praesertim quae sub specie vaporis consistunt, progredi ex eiusmodi viscere ad sanguinem? Cum pulmonum extimae partes a cutis fabrica natura non differant, atque inhalantibus vasculis non careant nuperrimis utique assentimur Scriptoribus, qui eiusmodi remediorum vaporis aut tenuitatem, aut naturam habentium ingressum per eiusmodi quoque viam ad sanguinea vasa et rationi, et experientiae consentaneum iudicant. Eo enim modo quo effusa in cavo pectoris lympha, aut alius humor ab eisdem vasculis interdum resorbetur, quae aliunde cum aere advenerint pariter resorberi quid vetat? Quid quod uno, aut alio potius modo mutatae medicamentorum moleculae eadem vasa subeant?

596. Aliam ulterius viam patere medicamentis, qua in sanguinem advehantur, ubi scilicet per uretram idoneo instrumento infusa ad vesicam deducta sint, quemadmodum in singularium morborum curationibus perfici interdum solet, nemo est, qui ignoret, ne dicam modo in quibusdam Chirurgicis administrationibus in cava humani corporis ob vulnus aut

casu, aut arte reserata medicatos liquores iniectos resorberi, atque in sanguinem irruere. Sunt enim vero in vesicae interiori facie, suntque in caeteris corporis cavis locis inhalantium vasorum patula oscula, quae liquoribus, nec quidem tenuioribus, resorbendis cum paria existant eos ad communem humorum fontem summa interdum promptitudine traducant.

597. Licet autem natura tum ab internis, cum ab externis partibus viam paraverit, quam medicamenta ingrederentur, ut ad sanguinem venirent, suasque vires per singula loca circuitus ope diducerent, non defuerunt nihilominus Viri, qui valetudinis certius restituendae, ac vitae diuturnioris efficiendae studio permoti novas tentare rationes, novosque arte comparare aditus sibi proponerent, per quos medicamina ocyus sanguinem attingerent, eumque proximius, et virium suarum integritate plane servata validius afficerent. Quod scilicet accidere in brutis animalibus sine ullo interdum vitae discrimine a quibusdam pharmacis in venas instillatis animadverterant idem plane, imo longe utilius, et tutius eventurum coniecerunt in aegris hominibus ab eiusmodi remediorum administratione prudenter, atque opportune instituta. Nec defuere qui, sin minus proximam in venas reseratas medicaminum infusionem et vacuam periculo, et proficuam admodum crederent, saltem tutam, utilissimamque iudicarent quorundam, quae copia etiam exigua

insignes edunt effectus, insitionem sub cute idonea ratione peractam.

598. Porro ab alterutra medendi methodo quam multa Medicorum quidam sibi non pollicebantur, cum in eam profunda cogitatione defixi singulas eiusdem utilitates, atque usus coniectando perquirerent? Hisce curandi rationibus quidam morborum quorundam semina destrui posse antequam evolverentur, quidam proserpentes iam aegritudines aliquas protinus discuti, quidam certo eas curari, quae aliis modis immedicabiles essent, quidam demum naturale hominis decrementum retardari, atque una quam longissimam eius vitam effici posse suspicati fuerunt. Enim vero, inquiunt, si variolarum, aut morbillorum virus cuti insitum singulare aegritudinis genus sanissimo homini infert cur ei laboranti pharmacum aliquod pari ratione inditum proficere non poterit mature usurpatum, atque ex veneno suscepto vel instantis, vel se iam evolventis mali antidotum, vel absolutorium evadere? Si in sanguinem instillata, vel sub cute inserta, quorundam praesestim animalium venena humanum corpus pessime immutant, ac vitam adimunt, cur quaedam medicamenta ita adhibita salutares mutationes non procreabunt, et vitam labantem pristinae integritati non restituent? Nonne de quibusdam venenis ex animalium classe petitis iam constat ad eorum enervandum virus, atque omnino infringendum nil esse potentius quam aliquod pharmacum in ipsum

vulnus, in quod animal lethi causam infudit, propere demissum?

599. Num etiam hoc modo, addunt, singulares medicinae detegi possent, quae dum minima corporis vascula intactis plane viribus permeando, atque ubique se se adigendo composito humorum motu, atque illorum fluviditate aeque servata, aut reddita, itemque fibris mollitie restituta, terrae collectionem in solidis partibus retardarent, aut eiusdem excessum iam ortum tollerent, unde sensilitatis, atque irritabillitatis decrementum ad insigne tempus praepedirent? Nonne, quod, ut alibi monui (§. 87.) virus e tritico, *Ergot* nuncupatum efficit terram ex ossibus adimens tutius quaedam pharmaca praestarent? Huius porro, aliarumque caussarum, quae ad praecocem interitum paullatim nos ducunt, effectibus pro corporis necessitate cohibitis num homo posset suam diutius curare valetudinem, suaeque vitae curriculum in longius protrahere?

600. Qui in rerum contemplatione fervidae imaginationi nimium indulgent in haec quasi nescientes ita abripi solent, ut ipsis plane vera, ac tuta videantur, quae vel tantum aliqua ex parte consentanea sunt veritati, vel experientiae adversantur. Quamquam enim verosimile sit suspicari, medicaminum quorundam sub cute inditorum vim interdum magnam futuram, quemadmodum ad *Colubris beri*, seu viperae nostratis virus penitus infringendum *Potassa fusa* sic adhibita in experi-

mentis Ill. FONTANAE (a) summam habuit, ac quaedam alia adversus nonnulla venena habere dicuntur; attamen nimia adhuc laboramus similium observationum inopia, ut quisque possit hanc medendi rationem multi usus arbitrari. Maxime vero cum ex fausto eiusdem eventu nequeat constitui, quod nunc est in quaestione, tutius nempe, atque utilius per hanc viam pharmaca sanguinem ingredi. Quae enim cuti intromissa, aut vulneribus inflictis imposita profuerunt dempta venenis contage, ac nocendi potestate, non ideo futuras aerumnas prohibuere, aut praesentissimam incipientis mali medelam attulere, quod in sanguinem irruerant; sed quod in cute, aut in vulnere, proximisque huius partibus haerens adhuc virus ad nocendum impar sua virtute reddiderunt.

601. Ad medicaminum vero iniectionem quod attinet in venas aegrorum post illa, quae alio fine de ea, sive in animalibus, sive in homine suscepta superius monui (§. 538. 539.) vix oportet dicere hoc medendi genus tam plenum discriminis esse, ut ab eo prorsus debeat prudens Artifex abstinere, etiam cum conclamatum est, ne videatur occidisse, quem ipsius sors interemit, ipsamque artem in criminationem adducat non caedem, sed sanitatem molientem. Interim cum etiam post ea, quae ad huius medendi rationis olim propo-

---

(a) Sur le poisons T. 2. supplément.

sitae, atque interdum adhibitae inutilitatem, atque perniciem demonstrandam Medicinae Proceres adversus ETMULLERUM, aliosque proposuerunt, non defuerint hac aetate, qui eam quandoque convenire crediderint, imo REGNAUDOTIUS ausus fuerit non proponere modo, sed etiam instituere, mei muneris est, monere nunquam esse amplectendam. Etsi enim aegri, in quibus experimenta sua idem Auctor egit, variis medicamentis in medianam brachii venam iniectis, nempe infusu foliorum *Cassiae Sennae*, decoctu ligni *Guaiaci officinalis*, remediis alvum ducentibus, aliisque lenioribus rebus instillatis, mortem non occubuerunt, ea tamen passi sunt mala, vomitus scilicet, tormina ventris, vehementes alvi fluxus, acerbos capitis dolores, horrorem, sat magnum frigus, ac validam febrim, quae gravem intulisse laesionem, ac vitae metum iniecisse perspicue significant (*a*).

602. Quae cum ita sint quisnam tam anceps, ac nocuum voluerit experiundi genus unquam suscipere? Quis cum REGNAUDOTIO arbitrari tunc saltem utile, ac tutum futurum, quando febrim excitare oportet, aut ob vim stomachi fractam, atque ob asphyxiam expediat valido stimulo irritabiles fibras ad contractionem adhibere? Nonne enim tunc suppetunt alia, quae aegris sine ullo salutis detrimento, ac sine ullo vitae metu subveniant? Equidem nollem unquam, dicam cum

---

(*a*) Op. cit. T. II. p. 250.

cum HALLERO (*a*), „ob haec experimenta
„novam medicinae faciendae viam ingredi,
„etsi suasor non dee-t, et in praecipiti casu
„a morsu venenatae bestiae, forte celerius
„aegro, subveniri possit, quam per longas
„ventriculi, intestinorum, et lacteorum va-
„sorum ambages. Nimis enim multa nobis
„experimenta facienda, et cum periculo
„coniuncta supersunt, donec dosium veros
„fines, et remediorum immediate in sangui-
„nem missorum innocentiam ea cum certitu-
„dine teneamus, quae in re seria, vitamque
„mortalium tangente requiritur. Multa enim
„absque incommodo ventriculo traduntur,
„quae non absque pernicie sanguini miscen-
„tur.

603. Caeterum quocumque modo humano corpori medicamenta admoveantur aliam actionem exerunt cuti imposita, aliam in stomachum atque intestina demissa, aliam ad sanguinea vasa delata. Perinde siquidem non est si uni potius, quam alteri corporis parti applicita sint, si eam proxime attingant, vel ob alterius consensum afficiant, ac rursus si una potius via ad organa, aut ad viscera, quae mutatione indigent, quam alia ferantur. Nonnulla quippe sunt, quae in oculum illapsa eum valide stimulant, inflammant, ac laedunt, in os vero indita, atque ad stomachum adhuc integra deducta, hunc nullo modo com-

(*a*) Op. cit. lib. III. §. XIV.

commovent, dum vicissim alia eiusmodi viscus plurimum stimulant, quae oculo admota nullam irritationem, nullamque molestiam ei solent inferre. Sunt medicamenta, quae omnem eorum efficacitatem in primis viis ostendunt, eamque ita insumunt, ut ad communem humorum fontem, aut ad diversa organa postea traducta vix non inutilia, aut etiam plane inertia fiant. Sunt quae sanguineis vasis recepta, singulis partibus fere intactis, in una tantum suam virtutem impendant. Sunt pariter alia pharmaca, licet simplicia, quae modo cutim, modo stomachum, modo alvum, modo urinae organa, modo alias partes ad excretionem sollicitant, vel saltem quae aegris utilem opem praestant, nunc valida ex iisdem partibus excretione promota, nunc admodum exigua, aut nulla etiam excitata. Sunt demum, quae certius agunt in alvum infusa, quam ore assumpta, aut quae utilius uni, quam alteri corporis sedi imponuntur.

604. Ista sane discrimina in medicamentorum actione occurrere iamdiu compertum est, diuque de eorum caussis inter Medicos quaesitum. Frustra tamen quaesitum fuit, donec Nuperiores eadem deducere, atque explicare tentaverint a singulari quadam proprietate affinitatis nomine designata, quam medicamenta, eorumque moleculae habent cum humani corporis solidis, et fluidis partibus, earumque principiis. Cum enim animadverterint, reiectis etiam absurdis veterum

quorundam Chemicorum hypothesibus, affirmandum esse in humani corporis functionibus affinitatis vim, ob quam solidae, fluidaeque particulae se attingentes in mutuos amplexus ruunt, atque intime consociantur, ex plurimis tum secundae, tum adversae valetudinis phaenomenis declarari; voluerunt quoque in medicamentorum actione eam non parum sibi vindicare; ac proinde caeteris caussis, ob quas eadem agunt, et prosunt, singularem hanc attractionis speciem necessario accensendam esse docuerunt. A principiorum siquidem medicamentis inhaerentium affinitate in actum deducta, eorumque nisu in proximas solidarum particularum, atque in humorum moleculas, atque ab istarum renixu nunc valido, nunc remissiori facile explicant quomodo hisce motibus vitae vires perculsae, atque excitatae mutationes, modo in quibusdam, modo in singulis partibus, inferant, quae promptitudine, magnitudine, ac varietate mirae prorsus videntur, prope ingentes, atque ad sanitatem restituendam accommodatissimae. Has autem mutationes, quas coniectura facile prospici posse ex chemica remediorum affinitate arbitrantur, huic revera caussae tribuendas esse ab iis rursus effectibus luculenter demonstrari contendunt, quos quaedam medicamentorum genera excitant, tum cuti imposita, tum in primis viis recepta, tum sanguini affusa, atque cum eo in circuitum ducta. Hinc concludunt non solum, inter principia alibi proposita (n. 560. 561.),

a quibus agendi vim medicamina accipiunt, affinitatem esse recensendam, sed ab eiusmodi virtute praecipuos, ac potiores eorum effectus proficisci.

605. Nimius vero essem si singulos vellem casus proferre, in quibus allatum actionis principium in medicamentis se prodere asserunt ii praesertim Chemiae Scriptores, qui caeteris caussis neglectis omnem fere vim, omnemque eorum efficacitatem a chemicis proprietatibus explicant; quemadmodum nimius essem si vellem ea in medium adducere, quae ad eiusmodi opinionem evertendam alii animadvertunt, ac maxime qui credunt, affinitate reiecta, mutationem omnem, quam medicamenta praestaut, simplici admodum actione perfici. Ex eo enim proficisci existimant, quod remedia vel novos humano corpori stimulos inferant, vel iam existentes alienos, et noxios a morbidis caussis illatos, vel nimium evolutos retundant, removeant, aut destruant. Est porro in utraque sententia nimium hypotheseos studium, ac nimia contradicendi voluptas, aut obsistendi pervicacia, ut ego queam alterutri plane subsribere. In priori siquidem temere reiiciuntur, aut parvi fiunt physicae caussae medicamentis inhaerentes, quae remedia ad agendum determinant, quorum sane, ut iam evici (§. 560. 561.) actio evidens, ac saepe magna est. Item perperam denegatur illarum caussarum vi ita excuti, atque affici posse vitae vires, ut eos interdum edant effectus, quos ipsi

uni affinitati plane adscribunt. In ea praeterea non satis plerumque solet perpendi quantum iis etiam in casibus, in quibus affinitatis caussa enitere videtur, eadem actio a viribus, atque actionibus humani corporis moderetur, atque infringatur, vel contra alias incitetur, atque augeatur.

606. In altera autem sententia fidenter nimis asseritur medicamenta, spectata agendi ratione, ad duo summa genera, stimulantia scilicet, ac sedantia posse revocari, imo quae sedantia sunt, suo pariter stimulo non destitui, atque ideo irritationes morbi vi excitatas removere, atque insolitos, abnormes, ac noxios motus compescere, quia irritationi existenti contraria inducta, vel aliis stimulatis partibus, vel stimuli praesentis potentia aucta, sensuum, viriumque incremento, vigori, atque effreni motui imminutio, infirmitas, inertia, requies, aut naturalis ordo succedunt. Id enim hypothesim plane sapit, nec generatim cum veritate consentit a stimulo omnium remediorum vires, ac singulos eorum effectus derivare etiam si cum quibusdam admittatur multiplex illius discrimen, imo tot eiusdem stimuli indole, vi, atque agendi modo, et gradu dissimilis constituantur species, quot medicamentorum, sive alterantium, sive evacuantium genera suppetunt. Etenim hoc etiam admisso, quod generatim verum non est, plura sunt, quae assequi non possunt, et prospicua non fit actio remediorum. In ea denique opinione perperam omnis in

humanum corpus denegatur actio affinitati, atque ea speciatim in medicamentorum effectibus locum non habere decernitur.

607. Etsi enim velim suis limitibus conclusam huius virtutis potestatem, dum medicamentorum agendi rationem, et caussas perquiro, neque ei referendam esse salutarem mutationem, quae aliis eorum principiis ad agendum aptissimis, compertisque viribus debetur, verosimillimum tamen, ac certum arbitror generatim affinitate quoque sua agere remedia, interdum ab ea omnem suam efficacitatem mutuari, quemadmodum suis locis dicam, atque eam medicatis particulis inhaerentem, ac multis edendis effectibus parem, quam maxime prospici a mutationibus, quas in humano corpore non pauca pharmaca subeunt. A qua enim caussa, nisi ab eiusmodi affinitate, quaedam medicamenta ita possunt in humano corpore mutari, ut in uno eius loco necessarias exuant proprietates atque aliam indolem, aliam formam, aliam vim acquirant, in altero vero hisce relictis pristinam naturam, formam, et facultatem recuperent? Si ob hanc vim caetera corpora istis mutationibus obnoxia fiunt, cur non aeque medicamenta?

608. Mutari porro quaedam medicamenta, tum in primis viis, tum in sanguine, atque interdum idem remedium unam mutationem in stomacho, aliam in sanguineis vasis subire iamdiu compertum est. Eiusmodi vero mutationis vi quaedam medicamina

resoluta, atque in aliud plane corpus conversa novam medendi vim acquirere, nunc quam ante habebant, ac secus edidissent, prorsus exuere, est pariter iamdudum evictum. Nonnulla item pharmaca quarundam caussarum actione aut in stomacho, aut in sanguine penitus resolvi, ac nihilominus cum e corpore multiplici via secedunt pristinae compositioni, ac naturae restitui est iampridem observationibus Medicorum constitutum. Interea mutationes istas penitius investigarunt nuperiores Chemici, cum eisdem obnoxia esse medicamenta ob affinitatem (quam *electivam*, aut *compositionis* vocant) coniecissent, acriterque defendant. Phaenomena sane, quae praesto sunt ex *Carbonate magnesiae* ubi acidum in primis viis offendat, quae *Acidi potus* cum bile suscitant, quae ex *Acidis fossilibus*, tum in primis cum in secundis viis nascuntur, quae *Sulphur sublimatum* exhibet, quae *Oxyda* ex variis sumpta metallibus sistunt, quae demum interne, atque extrinsecus adhibita quaedam remedia edunt, PERCIVALIO potissimum observante (*a*), luculenter significant affinitatis vi nonnulla medicamenta resolvi, ac quaedam resoluta restitui, aut alio iterum modo componi.

609. Sed nec melius, nec clarius allatas mutationes prospici contendunt, quam spectatis effectibus *Hydrargyri*. Cum enim plura sua-

---

(*a*) Op. cit.

deant, sive per lymphatica resorbentia cutis vascula intromittatur, sive ore assumptum per lactea ad sanguinem transeat, utroque in casu eadem vasa *in statu calcis*, ut dicunt, subire, necessarium censent, ut ante eiusdem ingressum conditionem, quam per se non habet, a corporis viribus acquirat. Acquirere autem in primis viis, etiam ubi metallicam adhuc formam habens ad eas pervenerit, ex eo praesertim arguunt, quod ipsum licet purum, et nullo modo mutatum ad plures uncias in os ingestum, ut pondere suo in Ileo, aliisque morbis, sicuti olim passim fieri consueverat, auxilio esset, ea subinde praestiterit, quae eius in sanguinem transitum significarent, ac salivam interdum concitaverit. Quod quidem phaenomenon ab aliis animadversum mihi quoque contigit in duobus aegris observasse, quorum unus ad Ilei sanationem, alter ad curam crebri, ac diutini vomitus, cum *Argentum vivum* ex cuiusdam non ignobilis Medici consilio unciatim assumpsisset, copiosum salivae fluxum post aliquot dies passus est. Tunc siquidem in stomacho, atque intestinis hydrargyro accidit ex glandularum muco, quod *Gummi arabicum* praestat in illa hydrargyri praeparatione, quam eius inventor Ill. PLENKIUS *Mercurium gummosum* appellavit, vel, quod probabilius aliis videtur, a *gasticis fluidis*, aliisve principiis novas proprietates, novamque naturam adipiscitur.

610. Hac ratione hydrargyrum, quo ad chemicas proprietates mutatum dum e lym-

phaticis, aut lacteis vasculis ad thoracicum ductum fertur, ac sanguini dein affusum in circuitum ducitur sub utroque itinere mutationes alias subire, donec inter agendum, ac cunctos corporis amphractus pervadendum ad pristinam naturam accedat, imo metalli formam, priorem indolem, atque omnes sibi proprias, ac necessarias qualitates recuperet, Medicorum observata perspicue declarant. Quoties enim sub largiori, diuque continuato hydrargyri usu animadversum non est nummum ore receptum, aut cuti admotum idem ostendisse metallum (*a*)? Quoties *vivi mercurii* globuli in ossium cellulis, atque in perinaeo visi non sunt a gravissimis Auctoribus, quos HALLERUS (*b*), et PERCIVALIUS (*c*) speciatim indicant? Nonne vel nuper in tuberculo, quod post *hydrargyrosim* in gena sinistra nobilis cuiusdam Viri eruperat, exciso mercurii vivi guttulam, eamque satis insignem Ill. CALDANIUS reperit (*d*)? Haec sane restitutum pristinae naturae, et proprietatibus hydrargyrum virium vitalium actione demonstrant; atque una ostendunt in humano corpore medicamenta quaedam vi affinitatis iis mutationibus obnoxia fieri, ut queant et in integrum resolvi, et resoluta iterum restitui.

611. Caeterum ne credas resolutum hydrargyrum perpetuo restitui, imo ut affirmes

---

(*a*) Lib. XII. p. 85. 86. (*b*) Loc. cit.
(*c*) Op. cit. (*d*) Instit. Physiol. pag. 78.

quaedam remedia, ac speciatim ex hydrargyro petita tum intus, tum extrinsecus adhibita eo modo resolvi, ut nullum sensibus manifestum naturalium proprietatum, suaeque praesentiae indicium praebeant postquam vitae vires passa sint, faciunt imprimis observata atque experimenta, quae ipse tredecim ab hinc annis institui in iis, qui ad syphilidem vincendam hydrargyro interne, externeve utebantur. Etsi enim medicinam faciens quibusdam aegris, qui ex prava curationis methodo non minus syphilide, quam illatis ab hydrargyrosi incommodis laborabant, maximeque salivae profluvio viderim semel argenteum nummum diu ore detentum nigrescere, ac pluries observaverim in tribus ossium carie affectis argentaeum vas, quo excipiebatur saliva, nigris hinc illinc maculis subinde foedari: tamen in nullo alio aegro, cui ego medicinam feci (quam plurimis autem feci) simile phaenomenon vidi. Quin imo syphiliticorum, qui hydrargyro utebantur salivam abunde excitam quoties chemicis rationibus exploravi, toties in ea nullum latentis hydrargyri indicium potui detegere. Neque ipse quidem detexit Cl. MARABELLIUS cum olim meo consilio eiusmodi pericula iterasset, tum nuper nova etiam suscepisset in saliva, in urina, aliisque excretis eorum, qui syphilide occupati mercurio curationis caussa utebantur (*a*). Quae quidem cum manifeste evin-

(*a*) Bibl. Med. Chirurg. T. I. P. IV. p. 715.

cant hydrargyrum ita resolvi, ut non solum deinde non restituatur, quod interdum vidi (§. 610.) evenire, sed plane evanescat; nonne licebit inferre corporis viribus idem remedium penitus dissolvi, aut speciatim a syphylitico viru plane transmutari? Quod autem accidit hydrargyro nonne idem remediis aliis evenire coniectabimus, atque interdum eadem nonne penitus inverti dicemus?

612. Tam magnas igitur mutationes medicamenta cum interdum subeant; cum arte, ac maxime humorum, qui in universo corpore sunt, admixtione divisa, ac nunc imperfecte, nunc plane, et vere soluta fluidas, solidasque partes attingant; cum interne assumpta, aut extrinsecus imposita non solum in primis viis, aut in cutis organo, aliisve partibus, quibus proxime admoventur, actionem suam exerant, sed ope consensus ad penitiores quasque extendant; cum maiorem efficacitatem, novamque interdum vim, non raro insignem, ideo explicent, quod multiplici via lymphatica, et sanguinea vasa ingressa intima quaeque, abditaque pervadant modo propriis viribus retentis, modo aliis etiam assumptis; cum nunc superfluas, et nocuas particulas educendo, nunc eas mutando, et corrigendo, quin ullam sensibus manifestam exinanitionem moliantur, salutares edant effectus; cum pro varia corporis sede, ad quam potissimum feruntur, ac pro varia parte, quam maxime afficiunt, dissimilia praestent: nonne pronum erit cuique assequi quomodo

medicamenta provido naturae consilio nobis praestita, aut arte invecta ita sint comparata ut infinitam pene actionis, quo ad vim, gradum, tempus, locum, effectum, et modum dissimilitudinem exhibeant?

613. Eadem praeterea medicamenta cum non unum habeant actionis principium, sed multiplex tum a physicis eorum proprietatibus, tum a chemicis eorum viribus ortum; cum horum quodlibet principium per se sumptum ad valide agendum idoneum sit; cum aptius longe evadat ubi reliquorum viribus adiunctis suam explicet efficacitatem; cum omnium vis una coniuncta ad utilem praestandam mutationem non raro conspiret: facile assequimur quî fiat, ut eadem principia humani corporis partibus applicita, cum ipsis admoventur medicamenta, in eas vim faciant, ac nunc simplici, nunc multiplici impulsu, et nunc leni, nunc valida actione pluribus modis easdem immutent, quo ad formam, cohaesionem, compositionem, indolem, affinitatem, motum, aliasque dotes, et conditiones, quas in fluidis, solidisque partibus, ex quibus humanum corpus conflatur, naturales, aut possibiles novimus.

614. Agentibus siquidem medicamentorum principiis in partes eiusmodi hae sane propria forma, gravitate, cohaesione, densitate, ac contractilitate praeditae, insitis sensilitatis, atque irritabilitatis viribus donatae, atque affinitate, aliisque proprietatibus non destitutae non poterunt sane non illorum

actioni plus, minusve reniti. Prae caeteris autem debebunt necessario reniti musculares fibrae, ac maxime nerveae, quas natura singularibus viribus insignivit, ut motibus sensibusque prospicerent. Erit quidem magna vis ab irritabilitate sive cum nervis insita facultate conspiret, sive per se agat, ut interdum evenire censeo cum multis innixus rationibus nequeam eandem vim, ut quidam Cl. Viri opinantur, cum sensilitate confundere, atque ab ea natura distinctam esse contendam. Erit maxima sane virtus a nervorum, ac cerebri viribus, quarum in humanum corpus late patet imperium, etsi non omnes velim remediorum effectus cum nuperrimis quibusdam Auctoribus a proxima, atque unica nervosi systematis actione perpetuo derivare. Erit denique non exigua forte potentia ab illo electrico principio, quod in animalibus, atque in homine, nobilissimo sane inventu, nuperrime detexit Ill. GALVANIUS (*a*), etsi videatur ex experimentis ab Ill. Collega VOLTA mecum susceptis principium eiusmodi motibus praesertim prospicere earum partium, quae voluntatis nutui obsequuntur.

615. In hoc vero aut uno, aut multiplici agentium, ac renitentium partium necessario conflictu nonne novus in humano corpore motus concitabitur? Nonne mutatio aliqua necessario praesto erit modo simplicissima, modo ex

---

(*a*) De Electricitate animalium Comment.

pluribus composita, quae nunc lenis, et lenta, nunc insignis, ac subita sit, quaeque etiam vel unam tantum partem, vel universum corpus afficiat? Hisce autem mutationibus, motibusque vitae vires providentissime adiutae nonne restitutis, quae sunt secundum naturam, ac quae eidem contraria existunt, propulsatis, aut quae corrigi nequeunt foras expulsis, sublato iam morbo, eiusque caussis devictis omnia sanitatis ordini restituent? Ego sane istis coniecturis adductus medicamentorum manifestam agendi rationem non obscure concipio, etsi penitiorem, ultimamque eiusdem actionis, aut modi mechanicen me fatear ignorare.

CAPUT III.

De medicamentorum praeparatione, compositione, et praescriptione.

616. Medicamenta cum saepe simplicia, saepe mixta opitulentur, ac quae simplicia sunt raro, ut e natura emergunt, aegris soleant praescribi, sed plus, minusve mutata, seu praeparata, quae vero mixta prosunt rerum numero, mixtionis modo, forma, ac componendi, atque usurpandi ratione inter se valde differant; tum curationes idem remedium nunc simplex, nunc praeparatum, nunc mixtum, nunc multa, ac subinde dissimili arte compositum requirant: non alienum videtur ante indicare singula eorum genera, ac varias species, atque una proponere potiora praecepta, quae in eorum praescriptione servare generatim oportet, quo minor eorundem medicaminum vires, atque usus deinde exsequentibus mora sit.

617. Scire itaque expedit simplicia ubi aliquomodo mutentur praeparata vocari; tum praeparationis non unum genus occurrere. Alia enim comminuenda sunt, alia exprimenda, alia extrahenda, alia coquenda, quaedam liquanda, ac quaedam resolvenda. Cum autem quodvis praeparationis genus varia Artificis industria, dissimili modo, ac diverso

admodum artificio instituatur, in varias unumquodque species propriis nominibus distinctas iure solet discriminari. Quemadmodum enim comminutio simplicium animalium, vegetabilium, ac fossilium perficitur modo ea incidendo, ut partes divisae in pulverem citius fatiscant, suasque moleculas aliis postea modis tentatae facilius erogent, modo idoneis instrumentis radendo in fragmenta, aut in assulas, aut in ramenta, aut in scobem plus minusve tenuem, modo in pulverem redigendo, qui rudis, vel simplex, vel tenuissimus sit, praesertim idoneo cribro, aut apto incerniculo traiectus; sic eadem comminutio in varias species distingui consuevit. Potiorem autem speciem constituunt *Pulveres*, qui rursus non solum differunt ob tenuitatem variam, ut dixi, quam contusae, ac tritae partes consequuntur, verum etiam, quod alii *simplices* sint, ex uno medicamento petiti, alii *compositi*, ex pluribus apte una commixtis; tum quod alii *interni* sint, alii *externi*, prout vel solent assumi, vel extrinsecus admoventur, nempe dentibus, naribus, aut cuti, unde *dentrifrici*, *errhini*, atque *adspergines* vocantur. Quae quidem forma cum remedia paria efficiat, ut plurimum divisa cum pluribus partibus in contactum veniant, efficit quoque ut eorum virtus validius, ac promptius se exerat.

618. Expressione vero diversarum vegetabilium partium varia adhibita methodo, ac vario instrumentorum apparatu praeparantur

Succi, qui ideo expressi, ac saporis, eductique principii ratione *aquosi*, *salini* et *oleosi* solent nominari. Hinc ad expressionem pertinent *Olea fixa* aut dulcia, seu illa crassa, et unguinosa, quae ex plurium vegetabilium seminibus praelo suppositis, aut contusis exprimendo educuntur; tum *Facculae*, seu illa sedimina, quae ab expressis, aut decantatis succis, ob solidas adhuc particulas ad fundum vasis quiete subsidentes sponte decidua deinde exsiccantur, atque in pulverem comminuuntur; tum *Sales essentiales*, qui proprie ex quarundam stirpium succis recens expressis, depuratis, in quiete relictis, ac interdum evaporationi, aut fermentationi etiam traditis vario artificio educuntur; tum *Emulsum*, aut *emulsio*, seu lacteus liquor, qui ex admixtione olei fixi, et aquae ope mucilaginis exurgens ex seminibus potissimum vegetabilium mucagineis, et oleosis contusis, et tritis aqua subinde irroratis atque expressis paratur, ac multis notis lac refert.

619. Ad extrahenda vero e corporibus medicata principia quemadmodum valent *infusio*, *digestio*, *maceratio*, *decoctura*, ac *lixivium*, sic huius praeparationis genus in varias species discriminatur, seu varia ob diversitatem operis, eductarumque rerum praeparata complectitur. *Infusio* etsi late sumpta exprimat omne artificium ad aliquid ope liquoris e corporibus educendum, proprie tamen accipitur ad designandum liquorem medicamenti particulis mediocris caloris subsidio imbutum,

qui

qui *Infusus* dicitur. Cum infusione confundunt quoque nonnulli *macerationem*, ac *digestionem:* dum alii distinguendam utramque ideo existimant quia illa fit frigido liquore simplicibus affuso, haec vix aliquo adhibito admodum exiguo calore perficitur. *Mucilago*, aut *mucago*, seu pars illa vegetabilibus propria digitis adhaerens ex carbonico, hydrogenio, atque oxygenio ita composita, ut compositionis modo differat a saccharo, aliisque oxydis vegetabilibus, si ope infusionis, aut decocturae foras erumpat *Mucosum* vocatur, si sponte e plantis prodeat *Gummi*, etsi utrumque nomen promiscue a quibusdam accipiatur; sicuti nuperrime indiscriminatim accipitur ad designandam *Gelatinam* seu illam ex animalibus eductam materiem, quae evaporationis vi mollem densitatem nacta frigore concrescit ac pellucida, et tremula, si iterum igni admoveatur, liquescit. Ipsum autem gummeum principium *Extractivum* dicitur, cum *Extracto* non confundendum. Etenim qui *succus* e vegetabilibus expressus, si postea calore inspissetur, *Succus inspissatus* dicitur, idem decoctione eductus *Extracti* nomen assumit si evaporationis subsidio certam, nunc maiorem, nunc minorem densitatem adipiscatur. Extractum enim modo *siccum* est, modo *molle*, modo *simplex*, modo *compositum*, modo si e succo confectum sit *alcohole* aqueo extracto *spirituosum* ac proinde iuxta naturam succi inspissandi modo *gummosum*, modo *resinosum*, modo *gummi resinosum* appellatur.

Caeterum succus expressione elicitus, atque evaporatione inspissatus, si densitatem habeat syrupi *Sapa*, si mellis *Roob* dicitur; imo utrumque magis inspissatum, ac tremulum *Gelatum*, aut *Gelatina*, aut *Miva* vocatur.

620. Quae vero medicamenta infusione vel ultra diem, vel tamdiu protracta, ut *Digestio* vocanda sit, praeparantur, sunt *Tinctura*, *Essentia*, *Elixirium*, et *Resina*. Nomen *Tincturae*, quae hodie *Alcohol resinosum* nuncupatur, licet usurparetur olim ad meraciorem medicaminum infusionem, aut solutionem ex aqua designandam, vel etiam ad *Spiritum stillatitium* volatili eorum parte imbutum significandum, nunc proprie indicat medicamenti infusionem alcohole peractam. Interim cum interdum e quibusdam medicamentis ad educendum quoque gummi una cum resina utendum sit *alcohole aqueo*; hinc *tinctura* in *spirituosam*, ac *semispirituosam* a Medicis adhuc distinguitur. Eadem praeterea tinctura olim *Essentiae*, nunc *Olei volatilis* nomen assumit, ubi quo ad principia, ac colorem magis satura sit, imo ipsa essentia maiorem saturationis gradum, intensioremque colorem consequuta *Elixirium* alias dicebatur. Est demum *Resina* illa materies vegetabilium aqua insolubilis, inflammabilis, atque alcohole solvenda, quae sponte erumpens *nativa*, arte educta ope *alcoholis*, aut etiam *naphtae*, vel *olei volatilis* (quatenus uterque liquor *etheris* habet principia, nempe carbonicum, atque hydrogenium) *artificialis* dicta, ab adhibito liquore seiuncta, lota,

atque exsiccata: a qua proinde quaedam *Magisteria* non differunt; quemadmodum a nativa resina *Balsama naturalia* non differrent, nisi resinoso principio salem acidum concretum suaviter fragrantem adiunctum haberent.

621. Seiungi ab istis praeparatis non debet tum *Vinum*, tum *Acetum*, utrumque *Medicatum*. Nam vina medicata cum iis non confundenda, quae uvarum loco e fermentatis quorundam fructuum succis, addito saccharo, interdum fiunt, nil aliud sunt proprie loquendo, quam infusa simplicium remediorum ex vino modo rubro, modo albo, plerumque austero, aut acidulo, nunc debilium, nunc ingentium virium, vel eius loco ex Zytho, ad dies aliquot macerando, aut digerendo confecta. Simplicium enim inditorum fermentatione non amplius utimur ob satis manifestas caussas ad haec medicata vina paranda, imo ad ipsum vinum absinthites recte conficiendum, quo divites, et splendidi convivia auspicantur, fermentatione non indigemus cum optimum sine ea apud nos conficiatur. Neque a vinis, quo ad praeparationis modum, differunt *Aceta medicata*, seu infusa confecta e simplicibus *acido acetoso* diu maceratis, vel apte digestis. Sunt tamen vinis durabiliora, crebrius eisdem usurpantur, ac cum nunc unum recipiant remedium, nunc multiplex, imo interdum destillationi etiam commitantur, alia *simplicia*, alia *composita*, alia *composita* et *destillata* dici solent.

622. Decoctura vero, dum novum affert praeparationis genus ad extrahenda remedia valde idoneum, in diversas species tribuitur. Nam si liquor, ac generatim aqua inter ebulliendum e Simplicibus medicatas horum partes secum abripiat, *Decoctum* vocatur; decoctum si tenue sit, maximeque e cerealium stirpium seminibus, aut ex aliis vegetabilibus, eorumque partibus gustui haud ingratis confectum hodie *Ptisana* dicitur, alio in sensu ac Veteres consueverant hac voce accepta; si decoctum diutius inferveat, ac plura remedia recipiat *Apozema*; ac demum si ex animalibus materies cum aqua coquenda petita sit *Ius*, aut *Iusculum* appellatur. Nec omittendum est quodvis decoctum, si extimis fovendis partibus inserviat *Fomentum* dici, tum *Epithema*, si idem tepidum, aut frigidum imponatur, tum *Enema*, aut *Lotio*, si in alvum debeat infundi. Denique si remedium ex quocumque genere petitum nempe vegetabilium, animalium, aut fossilium cum oleo fixo decoctum sit, tunc *Oleum coctum* dicitur: quo tamen generatim praestat maceratione paratum aut infusione, aut digestione, aut additione rerum praesertim in oleo solubilium, resinosarum scilicet, et volatilium, quae ex una remedii specie ductae *simplex oleum*, ex pluribus *compositum* efficiunt; utrumque externis maxime usibus idoneum. Denique huc pertinet *Lixivium*, seu liquor sale praesertim alcalico imbutus quatenus eo non solum quaedam remedia mite-

scunt, atque edulcorantur, verum etiam ex ipsis sal extrahitur, aut materies, quae postea lota, et correcta *abluta*, vel *dulcificata* vocatur.

623. Cum autem quaedam simplicia coquenda sint, ut Medicinae usibus apta fiant neque coctura eodem perficiatur modo, neque quod eius subsidio opportunam mollitiem, et formam acquirit, atque ex ea emergit medicamenti genus idem perpetuo sit, significandum est, siccam coctionem vocari *assationem*, humidam *elixationem*, unde cocta nunc *Assa*, nunc *Elixa* dicantur; tum elixando parari *Pulpas*, *Cremores*, *Cataplasmata*, atque *Olea elixa*. *Pulpa* est pultis species mollis, et crassa, quae non solum ex fructibus, aut drupis quorundam vegetabilium facile separatur, sed illa etiam, quae pultamenti densitatem habens ex fructibus, radicibus, et seminibus quibusdam assis, aut elixis educitur. A seminibus vero, quae farinam occludunt in pultem cum aqua decoctis, vel ex earum farinis cum aqua, aut alio liquore in pulticulam redactis *Cremor* exurgit, medicamentum interno usui, ac speciatim alendo corpori dicatum. Hinc ab eo non una ratione differt *Cataplasma*, quod mollitiem, et densitatem pultis etsi referat ex paucis tamen, aut variis rebus liquidis et solidis, coctis, aut admixtis, farina, mucilagine, aqua, vino, oleo, lacte, aliisque pluribus confectum non difluit, et vesica, aut lineo panno involutum imponitur: quod quidem

in *simplex*, et *compositum*, in *coctum*, et *crudum* distinguitur, ne dicam illud *calidum*, hoc *frigidum* plerumque partibus admoveri. Quae vero e quibusdam seminibus oleosis inter coquendum, aut elixandum prodeunt olea densitate, aliisve notis butyri aemula *Olea elixa* vocantur.

624. Depurganda autem quaedam medicamenta sunt, ut commodius, atque utilius Medicinae usibus prospiciant, ab inutilibus, alienis, atque etiam nocuis particulis, quas cum utilibus ac medicatis vehunt modo *clarificatione*, modo *purificatione*, modo *purgatione*, modo *solutione*, vel *colatura*, vel *sublimatione*, aliisve rationibus. Quare accidit, ut pro vario purificationis modo, quem subeunt nonnulla remedia, distincta nomina sortiantur. Dicuntur proinde *Succi depurati* qui, vel sibi relicti a sedimento quocumque, inclinato vase, quo continentur, ut paullatim in aliud purus excipiatur liquor (quod dicunt *decantare*), vel e panno laneo traiecti (quod *colare* nominant) liberantur; *clarificati*, qui filtri ope puritatem assequuntur; et *despumati* qui inter ebulliendum, interdum ovi albumine prius subacti, dempta spuma, et magis puri, et limpidi fiunt. Quod si modis aliis a qualibet aliena, aut corrupta, aut noxia materie medicamenta expurgentur *Depurata*, aut *Mundata* dici solent: tum speciatim *Lota*, quae a quisquiliis lotione privantur.

625. Liquanda autem sunt simplici admodum opere plura medicamenta, ut densi-

tate eorum amissa, et depurari, et remediis aliis commisceri facile queant paucissima vero *fusione*, et *vitrificatione*. Illa tamen utimur ad quaedam corpora fossilia ita depuranda, ut metallica eorum pars pura obtineatur, quae *Regulus* dicitur, aut sal aliquod solidam formam nanciscatur, ac *Lapis* dici queat; alteram vero adhibemus ad *Oxyda* quaedam ita praeparanda, ut vitrea, aut semivitrea fiant, unde remedium *Vitri*, aut *Vitrificati* nomen consequatur.

626. Resolvenda vero sunt vario distillationis, sublimationis, atque ustionis opere, vel alio artificio simplicia quaedam medicamenta, ut ea, quae, vel solum, vel magis in eisdem delitescunt medicata principia sub diversa specie prodeuntia consistant. Porro destillatione consequimur *Aquas stillatitias*, aut *destillatas*, quas non solum plerique Pharmaciae Scriptores in simplices, seu ex uno plerumque vegetabili remedio distillatas, in *mixtas*, seu ex pluribus paratas, atque in *compositas*, seu e multis ductas medicatis rebus loco aquae vino, aut alcohole aqueo usurpato distinguunt, sed nonnulli in plures adhuc species secernunt illis addentes *aromaticas simplices*, *aromaticas oleosas*, *virosas*, *amaras*, *spirituosas*, *salinas*, etc. Nunc vero magna ex parte aquis stillatitiis tamquam superfluis, alienis, atque inconcinnis, et corruptioni obnoxiis ab usu reiectis, ac paucissimis etiam retentis ex iis, quae aromatico imbutae principio utiles censentur eas ad duo genera

revocant Nuperiores, quorum unum complectitur illas, quae habent *aroma aqua dispersum*, alterum reliquas, quae idem *aroma alcohole solutum* continent. Distillatione item consequimur e vino, aliisque fermentatis liquoribus *Spiritum ardentem*, aut *inflammabilem* olim dictum suis notissimis proprietatibus a caeteris distinctum liquorem, nunc *Alcohol* nuncupatum, quod ex *carbonico*, atque *hydrogenio* coalescens ab oleo volatili, ab aethere, aliisque affinibus corporibus principiorum proportione, et modo satis discriminatur, etsi ab istis natura non differat. Qui quidem liquor in *simplicem*, vel *aquam vitae*, in *rectificatum*, atque in *rectificatissimum* iamdiu distinctus prout plus, minusve, aut nihil aquae continet, nunc, purissimus ubi sit *Alcohol*, ubi aqua dilutus *Alcohol aqueum* nuncupatur. Consequimur denique destillando cum alcohole unum, aut multiplex aroma *Spiritum aromaticum* ut olim vocabant, nunc *compositum*, qui hodie *Alcohol oleosum aromaticum volatile* nuncupatur, huius in alcohole solutione aeque obtinendum; tum *Spiritum salinum*, seu volatile sal liquore aliquo solutum, nunc *alcalicum*, nunc *acidum*, *simplex*, ac *compositum* iamdiu dictum, hodie, modo *Phlegma ammoniacale*, aut *Gas aqua solutum*, modo *Acidum dilutum aqua*, modo diversimode nuncupatum; tum etiam *Oleum aethereum*, seu *stillatitium*, seu *essentiale*, quod nunc *Oleum volatile* dicitur, calore ebullientis aquae e diversis vegetabilium quorundam

aroma praesertim fragrantium partibus destillans; tum denique *Oleum empyreumaticum*, seu illud omne oleum nudo igne e sicco quolibet corpore destillatione proveniens odore ingrato, aut vix ferendo donatum, quod non tantum ex animalibus, ac vegetabilibus rebus, sed e quibusdam etiam fossilibus, *Succini* exemplo, prodire observant Chemici, quodque generatim empyreumaticum oleum omne in ipso distillationis actu e *carbonici*, atque *hydrogenii* intima coniunctione efformari videtur.

627. Ad illud resolutionis genus, quod sublimationem dicunt, pertinent *Flores*, seu quae partes flocculos referentes inter sublimandum sursum evectae, atque internis vasorum parietibus acretae, quae *Muriatis*, *Oxydi*, aut *Acidi sublimati* nomen rectius assumunt, excepto sulphuris flore, qui *Sulphur sublimatum* dicitur: Pertinent etiam varia e fossilibus ducta hoc artificio remedia, quae proinde *Sublimata* vocantur; tum *Sal concretum*, sive *alcalicum volatile* ex animalibus petitum, sive *acidum volatile*, quod primum *Carbonatis ammoniacalis*, alterum *Acidi*, vel *benzoici*, vel *boracici*, vel *succinici* vocabulis designamus: Ad tertium vero resolutionis genus ab ustione praestitum revocantur superstites a combustis corporibus *Cineres*, seu *Carbonates potassae*, vel *sodae* adhuc impuri, item *Salia fixa*, quae omnia pariter una *Carbonatis potassae* vel *sodae* voce complectimur; *Calx* in *lapideam* olim, et *metallicam*

distincta, quae aut simpliciter *Calx* est, aut *Oxydum*; ac demum *Croci varii metallorum*, ac *Praecipitata*, quae pariter *Oxyda* generatim dicimus.

628. Hactenus de medicamentis dixi, quae vel simplici, vel multo opere necessariam praeparationem consequuta medicis usibus inserviunt; nunc dicam de iis, quae non modo ex aliquo artificio, cui simplicia subiiciuntur, emergunt, sed Saccharum, aut Mel ad sui praeparationem, aut compositionem perpetuo recipiunt tum maioris, aut novae virtutis, tum maxime conservationis caussa: quae proinde inter praeparata, ac mixta remedia medium quodammodo locum obtinere videntur. Huius generis sunt *Syrupi*, qui sive *simplices*, sive *compositi*, fiunt ubi succis vegetabilium infusu, vel decoctura, vel expressione praeparatis duplum plerumque adiiciatur sacchari potius, quam mellis alias adhibiti, utpote minus grati, ac magis ad fermentandum proclivis, ac solutum dein saccharum cum succo eam ignis vi spissitudinem acquirat, ob quam nec fermentescere, nec in crystallos concrescere confectus syrupus facile queat. Sunt illius pariter generis *Mellita*, et *Conservae*. Ex illis habemus, praeter mel sive *virgineum*, sive *commune*, *Hydromel*, seu mel aqua remixtum, atque interdum etiam fermentatum, *Oxymelites*, vel *Oxymel* tum *simplex*, seu mel coctione purificatum *acido acetoso* ad sui dimidium unitum tum vario donatum nomine pro infusi una

tum acido Vegetabilis discrimine, ac *Mel medicatum*, seu commune mel vegetabilibus succis dissimili methodo eductis admixtum, et puri instar mellis densatum. Ex *Conservis* vero, quo nomine gaudent Vegetabilium partes concisae, vel contusae atque in pultem redactae, ac saccharo commixtae, binae emergunt species; quoniam teneriorum partium cum saccharo permixtio omnem mollitiem non adimens *Conserva*, duriorum vero obductio ex saccharo, quod prius solutum, ac dein concrescens involutum remedium induret, *Conditum* audit. Sunt denique propositi generis *Penidiae*, ac *Rotulae*, quia illae dicuntur succi uberrima sacchari copia exsiccati, istae succi vocantur saccharo admixti, atque ignis actione ita inspissati, ut super tabulam effusi, cessante calore, in rotulas queant efformari.

629. Progredior nunc ad ea, quae mixta, vel ob plurium rerum coniunctionem vario artificio absolutam *Composita medicamenta* dicuntur. Praeter illa enim, quae hinc illinc de praeparatis disserens indicavi supersunt non pauca, quae hîc exsequi debent. Porro pulvis ex rebus variis admixtis exurgens *Compositus dicitur*, si idem aliis componendis remediis usurpandus sit *Species*, si ipse compositus atque aromaticus saccharum recipiat *Tragema*, ac si e trochiscis comminutis confectus fuerit *Tragea* vocatur. Pulvis praeterea, qui sive ad eius obvelandam acredinem, vel ad alium assequendum finem cum idoneo

liquore, aut mucilagine, aut glutine in massulas variae figurae involutus non humescit in aere *Trochiscus* nominatur: medicamenti species, quae non tantum ad interna referri solet, verum etiam ad externa, quia generatim materiem largitur *Suffitibus*, quos aegris admovemus pulveribus, speciebus, pastillis, simplicibus variis, aromaticis, atque odoris in ignem sic coniectis, ut instar fumi erumpentes medicatas particulas cum circumfuso aere proxime hauriant. Quod si *compositus pulvis*, aut *species* idonea materie ignis ope cogatur, ac tessulam referat *Morsulus* dicitur, qui saccharo etiam, aliave materie confectus sine igne, nec semper certa praeditus figura, ac sigillo obsignatus *Tabella* nuncupatur, a qua *Pastillus* vix ob minorem molem, atque ob magis efficacia remedia ex quibus consurgit, potest distingui. Figura enim, sacchari defectu, aut copia, atque impressis signis, ipsoque etiam usu medicamenta ista inter se nec satis, nec tuto discriminari rectissime nuperrimi Pharmaciae Professores monuerunt.

630. Sed istis medicamentis longe usitatior est *Mixtura*, seu liquor ex fluidis praeparatis una commixtis subinde pulverulenta acida, mollia, ac densa remedia recipiens, dummodo et pauca copia adiiciantur, et solvi non renuant, aut secus insolubilia mucilagine, saccharo, aliisve rebus subacta solvantur. Quae quidem *Mixtura* triplex est. Si enim admodum diluta sit, seu, ut dicunt, diffusissima, atque una eleganti colore, suavi

odore, ac sapore iucundo donata *Iulapium* dicitur: quod nomen dilutis syrupis alias tribuebatur. Si vero iulapio minus diluta sit mixtura, ac nihilominus ex sat efficacibus remediis coalescat, tunc *Mixtura media* appellatur, imo, si una vice sumenda sit, eam nonnulli *Haustus* voce designant. Si demum mixtura sub exigua liquoris vi ex validis admodum conflata medicamentis efficacissima sit, licet ad guttas quavis vice, non ultra sumatur, eam vel *Mixturam contractam*, vel *Guttas* nominant.

631. Quam proxima sunt istis medicamentis *Linctus*, *Collyrium*, et *Gargarisma*, quae etiam a plerisque ad *Mixturae* genus tamquam eius species referuntur. Nam *Linctus* Latinis, *Eclegma* Graecis, et *Looch*, aut *Lohoch* Arabis nil aliud est, quam simplex crassiorum medicaminum mixtio plerumque ex syrupis, aut mucilaginibus confecta in morbis praesertim pectoris, faucium, atque oris lingenda, quam adversus asperae arteriae affectus quoties adhiberent Veteres, toties *Arteriacen* vocabant. Est autem *Collyrium* mixtura, aut liquor quicumque oculis applicitus, nisi etiam *collyria* dicenda sint cum Antiquioribus medicamenta quaecumque oculis proxime imposita. Dicitur *Gargarisma* mixtura plus, minusve diluta, quae ore excepta gargarizatur, atque iterum expuitur, quae si ad coluendum os sine gargarizatione usurpetur *Collutorium*, vocatur, ne dicam ad fovendas fauces, atque interiora oris retentum

in ore tepidum quodvis liquoris genus *Fotum pro ore* vocari.

632. Admixtione autem plurium Simplicium cum ea mellis, aut syrupi, aut idonei liquoris copia, quae requiritur, ut compositio mollis, et cohaerens melle spissior sit, compositum medicamentum divisim ab aegro sumendum *Electuarium* appellatur; cuius variae species habentur. Etenim si buccellam mole sua aequet *Buccella* dicitur, si hanc non superet, ac non solum sumi una vice debeat, sed electuario proprie dicto minori donetur mollitie *Bolus*. Ubi vero Electuarium et mollius sit, et maiori confectum arte, et praestantioribus conflatum remediis *Confectio* vocatur, quae rursus distinguitur in *Opiatum* ubi opium habeat, vel in *Opiatam* ubi electuarium opio licet destitutum ad dies aliquot partitis vicibus usurpandum sit, in *Antidotum* ubi adversus venena vel per morsus, vel per cibos, aut potiones nostris corporibus inserta maxime proficua, ac pernecessaria remedia continere existimetur, atque in *Hieram* ubi magnas, atque eximias prorsus vires confectio habere videatur.

633. Neque multum a confectione distat medicamentum illud interne usurpandum, quod ex variis remediis sub exigua copia valde actuosis partim mollibus, et humidis, partim siccis, et aridis subactum, ac densatum in massam electuario solidiorem *Massa Pilularis* dicitur, quae pilulis materiem praebet. Enim vero *Pilula*, seu *catapotium*

est exigua pars ex illa massa excerpta in globulum, aut sphaerulam convoluta, quae pondere, et magnitudine difert; et nunc *officinalis* nunc *magistralis* dicitur, seu in medicamentariis officinis iampridem parata, seu recens ex Medici praescriptione ab Artifice confecta, quae sive ex massa pilulari, desumpta, sive ex tempore composita nunc solummodo ob varias caussas iure probatur.

634. Miscendo praeterea cum cera, vel pice, terebinthina, vel oleis expressis, et coctis, ac pinguedinibus varia simplicia, succos, ac gummi, resinas solutas, aliaque nunc pauca, nunc plura remedia prius praeparata, igne apte adhibito, conficitur *Emplastrum*, seu frigoris vi in solidum corpus concrescens, non friabile, tenacitate donatum, levi calore ductile, atque igne difluens medicamentum, quod super alutam, aut quodvis alium idoneum corpus extensum cuti dein impositum ei nectitur, atque adhaeret. Caeterum emplastrum ob diversum modum quo conficitur, ac dissimilem materiem, ex qua coalescit, vel *simplex*, vel *mixtum*, vel *compositum* dici solet: quod sane non debet cum *Cerato* confundi, sicuti alias fieri consueverat. Nam praeterquamquod *Ceratum* mollius est emplastro, ut possit tantum, dum refrigerando solidam densitatem acquirit, in tabellas dividi, non vero manibus tractari, subigi, atque in cylindros efformari, (qui *magdaleones*, aut *magdalidae* vocantur), ut fit cum emplastris, persaepe medicamentum ad *cerata* relatum *Saponis* nomen rectius assumit.

635. Quemadmodum enim saponis voce nunc utimur non solum ad designandam intimam coniunctionem *Salis fixi* cum *Soda* in aqua, atque alcohole solvendam, quae sola *Sapo* alias dicebatur, verum etiam quaelibet compositio saponis praecipuas dotes habens ex *Oleis fixis*, atque ex *Potassa*, vel *Soda*, vel *Alumine*, *Magnesia*, *Barite*, *Calce*, *Ammonia*, tum ex *Acidis*, tum ex *Oxydis* variis metallorum, *Sapo* quoque dicatur; evenit ut quae Cerata *Oxyda* eiusmodi, aut metallorum calces recipiunt, hodie *Sapones metallici* appellentur. Quod enim nonnulli existiment ideo praesertim minus recte sapones vocari quod eisdem, ut spissescant, additur cera, non multi faciendum esse nuperiorum Chemicorum observatio luculenter evincit, cum doceat ad metallicos sapones componendos necessariam non esse, quia oxygenium e calcibus erumpens, calore ebullientis aquae accedente, satis est ad pinguedines, aut olea fixa apte inspissanda.

636. Hodie igitur *Sapones* in *alcalicos*, in *acidos*, atque in *metallicos* distinguimus. Qui enim ex *Oleis volatilibus* cum acido, vel *ammoniaca*, *potassa* atque aliis exurgunt *sapones*, nunc, ut a prioribus discriminentur, *Saponulos* vocamus, a quibus quaedam remedia parum distare videntur, ac speciatim *Elaeosaccharum*. Quatenus enim hoc medicamentum nil aliud est quam Saccharum, sive Oxydum vegetabile ex hydrogenio, ac carbonico certa oxygenii copia natum, *oleo volatili* staturatum, ut prae-

praecipuas referat saponulorum proprietates, ad horum genus iure referendum esse videtur, sive terendo saccharum cum oleo iam educto, aut praeparato, sive corticibus eiusmodi oleo foetis sacchari frustulo affricto, eoque imbuto deraso Elaeosaccharum obtineatur. Non igitur iniuria hoc medicamen ad saponulos potius, quam ad aromaticos compositos pulveres referunt, quemadmodum hactenus consuevit.

637. Verum ut redeam ad emplastra, et cerata ab eisdem materiae genere *Unguenta* non differunt, seu quae illinire, atque ungere solent medicamenta. Differunt tamen ab illis quia maiorem mollitiem habent, densitatemque butyri, aut mellis, quia frigore non solida fiunt, lenissimo calore non difluunt, leni liquescunt instar axungiae, quia alio componuntur modo, atque alios usus habent, quia demum ex pinguibus generatim coalescunt. Generatim, inquam, cum quaedam sint unguenta sine pinguibus composita, sintque pariter quaedam sine igne parata. Porro unguenti veluti species habentur *Pomatum*, et *Linimentum*. Primum vocatur unguentum ubi ad minores inunctiones recipiatur, ut in labiorum, papillarumve fissuris, vel capitis morbis. Alterum vero proprie est unguentum oleo densius, atque unguentis mollius alicubi adhibendum: quod interim nomen etiam pinguibus, et oleis calide admotis passim tribuitur.

638. Demum si hisce medicamentis, quae hactenus sum exequutus, addantur illa, quae etsi ab expositis desumi soleant, certis tamen usibus, certisque partibus dicata varia sortiuntur nomina, erunt sane cuncta indicata, quae ad praeparata, ad mixta, atque ad composita sive crebro, sive raro adhibita, pertinent. Quamobrem non erit ab instituto alienum hic quoque monuisse *Balneum*, seu medicamentum extrinsecus corpori admovendum distingui in *humidum*, in quo liquor ei proxime admovetur, atque in *vaporosum*, in quo tantum vapor corpus attingit; tum humidum rursus discriminari in *Universale*, ac *Singulare*, nempe vel totum corpus, vel solum aliquam eius partem afficiens; tum quod singulare est, si dimidium corporis ab umbilico usque ad pedes in eo detineatur, *Semicupium*, aut *Insessum*, si pedes tantum, *Pediluvium* vocari; tum aliis partibus admotum *Lotionem*, aut *Lavamentum* dici; imo aquam vel simplicem, vel medicatam ex alto guttatim, aut indeficienti rivo depluentem in aliquam corporis particulam *Embrochen* Graecis, *Ducciam* Barbaris, *Stillicidium* nobis appellari. Nec praetereundum est, medicamentum aliud aut toti corpori, aut eius parti admoveri, aut ore cum aere recipi dum siccae, odorae, inflammabiles, ac volatiles particulae e vario remediorum genere ignis ope excussae praestant *Suffimenta*, aut *Suffitus*, ad quos excitandos, praeter Trochiscos, et Pastillos, de quibus iam dixi, aptae prostant in medica-

mentariis officinis ad alendum ignem, atque ad emittendum halitum compositiones, quae pro dissimili forma *Baculi*, *Candelae*, *Aviculae Cypriae*, ac *Taedae* vocantur.

639. Expedit etiam indicare medicamenti quodcumque genus sive siccum, sive humidum extimis corporis partibus affrictum *Fricium*, aut *Fricatorium* a quibusdam dici; tum ex *Epispasticis* seu iis, quae stimulandi, ac rubefaciendi caussa imponuntur, quod picem maxime habet *Dropacem* esse, quod sinapis contusae semina recipit *Sinapismum*, quod calorem, ruboremque solum infert *Phaenigmum*, aut *Rubefaciens*, et quod denique partem, cui adhaeret, in vesicam attollit *Vesicatorium*. Cuicumque autem parti, aut membro ista medicamenta admoveantur sua nomina retinent, si excipimus carpis manuum applicata *Epicarpia* vocari.

640. Varium denique nomen cum medicamentum saepe assumat iuxta locum, cui admovetur, iamdiu usu receptum est, ut non linteo inclusum (quod *Sacculus* diceretur) impositum capiti *Calantica*, aut *Cucupha*, aut *Cucullus* appelletur; fronti et temporibus *Frontale*; oculis, ut iam dixi, *Collyrium*, naribus *Errhinum*, aut *Odoramentum*; dentibus eluendis, et curandis, fovendisque gingivis *Dentrificium*; in ore detentum, aut etiam dentibus paullatim confectum ad eliciendam salivam *Apophlegmatismus*, aut *Masticatorium*; sumptum ad gargarizationem, aut lotionem oris, ut alibi monui, *Gargarisma*, aut *Collutorium*; collo

appensum, atque ad contagem praesertim, et morbum arcendum olim crebro gestatum *Amuletum*; cordis scrobiculo applicitum, dein super alutam extensum scutum referens, aut cor, *Scutum*, aut *Corculum Stomachicum*; in uretram quod linteum cerato idoneo utrinque obductum in oblongum cylindrum convolutum immittitur *Cereolus*, qui ex elastica etiam materie nunc conficitur; in cava corporis quaecumque, etiam arte, aut morbo facta, idoneo syphunculo liquidum infundendum *Iniectio*; quae in alvum demissa, ut indicavi, *Clysma* est. Tandem medicamentum solidum ex varia materie confectum fere instar digiti crassum, et longum ob multiplicem finem muliebri claustro insertum *Pessus*, aut *Pessarium* dicitur; tum quod in formam oblongi ac teretis coni conformatum ex rebus variis medicamentum plus, minusve solidum intestino recto inseritur, ut mole sua, aut virtute alvum servet apertam, vel ducat, *Suppositorium*, aut *Nodulus intestinalis* vocatur.

641. At satis de praeparatis, mixtis, ac compositis medicamentis, quae saltem summatim indicanda esse duxi, ne eadem, quae fuse, atque absolute in Medicorum etiam utilitatem exequenda esse duxerunt plerique Scriptores, ac speciatim Illustr. GAUBIUS (*a*), IACQUINIUS (*b*), et LAUGERIUS (*c*) utpote

---

(*a*) De Method. Concinn. formul. Medic.
(*b*) Miscel. Austriac. Vol. 1.
(*c*) Institut. Pharmac.

medicinam, aut chirurgiam facientibus accommodatissima, ac pernecessaria inconsulto praeterirem, ut quidam temere consueverunt. Ista enim insignem auxiliorum partem constituunt, quorum usu sine summo aegrorum detrimento salutaris Ars carere non potest. Utinam proinde quae de iisdem medicamentis praeparandis, et componendis plenius fuissent docenda, quaeque paratissima essent, modo possem proferre, neque instituti ratione coactus deberem ea omittere, tum vix aliqua ex iis etiam attingere, quae de medicaminum praescriptione Clinicum interest novisse, ne secus fortasse videar in aliorum provincias furtim quodammodo irrumpere! Quod quidem monendum erat, ne mihi vitio verteretur, si tum de componendis remediis non omnia dixerim, tum de iisdem praescribendis dicturus paucissima tantum attingam monendo potius, quam docendo.

642. Quam multa porro in eorum praescriptione animadverti, ac perpetuo servari non debent, cum Medicus, quae iam praeparata in medicamentariis officinis prostant, aut quae ex tempore iubet facienda, in quovis casu praescribit? Multa sane expendere oportet, ac primum inquirere qua maxime forma indicatum remedium propinare conveniat, cum perinde non sit una potius, quam altera exhibere. Etenim si expediat curare, ut remedii exhibendi vis confestim se explicet, ac summopere divisum plures partes attingens efficacius agat, fluidam formam ei

conciliare oportet, vel in pulverem subtilissime tritum idoneo liquore solvere eo momento quo assumitur, si et partitis vicibus, aut dosibus dandum sit, et multo ante nequeat infundi quin virtutis aliquid amittat. Contra autem, si e re videatur, ut pharmacum in stomacho diu haereat ne confestim, sed sensim solutum vim suam paullatim explicet, eo coalitum modo; atque involutum exhibeatur, quo aegre admodum, et lente solutionem ab humoribus subeat. Quo quidem in casu pilulae formam nactum commode deglutitur. Item quae fluida quoties propinarentur, toties utpote ingrato sapore; et foetido halitu praedita, atque acria, et valde stimulantia vel assumi non possent, vel fauces laederent, vel assumpta propter fastidium illico reiicerentur, in pilulas conformata sine nausea, ac sine illius irritationis, aut vomitus periculo ingeruntur. Quod si plura commiscenda sint remedia, nec ea quidem paria sub exigua mole sat manifestis, et validis edendis effectibus, imperiti Artificis esset in pilulas tunc ea conformare; quae fluida danda sunt, vel, si odore, aut sapore invisa sint; in electuarium congesta maxime expediunt.

643. Discendum praeterea ex ipsa medicaminum exhibendorum indole, quae ipsis forma maxime conveniat, ut efficaciora sint; quoniam nonnulla sunt, quae potissimum prosunt sicca, ut evenit in iis, quae ad acidum primarum viarum absumendum, vel ad roborandum usurpantur, dum alia longe me-

lius expediunt fluida, ut passim dicitur de medicamentis, quae ad sudorem movendum solent praescribi, ne caetera ex aliis remediorum generibus petita exempla proferam. Discendum quoque est ex remediorum principiis, quae vel diutina decoctura vexata, vel in extractum inspissata ideo maxime conveniunt, quia evaporationis vi, difflatis inutilibus, alienis, et nocuis eorum particulis, medicatas tantum, atque utilissimas retinent. Discendum demum quae contrario prorsus modo paranda sunt, cum eiusmodi sint, ut, nisi leviter infusa, ac sine expressione parentur, cum innocuis, atque utilibus particulis alienas, ac nocuas in liquorem demittant, quas secus retinuissent.

644. Ex ipsa pariter simplicium natura, ac proprietatibus dispicere oportet, quae apta materie involvenda sunt, ac nullo igne tentanda, ne secus fugacissimas, quas habent partes, amittant prius quam assumantur, quod perpetuo est curandum, ne dum unum periculum Artifex declinat in aliud temere incidat, quemadmodum ii solent, qui tanta materie pharmacum obducunt, ut ei omnem fere efficacitatem adimant, vel in novum plane corpus alios effectus praestiturum convertunt, aut qui tam compactam formam, vel duritiem pharmaco tribuunt, ut nonnisi solvatur lentissime, vel plane insolubile ex ventriculo atque intestinis descendat, atque immutatum de corpore elabatur, quin ullum suae virtutis indicium, aut valde exiguum ediderit. Cui

quidem vitio obnoxia maxime fiunt praestantiora licet remedia, neque natura insolubilia quoties in pilulas nimis compactas compinguntur. Hinc monent etiam prudentissime Medici, ne fiant pilulae ex iis, quae aegre admodum solvuntur, neve generatim propinentur cum omni humore amisso induruerunt, quia tunc vel immutatae descendunt, vel nimis tarde agunt, vel saltem, ubi praesertim plures sumantur, stomachum onerant.

645. Nisi etiam quis probe calleat indolem, ac proprietates exhibendorum, in eorum solutione, aut commixtione quam facile decipietur, modo liquore ad pharmacum solvendum, qui minus conveniat, delecto, aut adhibito quod qualitates, sin minus vires, potest invertere; modo praetermisso additamento alicuius corporis, quod imperfecte solutum remedium, ne prorsus dein resolvatur, inhibeat; modo factae solutioni adiuncta materie, quae ob diversum affinitatis principium, praesentis cohaesionis vinculis solutis, novam prorsus compositionem, novumque remedium efformet; modo copia nimia additorum vel mixturam, vel infusum, vel decoctum ob tantum onus eiusmodi efficiat, quae aut imparia sint omnibus partibus solvendis, vel retinendis solutis, aut pondere suo aegri stomacho officiant; modo sumpto liquore ad solutionem, vel mixturam, aut uberiori, aut parciori, quam oportebat, copia, unde enervetur nimio humore vis medicamenti, aut

quantitate nimia inutilem molestiam sumentibus pariat, vel non omnia medicata principia educantur, vel admixta remedia magna ex parte, aut saltem aliqua ad fundum vasis insoluta descendant.

646. Interea cum istas saepe graves errandi occasiones peritus Artifex declinat, curet etiam, ne ea ratione solutionem, mixtionemve perficiat, quae intactis caeterum remediorum viribus, sapore, aut odore ingratum, ac plane aegrotantibus invisum medicamentum reddat. Etsi enim damnanda est, ut alibi monui (§. 548.), illorum consuetudo qui nimium aegrorum voluptati indulgentes vel ab omnibus, quae grata non sunt, pharmacis abstinent, vel nimio artificio obvelata, involuta, atque immutata exhibent cum insigni et illorum salutis, et medicarum virium detrimento, est quoque non minori severitate improbanda eorum methodus, qui ingrata, nauseosa, insuavia, ac naturae repugnantia sine ulla necessitate exhibentes, neque ea aliis parumper admixta, quae qualitates sine virium dispendio emendarent, propinantes tortoris potius, quam Medici partes agere mihi videntur. Eius enim officium est, ut cito, ut tuto, ut iucunde curet. Nam praeter quam quod aegri ista sumere reluctantes tantum concipiunt medicamentorum fastidium, ut simpliciora, non ingrata, imo etiam iucunda deinde sumere pervicaciter renuant, ac cum necessariis medicamentis ipsum quoque Artificem refugiant, ubi etiam quasi per vim

eadem assumant, vel protinus reiiciunt, vel cum tot anxietatis, ac molestiarum turbis retinent, ut maiorem inde noxam accipiant, quam si eadem prorsus non assumpsissent. „ Praestat enim nullum, dicam cum GAUBIO „ quam tale exhibere remedium, a quo natura abhorret: cuius regulae praeprimis in „ Foeminis delicatioribus, Infantibus, etc. „ ratio habenda „ (*a*). Quamobrem iuvat quoque medicamenta, quo etiam ad formam, ut ab aegri minori difficultate assumantur, eorum naturae, consuetudini, ac voluntati accommodare. Quidam enim pilulas, quidam bolos aegre admodum assumunt, dum contra mixturas, aut potiones facile hauriunt.

647. Quaecumque tamen forma praescribendis remediis impertienda videatur curare potissimum oportet, ne, eorum principiis, ac chemicis proprietatibus neglectis, ea una admisceantur, quae virtute, ac indole plane dissimilia, etsi coniunctionem non respuant, vires tamen inter se elidunt, vel penitus resolvuntur, ac proinde utroque in casu medentis expectationem eludunt. In hac enim re quam saepe ignobiles, ac Chemiam ignari Medici, aut perfunctorie medicinam facientes in unum, vel alium errorem non inciderunt? Profecto quam saepe in alterutrum incidisse verisimillimum redditur si interdum visum quoque est, quosdam non incelebres Medicos

---

(*a*) Op. cit. pag. 7.

praescribere nunc *Oxydum Stibii sulphuratum rubrum*, vel *aurantiacum* cum *acidis*, et quidem largiter exhibitis, nunc *Tartritem potassae stibiatum* cum *alkali*, nunc *Muriatem ammoniacalem* cum *Potassa*, vel *Soda*, aut earum *Carbonatibus*, nunc *Sulphatem ferri* cum *Sulphate*, aut *Tartrite*, aut *Nitrato potassae*; nunc *Muriatem hydrargiri dulcem*, cum aliquo alcalico sale, nunc *Sapones alkalinos* cum *acidis*, nunc demum, ne caetera persequar, *Camphoram*, aut *Resinam* alcohole prius solutam cum aqua postea admiscent ad alcoholis vim temperandam, aut prorsus infringendam, quin animadvertant pharmacum e liquore excussum ad fundum vasis praeceps ruere, atque ei tam facile adhaerere, ut dum inscius aeger potionem deinde assumit, eius liquorem, non pharmacum assumat.

648. Quare Medicus studiosissime curet ut hanc tam pronam errandi occasionem, ac caeteras paullo ante indicatas, tum aliis etiam locis propositas, tutissime declinet, ne secus aut nullam suis aegris opem afferat, aut porrigendo etiam, quae ob ineptam mixtionem, vel improvidam resolutionem nocua fiunt, molestiam, ac damnum pariat iis, quibus levamen, ac salutem se alaturum fidentissime pollicebatur. Cum praeterea illud etiam sit evictum ad rectam medicamentorum praescriptionem pertinere quoque methodum, qua Clinicus debeat formulam concinnare, in qua rationes, et regulae scripto exarantur a medicamentario Artifice perpetuo servandae, sive

quae in officinis iam prostant praeparata, sive quae ex tempore paranda sunt apte componat, atque aegro sumenda tradat; superest, ut quae in hanc rem potissimum animadvertenda sunt modo brevissime exsequamur. Nullo siquidem pacto omitti possunt, quae de ratione formulas concinnandi remediorum, seu, ut dicunt, consignandi potiora suppetunt praecepta, quaeque speciatim ad scriptionis modum, ad pondera, atque ad mensuras attinent.

649. Porro formulam a Medico conscriptam, quae Artifici indicat materiem, mensuram, formam, et dosim medicamenti aegro exhibendi quatuor partes, nempe *Basis Adiuvans*, *Corrigens*, *Consituens*, seu *Excipiens* constituunt. Basis dicitur praecipuum medicamen, a quo vel omnis, vel potior in aegri salutem effectus expectatur, estque nunc *simplex* si uno exurgat medicamento, nunc *composita*, si e pluribus confletur. Quae quidem basis, nisi quantitate reliquis postea ei innitendis, atque addendis praestet, eisdem saltem debet virtute, atque efficacitate antecellere. Quod si e re videatur principis medicamenti, aut baseos actionem qualibet addita materie adiuvare, quod tunc additur, ut plerumque fit, *Adiuvans* nuncupatur. Istud enim, modo illius actionem, in eundem motum conspirando, validiorem, efficacioremque reddit, modo materiem, in quam operatur, ita disponit, ut ocyus agere queat, modo propria etiam virtute, aut sin-

gulari stimulo ad eam, quae expedit, viam actionem, aut vim, pharmaci, imo hoc ipsum determinat, modo impedimenta removet, quae in humano corpore actioni ipsius medicamenti, ubi solum exhiberetur, obessent.

650. Id vero, quod medicamento admiscetur, ut eius qualitas sive odoris, sive saporis, sive coloris ingrata, prava, aut invisa emendetur *Corrigens* nuncupatur. Unde liquet non semper hocce additamento formulas indigere, ut recte, ac commode sint compositae, ac proinde apposite post ea, quae ab aliis iam tradita fuerunt, nuper monuisse Cel. PICHLERUM (*a*) corrigens abesse debere ubi non adest, quod egeat correctione, ubi copia, non qualitate medicamentum laborat, neque corrigentis nomen tribui posse cuicumque rei, quae vitium non demit, quin virtutem una infirmet, aut destruat; neque correctionem ullo addito medicamento perficiendam esse, ubi formula tantum mutata, seu novo compositionis genere delecto, facile, ac tutum est, ipsam formulam aegri naturae, consuetudini, aut desiderio accommodare.

651. Sicuti autem necesse est et aliquam medicamentis formam impertiri, et eam, quo fieri magis potest, aegri palato, ac voluntati aptam efficere, et variis morbi conditionibus accommodare, et parti, cui admo-

---

(*a*) Meth. Med. formul. Conscrib.

veri debet, opportunissimam reddere; hinc omnino oportet, quando haec vel omnia, vel aliqua praestanda sint, basim, adiuvans, ac corrigens apta materie excipere, aut medicamento, quod, cum requisitam formam caeteris tribuat, *Constituens* audit. Debet vero Constituens, ut idoneum maxime sit, reliquorum, quae formulam ingrediuntur, indoli, ac copiae generatim respondere; nunc maiori, nunc minori dosi praemitti debet; imo plerumque, si nec magnam vim habeat, nec ullum afferre queat periculum, copia indefinita, quam postea Artifex in compositionis actu decernit; ac demum debet, si excipienda opposita natura donentur, ac se invicem repellant, eiusmodi esse, ut inter utriusque corporis particulas cohaesionis vinculum interponat, quo invicem misceantur, et coniuncta maneant. Caeterum inutile esse *Constituens* si iam praescripta medicamina per se requisitam formam queant nancisci; tum eligendum esse, quod suis viribus reliquorum facultatibus non adversatur; tum illud praesertim, quod cum excipientis vice fungitur una adiuvantis, et corrigentis munus explet, aliis quibusve anteferendum esse prudentissime PICHLERUS animadvertit (*a*). Quod maxime curandum est, cum in concinnandis formulis potissimum studium in eo esse debeat, ut, quo magis licet, simpliciores exurgant.

(*a*) Op. cit. pag. 10.

652. Hisce omnibus perpetuo servatis, atque iampridem omnium adhibendorum medicaminum viribus, usibus, et dosibus opportunis cuique aetati, morbo, et caussae probe perspectis, atque in tanta, quae suppetit, formae varietate commodiori constituta quemadmodum ad formulam conscribendam accedens Medicus eorum, quae comparanda, et componenda Medicamentario praecipit, aestimationem instituit modo numero, modo pondere, modo mensura, locus iam monet, ut pauca de eisdem proferam. Scire enim expedit, etsi ponderis, ac mensurae non eadem ratio sit ubique terrarum, aut nullam tamen, aut valde exiguam differentiam in iis esse ponderibus, ac mensuris, quibus omnium pene Gentium Medici utuntur, tum etiam esse receptum, ut pondera, ac mensurae Romanis numeris exprimantur. Verum sicuti hodie ad omnem erroris occasionem declinandam, tam saepe pronam, atque interdum plenissimam periculi, Signis pharmaceuticis medicamenta nunquam designamus, ut alias fieri consueverat, tum ad metum confusionis vitandum Abbreviationibus, ut dicunt, olim in formulis perpetuo usitatis, infrequenter utimur; mensuram quoque, et pondus praestaret ad utrumque erroris genus prohibendum ipsis potius vocabulis clare expressis, quam numeris designare. Quod si hanc rationem Medici nolint generatim amplecti, eam tamen sequantur, cum ea pharmaca praescribunt, quae, nisi exigua sumantur dosi, salutem, et vitam in praesens

discrimen adducunt. Hoc enim modo cum difficilius sit decipi, tutius quoque et aegrorum securitati, et Medicorum famae consulitur.

653. Porro minimum ponderum habetur *Granum* quod hordei, aut tritici mediocre semen, vel granum aequans, divisum rursus in mediam, tertiam, aut quartam sui partem Medici concipiunt, ac designant. *Obulus* apud nos pendet grana duodecim, tum *Scriptulum*, aut *Scrupulum* grana vigintiquatuor, dum quibusdam locis ille a denis, hoc a vicenis granis constituitur. *Drachma* e tribus constans scriptulis hic pariter loci non sexaginta grana, ut Romae, Bononiae, atque alibi, at septuagintaduo aequat. Eandem proinde proportionem sequuntur *Semuncia*, quae habet drachmas quatuor, *Uncia*, quae octo continet, *Sesquiuncia*, *Sextans*, *Quadrans*, *Triens*, et sic porro usque ad *Libram* ventum sit, quae eadem ratione ex duodecim constans unciis *Pondo*, sive *As* olim dicebatur.

654. Mensuras quod respicit duplex earum genus est, unum ad arida, et sicca remedia pertinens, alterum ad liquida. Ad primum varia referuntur. Quidquid tribus digitis comprehendi potest *pugillus* audit, qui a nonnullis in maiorem, minoremque distinguitur, prout vel quinque, vel tribus tantum digitis fit. Quod prehendi potest mediocri manu distenta *Manipulus* est, ulna vero complicata *Fasciculus*, seu mensura, quae duodecim manipulis comparatur. Ad secun-

dum

dum genus revocantur *Gutta*, seu liquoris, qui guttatim extillet, portiuncula, quae non semper uni grano respondet, *Cochleare*, quod dimidiam fere unciam aequat, vel, si parvum sit, drachmam, ac *Cyathus*, aliis *Vasculum*, duas uncias communiter attingens, ut alias silentio mittam mensurarum species, quae vel antiquioribus Medicis usitatae, cuiusmodi erant *Congius*. *Urna*, *Amphora*, *Culeus*, *Sextarius*, *Quartarius*, *Hemina*, *Cotyle*, *Cadus*, et *Modulus*, vel hodie a Germaniae, et Galliae Populis usu probatae, diversisque nominibus designatae, nobis plane insuetae sunt, quibus in more iamdiu positum est, ut liquorum, qui debent inservire medicinae, pondus, quoties libram excedat, toties non mensura, sed librarum numero tutissime exprimatur.

655. Circa ordinem autem, quo formulae sint conscribendae, quamquam nihil, quod perpetuum sit, queat constitui, si excipimus quodvis remedium qualibet linea esse exarandum, ac quae eiusdem sunt generis, aut ponderis non esse interpositis aliis disiungenda, docent nihilominus Medici generatim basim, veluti totius compositionis columen caeteris praemittere oportere, atque ei proxime adiuvans addere, dein corrigens, ac demum constituens subiungere. Usus interim invaluit, ut quae pleniori manu praecipiuntur reliquis anteponantur, imo pro formularum discrime alius ordo servetur. Hinc in *Mixturis*, *Bolis*, *Electuariis*, *Emplastris*, aliisve

medicamentis constituens caeteris praeponitur, in decoctis vero primum ligna et radices, postea cortices, et semina, dein herbae, fructus, et flores consignantur.

656. Expositis medicamentis oportet rationem Artifici indicare, qua praeparare, aut componere rectissime debeat medicamentum, tum addere num capsula, num vasculo, aut phiala, an charta illud debeat includere, ac postea monere quonam modo medicamentum aegro dandum sit, non solum ut apud alias Gentes rectissime fit, sed apud Italos quoque, et Insubres quavis aetate fieri consevit, et adhuc a Medicis non infimae notae fieri solet. Ultimo loco formulae apponitur Medici nomen, ut Medicamentarius praescriptioni utpote cogniti, ac probati Artis Magistri fidem adhibeat, atque hic quocumque in casu operae suae rationem reddere queat, suamque famam, si mala fortuna in discrimen adducatur, a sycophantarum criminationibus, atque invidorum dicteriis vindicare.

657. Tandem quaeri solet num in formulis praescribendis Latii idiomate, an Vernaculo potius uti expediat, quemadmodum in quibusdam Italiae Provinciis consuetudo coepit. In hac re quid praestet, quid sequi mallem non est profecto cur dicam, cum tutissimum credam servare quod legibus sancitum est, aut ob consuetudinis diuturnitatem vim legis habet. Satius quippe videtur mihi si Medici, quae formulis consignanda ducunt, sive Latino, sive Vernaculo utantur

idiomate, nitide, perspicue, et clare conscribant, vitatis omnibus, quae vel dubitationem, vel confusionem, possent iniicere, vel aliam quamcumque erroris caussam ea in re praebere; quae hominis sanitatem, et vitam proxime attingit.

CAPUT IV.

De Remediis Emollientibus.

658. Etsi humanum corpus ita Natura comparaverit, ut solidae illius partes vel singulae, vel omnes ex improvido rerum non naturalium usu, aliarumve caussarum vi nimiam duritiem, nimiumque vigorem contrahant cum evidenti, nec levi sanitatis multifariam inde laesae detrimento; subsidia quoque praestitit, quae rite usurpata opportunam, ac necessariam mollitiem eisdem reddunt, quae iam ortas aegritudines aufert, aut futuras avertit, et naturale totius corporis decrementum, quod nimius rigor maxime adducit, manifeste praepedit. Emollientia siquidem, ac relaxantia praestitit remedia, quae duris, ac rigidis fibris applicita, sive aliquid inter earum particulas interponant, sive aliquid ab eisdem attrahant, ac secum abripiant, sive aliud fortasse mutationis genus inferant, earundem cohaesionem imminuunt. Hac vero imminuta, cum partes tunc debeant necessario ob pristinam amissam densitatem, atque ob minorem attritum molles fieri, atque inter se minus resilire, non possunt quoque non laxas, ac magis flexiles evadere.

659. Quemadmodum vero, quae in simplicissimis fibris, seu earum elementis ista

remedia perficiunt, cum partibus, quae ex iisdem coalescunt, communia sunt, ac saepe quae in una accidunt ad universum corpus propagantur, inde Medici explicant quommodo salutares effectus, quos emollientia, et relaxantia uni loco admota suscitant, ad reliqua etiam extendantur. Profecto ego non diffitebor in humano corpore late patere emollientium medicamentorum actionem, praesertim quod sanguineis, reliquisque vasis illius partis, quam remedia proxime attingunt, relaxatis, eiusque fibris sensui, et motui dicatis eodem tempore affectis debeat necessario et in reliquis partibus vasorum, fibrarumve tensio imminui. Nec inficias iverim proinde, generalem tunc laxitatem oriri debere, quia partes nectuntur omnes, ac vitae vires in agendo una conspirant. Interea existimo quosdam huic consensui nimium tribuisse, quosdam contra minus, quam oportebat, dum emollientium vires, atque effectus aggressi sunt explicare.

660. Animadvertit utique CULLENIUS emollientia, ac speciatim Aquam, atque Oleum ad ventriculum, atque ad intestina tenuia delata in eorum tunicas, utpote copioso, nec facile solubili muco obductas, verisimiliter non penetrare. Docet etiam idem Auctor vix ad ventriculum emollientia delapsa quem maiorem forte habebant gradum caloris protinus amittere; tum eadem, maxime quia fluida, aut liquida sunt, vel ulterius peristaltico motu expedite promoveri, vel brevi

exsugi, aut absorbere. Temere nihilominus ex his quisquam concluderet effectus, qui in istis etiam visceribus ex emollientium usu nascuntur, pendere dumtaxat a consensu oris, et pharingis priusquam remedia stomachum subirent proxime affectis, ac relaxatis. Etenim mucus non ita oblinit stomachi, intestinorumque parietes, ut contactum remediorum liquoris, ac saepe vaporis formam habentium prohibeat, neque ipse solutionem renuit ex aqua, tum simplici, tum aliis imbuta principiis, quae solvendi vim augeant. Quamquam praeterea calorem, qui temperiem humani corporis excedat, stomacho, innexisque intestinis excepta, tamdiu scimus retinere, quamdiu expedit, ut solidae partes vim eius sentiant, atque ab eo mutationem aliquam percipiant. Non protinus vero hauriuntur eiusmodi remedia a resorbentibus vasculis, quamvis eorum actio valde expedita sit, at paullatim resorpta satis temporis generatim habent, ut manifestos, nec leves emolliendi, ac relaxandi effectus in illis partibus edant, quas proxime attingunt.

661. Neque ideo quod idem CULLENIUS tradiderit in sanguinea vasa nonnisi lente admodum emollientia affundi, atque in iisdem summopere dividi, neque in eorum internas tunicas satis agere partim ob humorem, qui ex ipsis exsudat, aqua difficulter solvendum, partim ob celerem motum humorum, qui vix ingressa emollientia ad secretoria, atque excretoria organa confestim traducit; expli-

candi omnes effectus sunt, quos ista remedia in morbis edunt non a proxima eorum actione in vasa, sed ab uno consensu reliquarum partium, quas proxime attigerunt, ac relaxarunt. Nam praeterquamquod eiusmodi caussae non tanti faciendae sunt, ut CULLENIUS censuit, limitant potius, quam excludant proximam emollientium actionem in vasa, quae et multis phaenomenis manifesta est, atque ab eo fortasse principio remediis quibusdam inhaerente proficiscitur, quod adductae conditiones in suis motibus non impediunt, aut destruunt. Nonne forte chemica quadam vi eiusmodi remedia abripiendo aliquid e materie, quae vasa, aut contentos humores constituit, tensionis caussam imminuent? Nonne contrario etiam modo aliquid eidem materiei tribuendo, quod cohaesionem infringat, laxitatem poterunt brevi, et facile inferre?

662. Istis etiam modis in vasa emollientia agere verisimile videtur, praesertim cum nequeant, ut dicebam, caussae a CULLENIO, aliisque adductae eorum actionem, aut magna ex parte, aut omnino prohibere. Etenim non tam lente, ut ipse censuit, abripi in sanguinem haec remedia fluidam formam habentia docet copia excretionum ex largo, ac saepe repetito aquae potu intra breve temporis spatium excita. Nec resorptus humor, atque ad vasa delatus tanta celeritate vias excretionum subit quin vasa ipsa, praesertim cuncta pervadens, aliquandiu affi-

ciat. Ergo minus vere quidam acriter defendunt, tum in ventriculo atque intestinis, ea parte excepta, quae in alvum infusa proxime recipit, cum in lymphaticis, et sanguineis vasis nullam fere vim emollientia habere; ac proinde horum effectus ita derivandos esse ab una actione in externas corporis partes, aut istis innexas, ut ex ea, ob consensus legem, deducatur quommodo externum eorum usum totius corporis flacciditas, aut laxitas quandoque consequatur.

663. Caeterum qui in explicandis emollientium effectus non animadvertunt, tum nexum, et vinculum, quo singulae nostri corporis partes adhaerent, tum in suis motibus conspirantes vires vasorum, nervorum, cerebri, musculorumque, ignorare videntur, quod experientia evicit, emollientia uni tantum loco, seu artui imposita non solum hunc afficere, emollire, ac relaxare, verum etiam aliis etiam partibus laxitatem saepe inferre, imo interdum universo corpori, antequam potuerint, quae in cute sunt vascula ad resorbendum idonea tantum humoris emolliendi caussa admoti exsugere, atque ad caetera lymphatica, tum ex istis ad sanguinem tranferre, quantum videtur requiri, ut eiusmodi laxitas et brevi, et in quovis fere loco rigiditati succedat; imo hanc ipsam infirmitas, aut debilitas interdum excipiat.

664. Interdum, inquam, debilitas, seu infirmitas quarundam partium, aut omnium consequatur. Etenim non in ea sum senten-

tia, in qua multos versari video, ut credam emollire, ac relaxare idem esse, ac debilitatem inferre. Nam praeterquamquod ad opportunam mollitiem, ac flexilitatem solidis redactis eorum vigori, ac firmitati quoque prospicitur, non raro homines offendimus debilitate laborantes, etsi rigidae, ac durae texturae sint, ac contra alios mollis admodum, et laxi corporis habitus, et tamen sat firmos, et bene valentes. Quare, etsi inter caussas debilitatis mollities, aut laxitas nimia fibrarum iure adnumeretur, ea nihilominus perpetuus non est emollientium effectus, maxime quod pleraque, ac forte omnia, quae in hunc finem remedia internis, externisve partibus admoventur, dum emolliunt, et laxant, alias persaepe queant valde opportunas, nec parum salutares mutationes una procreare.

665. Et re quidem vera cum cuti emollientia alicubi imponuntur alii, atque alii effectus praesto sunt. Tum enim quae fere inaruerant extimae partes mollescunt, et constrictae relaxantur; quae deinde subtus positae tensae, ac nimium resilientes erant cutis fibrae paullo post cedunt, ac mobiles, et flexiles fiunt; musculi item contracti, ac subduri a contractione remittunt, nisi etiam flaccescant; ac vasa tensionis plus, minusve amittunt. Hinc irritatio, dolor, et spasmus imminuuntur, ac removentur, maxime in partibus agenti remedio propioribus; unde exhalatio cutis revocatur, circuitus humorum

naturali ordini restituitur, fitque eorum, stimuli etiam ope, ut observat recte CULLENIUS, quem emollientia quaedam admovent cuti, utilissima saepe ab internis partibus ad externas, vel a superis ad inferiores avocatio. Quam plurima enim suadent alios, atque alios effectus ideo emollientia edere, quia praeter vim emolliendi, ac relaxandi alias habent proprietates, modo stimulandi, modo temperandi, modo refrigerandi, aut sedandi, ut aliis locis dicetur.

666. Hinc intelligi, deducique facile potest quomodo emollientia praecox, aut naturale ex rigiditate, et duritie fibrarum corporis decrementum arceant, vel iam illatae senectutis incommoda leniant, eiusque futuros effectus retardent; quomodo in morbis inflammatoriis, maximeque intestinorum, renum, et vesicae, in doloribus ex calculo, in spasticis affectionibus, quae a rigiditate, et strictura, atque ab irritatione quacumque, vel ab acri quovis humore, vel a veneno, vel ab aliis caussis inducta insignem afferant utilitatem; cur saepe in febribus multiplici fine temperandi, laxandi, et spasmum solvendi aptissimum locum inveniant; cur in secretionibus, excretionibusque alicubi, aut imminutis, aut cohibitis ob nimiam vim cohaesionis, atque inductam ex ea in humoribus densitatem, aut alienam indolem, magnopere expediant libero reddito sanguinis circuitu, atque aliorsum avocato eius in aliquod viscus irruentis impetu, unde modo

cutis exhalatio usque ad sudorem, modo saliva, modo urina, modo alvus cieatur; cur ob adductas caussas circumeunti sanguini impedimentis sublatis, vasorumque cuiusque generis actione liberrima reddita, subinde etiam stimulo aliquo leniter excussa, obstructiones saepe reserent, aut earum resolutioni aliis postea auxiliis plenius consequendae viam parent; cur denique in morbis capitis nervorumque, insania, vigilia, ardore, aestuque comitatis magnum afferant auxilium, ideo nempe quod molestis irritationibus amotis, et quibusdam partibus, vel omnibus relaxatis, nervosa quoque vis nimis tunc excitata consensus lege imminuitur.

667. Patet proinde cuique, quam creber atque utilis sit emollientium usus in morbis internarum partium sive singulae, sive omnes laborent; quemadmodum utilissimus in omnibus fere morbis ad Chirurgiam pertinentibus existit. Indicatur quippe generatim in iis, in quibus dolorem lenire, calorem imminuere, siccas fibras humectare, rigidas mollire, et constrictas relaxare oportet. Quare in tumoribus, ulceribusque communis usus esse solent, ne dicam passim recipi ad inflexiles, rigidosque artus, et caeteras partes duras ita molliendas, ac relaxandas, ut suos motus, pristinamque integritatem recuperent. Porro in tumoribus adhibita, refrenata inflammatione, eorum resolutioni favent, vel, ubi huic locus non sit, suppurationem promovent laxatis fibris, ac contentis humoribus

solutis, tum in ipsis ulceribus a rupto abscessu relictis, quatenus extrema ora vasorum mollia servant, inflammationem prope ulceris labia, aut callum, quod deinde obducitur, avertunt, exitumque humorum promovent, quorum etiam acredinem temperant, ac reliqua removent impedimenta, quae naturae cicatricem molientis salutaribus motibus obsunt. Hinc ratio patet cur hisce remediis carere nequeat Chirurgia, eademque emollientia modo resolventia, modo temperantia, modo humectantia, modo maturantia soleat vocare.

668. Iam vero significandum est, quae ad emolliendum et proprie, et potissimum valent. Vix autem interest monuisse ad eiusmodi finem assequendum plurimum conferre diuturnam totius corporis, ac maxime partis, quae laxanda speciatim est, quietem, vitam otiosam, et desidem, animum omni cura, ac contentione vacuum, somnum diu protractum, alimenta quae multum continent aquae, moram in regione humili, quae crasso, et nebuloso aeri, humidisque vaporibus obsito atque una calido exposita sit: quoniam haec ob compertissimas rationes vix interdum ad laxandum, atque emolliendum a Medicis probari solent. Alia siquidem omni discrimine vacua, non dubia, non ambigua, at vere utilia praesidia paratissima habent, quibus mollitiem, et laxitatem duris, rigidisque partibus inferunt.

669. Quamquam vero multa ad id accommodata esse plerique arbitrentur, quae idcirco proponam, omnes tamen consentiunt *Aquam* puram, aut simplicem certo caloris gradu donatam mollientibus reliquis antecellere, imo cunctis adeo praestare nonnulli contendunt, ut velint a calido vapore, qui ex aqua calente resolvitur singulos effectus pendere, quos edunt emollientia. Quam ob caussam singula medicamenta huic capiti relata, vix *Oleo*, quod raro etiam ad molliendum idoneum perhibent, excepto, ideo tantum proficua iudicant, quod aquam caloris vi in vapores resolvendam, eamque valde copiosam vehant. In qua quidem opinione quid veritatis insit ex iis luculenter patebit, quae singula emolliendi caussa proposita, atque usitata deinceps expendens opportune monebo.

670. Primum autem *Aquae* vires, et usus ad emolliendum, et laxandum exsequar; quoniam eam nacta caloris temperiem, quae nec minor sit iuxta Reaumurii Thermometrum gradu decimo tertio, nec maior sit vicesimo septimo, aut eo saltem, quem sine ardore, aut sine ulla molestia corpus sustinet, ad emolliendas, ac laxandas solidas partes valde idonea existit, quin imo longe aptior fit si quando aucta caloris vi in vapores magis resolvatur. Tunc enim Aqua non solum maiorem particularum tenuitatem consequuta facilius, et promptius cuncta pervadit, atque ad intimiora uberius traduci-

tur, verum etiam quaeque magis diducit, et laxat, quia maiorem iisdem admovet calorem, cui potior est vis in corporibus dilatandis, imo eum admovet, quem secus sine evidenti salutis detrimento quisque ferre nequiret, aut saltem sustinere, quin ex eo mutationem aliam emollientibus plane contrariam pateretur. Scimus enim caloris actionem ita ab humido vapore temperari, ut eum humanum corpus ad illum gradum ferat, ex quo, siccus ubi esset, non leviter laederetur, vel, quin mollitiem, ac laxitatem acciperet, ad suos motus validius adhuc, novo, ac magno stimulo expositum, excitaretur.

671. Hinc liquet cur in usu *Aquae* ad emolliendum adhibitae curandum sedulo sit, ut eius calor, sive *Lotionis*, sive *Balnei* forma usurpetur, laxet, non stimulet, atque ubi magis laxandum sit instar *Vaporis* suppositam partem afficiat, tum cur illae magis emolliant *Fotus* species, quae diutius et calorem retinent, et vaporem demittunt. Ad *Fomenta* idcirco laxandi caussa alicubi imposita prae linteis, et filtris *Spongia officinali*, seu marina calida aqua imbuta potissimum utimur, quia liquorem, quem recipit, facile, diuque retinet, et cum calidum vaporem diutius emittat, caeteris aliis rationibus commodior est, nec tam saepe novo debet humore irrorari. Oportet siquidem cum Aqua utimur emolliendi fine eam subinde, et toties renovare quoties calor multum remiserit, nisi idoneo machinamento ob ignem suppositum

pars, quae fovenda, emollienda, et laxanda est, calido vapori indesinenter exhalanti maneat exposita, quemadmodum ubi inflexile, rigidumque mollire membrum expediat Chirurghi praecipiunt. Porro in quovis casu, cum emollientia usurpantur, ne effectu careant, neve minorem utilitatem aegris afferant, saepius renovanda sunt, nec generatim qualibet vice, docente CULLENIO, minus saltem hora manere debent applicita, nisi scilicet aliam ineundam esse rationem morbi natura, et caussae, partis quae auxilio indiget, singularis conditio, aut aegri vires iubeant.

672. Quacumque vero ratione adhibenda sit aqua fine emolliendi, et laxandi quaerunt Medici an maioris effectus caussa res aliae ei adiici debeant, quae novam vim impertiantur, aut illius actionem maiorem, et durabiliorem efficiant? Nonnulli siquidem hac ducti opinione oleosa, et mucilaginea admiscenda praecipiunt, alii vero haec additamenta, vel credunt aliena, vel saltem cum CULLENIO dubitant an utilia sint. Verum si idem praestantissimus Auctor oleum, cum aqua intime commixtum solidarum partium interstitia subire posse, in ea se adigi, atque hoc modo validius relaxare non denegat, si id rursus a lacte e cicurum animalium uberibus recens educto vel simplici, vel aqua remixto expectandum esse concedit, quia in eo oleum iam est cum aqua intime consociatum; non debuisset profecto affirmare

quemquam perperam sibi polliceri emollientibus ex addito oleo virium incrementum accedere. Enim vero, etsi oleum purum nequeat cum aqua per se intime commisceri, nonne iamdiu novimus admixtionem eiusmodi mucilaginem, aut gummi suis interpositis particulis facile efficere? Quod si de eiusmodi methodo parum sollicitus CULLENIUS extiterit lacti maiorem, quam habeat aqua, molliendi potentiam non adscribens, ea tamen, vel lac, vel aquam cum oleo consociatam plus laxando, atque emolliendo saepe profuisse Medicorum alii observarunt.

673. Neque tantum Proceres Artis ex oleo maiores, certioresque reddi cognovere emollientes et laxantes Aquae calidae vires sive interne, sive externe indicatis usibus eadem inserviat, verum etiam additis vegetabilibus, quae mucilagine abundant. Profecto Cl. Auctor, cuius paullo ante memini, stirpes, quae copiosam mucilaginem, seu *Mucosum* vehunt, ac facile erogant emolliendo vix non impares reputat, ac generatim censet eas Aquae resolventem virtutem potius imminuere, quam augere. At nimis fidenter utrumque constituit, ac voluit eas ideo vix interdum profuturas, quod cuticulae ariditatem, atque exsiccationem, quae evaporatae iam aquae succedit, mucilagine post se relicta provide avertant. „Certissimum enim „est, inquit GREGORY, eas solidas partes „animalium corporum molliores, et magis „flexiles reddere, scilicet ob has quodam-

„modo

„ modo humectatas, vel fortasse oleo illitas,
„ quod motum particularum in se mutuo fa-
„ ciliorem reddit, minuta nimirum, vel forte
„ sublata frictione illa, quae motum impe-
„ diebat. Praeterea pura calida, et etiam
„ plurimi liquores aquosi, sive calidi, sive
„ frigidi admoti fuerint, per evaporationem
„ brevi dissipantur, partesque ideo externas,
„ quas fovebant, et emolliebant aridas, et
„ rigescentes relinquunt. Oleosa vero, et
„ mucosa medicamina ab hoc incommodo
„ fere immunia sunt; saltem multo tardius
„ dissipantur. Merito igitur cum omnibus
„ fomentis ad emolliendas partes nostrorum
„ corporum externas miscentur (*a*).

674. Certis itaque fundamentis cum innixa sit oleorum, et stirpium mucilaginearum utilitas in emolliendo, ac relaxando, sitque proinde eorum usus satis constitutus, atque omnium Gentium consuetudine receptus, officii erit tum de iisdem, tum de caeteris, quae ad emollientia medicamenta referuntur, nunc disserere. Porro ad olea, aut adipes, quod attinet ex Animalibus desumptas perperam ex vario eorum genere olim desumi consueverunt, atque in diversas species distingui, quae dissimilibus, ac propriis edendis effectibus, ac quibusdam proinde morbis speciatim curandis pares iudica-

(*a*) Conspect. Med. n. 1077.

bantur. Dummodo enim pura, et recens pinguedo sit, quam velis adhibere, aut liquare, ut in oleum solvatur, perinde est a quocumque animante eam desumas. Hinc nuperrimi Medici iure arbitrantur emolliendi, et laxandi caussa, si pinguedo illinienda sit, aut malagmatibus excepta imponenda, satis esse axungia uti *Tauri bovis*, vel *Suis scrophae*, vel si densior, et calore tardius difluens conveniat, *Ovis Arietis*, seu uti bovilla, suilla, aut ovilla. Quamobrem reiiciantur tandem aliquando ex illis medicamentariis officinis, in quibus adhuc vulgi credulitati dicatae occurrunt adipes, aut axungiae, quas inter Aves *Phasiani galli domestici* foemina, *Tetrao coturnix*, *Anas boschas*, et *Anas anser*, utraque *domestica*, praebent, quas inter Pisces suppeditant *Salmo thymallus*, ac *Muraena anguilla*, quasque inter Mammalia largiuntur *Canis familiaris*, *Foelis catus*, *Lepus*, sive *timidus*, sive *cuniculus*, atque *Ursus*, tum *arctos*, tum *meles*. Hae quippe omnes nil proprii habent, quo pinguedini cuique praestent, imo, cum raro suppetant recentes, emolliendo minus idoneae censentur. Vetustae enim ob rancorem consequutum potius stimulant, atque irritant, quam emolliant, et laxent.

675. Itaque etsi eiusmodi pinguedines, vel emolliendo si recentes, irritando si vetustae interdum profuisse dicantur illinitae in artuum, aliarumve partium doloribus, atque in humorum congestione, glandularumque indurationibus, ac revera profuerint, cum

utrumque a quacumque pinguedine Animalium, atque ab oleo e Vegetabilibus expresso generatim expectandum sit, non est sane cur illae medendi caussa in officinis retineantur. Neque istis dumtaxat Medicina non indiget, utpote superfluis, sed aliis etiam carere sine ullo aegrorum detrimento ipsa potest, ac debet, quae ob singulares etiam proprietates olim valde commendari solebant. Porro pinguedo, aut oleum *Canis vulpis* adversus arhtritidem nihil praestare, prae caeteris pinguibus potest; adiunctum vero aromatibus, quae medicamentarii quidam Codices addenda praescribunt, ab istis vim accipit. Nec adeps *Castoris fiberis* alias insigniter celebrata sive per se, sive cum unguentis, quae nervina vocant, illinita debilia membra roborat, cum ipsa pariter, licet e glandulis conglomeratis desumatur, quae sub folliculis *Castoreum* continentibus occurrunt, pinguium rationem, quo ad vires, sequatur. Pinguedo autem *Colubris beri*, aut Viperae nostratis quamquam habita fuerit a Cl. Artis Professoribus ut egregium remedium in paralysi, atque in pustulis oculorum, ulceribusque sinuosis, eadem nihilominus non plus efficit, quam aliud quodvis unguen. Adeps demum ex humano corpore desumpta ignari vulgi, ac non ignobilium Clinicorum opinione, et usu alias magni facta in rheumatismo, atque in cerebri, nervorumque affectibus nihil profecto potest efficere, quod non quaelibet possit pinguedo; ne dicam vanam, et ridi-

culam egisse rem, qui eam in atrophia, et tabe intus exhibuerunt.

676. Nullam quoque possum peculiarem facultatem oleosae materiae tribuere, quae ex multis cerebri ventriculis *Physeteris macrocephali* incolae Groenlandici maris, atque ex tota eius spina dorsali expressa, variisque modis, ac lixivii alcalici ope depurata, alba, pinguis, mollis, sicca, fragilis, et laminulis quodammodo composita ad nos advehitur nomine *Spermatis ceti*, quod, ut liquet, ei male tribuitur. Saporem habet pinguem, et glutinosum, atque odorem vel nullum, vel adipis non ingratum. Aquae vero frigidae coniunctionem respuit, atque in calida liquescens pristinam tamen densitatem recuperat statim ac caloris vis cessat; ab alcohole non solvitur; igne inflammatur; cito rancescit, ac tunc flavedinem contrahit; cerae, qua solet adulterari, facile unitur; destillationi commissa butyri instar diffluit, atque ex retorta in excipulum tota descendit, quin empyreumatis quidquam contrahat, aut quidquam post se relinquat.

677. Unguinosum autem eiusmodi oleum recens, et sincerum oleo amygdalino solutum, vel in bolos conformatum, vel ovi vitello, mucagine, aut syrupo subactum, aliisve modis administratum ad multas aegritudines probant plerique, ut relaxans, lubricans, demulcens, atque anodynum medicamentum. Hinc non desunt, qui contra tussim, faucium asperitatem, raucedinem, asth-

ma, phthisim, sputum suppressum, inflammationes pectoris, varios affectus intestinorum, renum, ac vesicae, passionem hystericam, et lochia retenta magnificent, ac passim adhibeant, ubi laxare, atque emollire conveniat; imo sunt, qui hisce, aliisve morbis toties etiam mederi iudicant, quoties ad curationem praestat crassum, et tenax incidere, ac tenuare, sanguinemque alicubi haerentem, et concretum resolvere. Verum hanc vim a spermatis ceti natura expectandam non esse, eamque in morbis non exeri cum probe sciant quidam Nuperiorum, mecum sane non poterunt non mirari in quibusdam adhuc Italiae locis in adductis casibus crebro usurpari. Recentissimum enim, cuiusmodi non suppetit, attenuare, ac vere resolvere non potest, rancidum vero, ut plus, minus illud perpetuo est, quod in officinis prostat, irritando in pectoris inflammatoriis malis nocere necessario debebit cum generatim stimulantibus exasperentur. Quamobrem saepe vidi *Sperma ceti* a Cl. Clinicis tunc usurpatum morbi solutioni offecisse, aut saltem per se propinatum nunquam profuisse, unde salutares effectus, quos nonnulli eius virtuti retulere, ab aliorum medicaminum viribus deduco, quae cum eo exhibuerunt.

678. Externe vero *Sperma ceti* oleo amygdalino solutum, vel cerae, oleo, mucilagini, aut cuique materiei admixtum, ac linimenti formam nactum cutis fissuras, asperitates, atque ulcuscula sanare plerique do-

cent, ac praeterea glandularum tumores a tenaci, et nimia copia haerente humore, vel a lacte congesto ortos tentant saepe resolvere, additis interdum *Sapone*, *Croco*, aut *Camphora*. Porro utrumque praestare facile concedam, quatenus communes *Olei fixi* proprietates habet, nempe aridas partes humectandi, scissas uniendi, duras emolliendi, contractas relaxandi, atque interdum, ut rancida olea solent, etiam discutiendi, si eiusmodi stimuli genus ad resolvendum sufficiat. At cur *Sperma ceti*, quod solummodo ad ea valere potest, quae oleum generatim praestat, celebrandum adhuc sit, atque in medicamentariis Officinis servandum ego sane non video; praesertim cum summae curae hodie sit ubique locorum a supervacaneis, atque alienis eas tandem liberare.

679. Pari iure e medicamentariis Officinis proscribenda sunt, si nondum sublata sint, illa *Olea Infusa*, aut *Cocta*, sive *simplicia*, sive *composita*, quae tum emolliendi fine, tum aliarum virium caussa valde probari, et variis corporis partibus multiplici aegritudine detentis crebro illiniri alias solebant. Ea nimirum olea intelligo, quae infusis in commune oleum *Catellis*, aut *Scorpionibus*, aut *Lacertis*, aut *Viperis* parabantur quasi adversus venena animalium, et pestem antidotum, et debilitatis, doloris, ac rigiditatis remedium afferrent; quemadmodum Vulgus quorundam praesertim Medicorum vana, ac plane irridenda credulitate deceptus fidentissime olim existimabat.

Vix enim in tanta, quae nunc obtinet, Medicinae luce, interest ea ob instituti rationem commemorasse, ac dixisse ne quidem communi praestare oleo, ac prorsus aliena ab arte monstrari.

680. Itaque ad emolliendum, et relaxandum si oleum commodet, illa satis usu venient apud nos magis recepta olea, quae ex fructibus, seminibusque oleosis exprimendo educuntur, quaeque modo persequar, orsus ab eo, quod ex *Olea europaea* paratum, *Oleum commune*, audit. Porro quod e fructibus Olivarum nomine cognitis, seu drupis carnosis austera amaritie donatis, in quibus dura nux cum nucleo subdulci occluditur, idoneo machinamento exprimitur oleum optimum est, purum, tenue, dulce, nullum ingratum halitum emittens, et leviter citri instar flavicans, si e carne ipsa, quin testa, vel nucleus confringatur, eductum sit, expressumque ex olivis perfectam maturitatem consequutis. Oleum enim quod *Virgineum* seu, ut loquebantur Latini, primae notae, aut primae pressurae non est, nec egregii saporis, nec limpidum apparet, at plus, minusve acre, odore ingratum, et densum, cuiusmodi e testa nucis, maximeque e nucleo diffracto obtinetur; quemadmodum ex Olivis immaturis, quas drupas, aut pausias dicebant Veteres, amarum esse solet, tum mucidum, atque unguinosum ex nimium maturis elicitum.

681. Quare cum omnes, quas adduxi, bonitatis notas in Italia habeat imprimis Oleum Lucense, tum Hetruscum, tum Nicaeense ex Provincia et caeteris Medicinae usibus, et speciatim emolliendi, et laxandi, de quo nunc dico, communiter inservit. Caeterum non est cur Insubria debeat aliis Italiae Provinciis purum, et medicatis usibus valde idoneum invidere cum ex *Oleis* in Briantinis Collibus, et Montibus Lario proximis late excultis Olivae legantur, quae, si rite maturuerint, torculari maxime idoneo, ad normam machinamenti premendo oleo antiquis Romanis usitati Reg. Societatis Patriae Mediolanensis cura alicubi fabrefacto, suppositae egregii saporis, grati halitus, omniumque qualitatum ratione probatissimum Oleum uberrime effundant. Eiusmodi quippe oleum et optimum condimentum cibis suppeditat, et Medicinae plane commodat, cum aetatem, ut caetera olea praestantiora, satis ferat, quin in oleariis vasis, maximeque in vitreis ampullis probe occlusum, frigidoque loco detentum propere rancescat.

682. Oleum autem, quod ex fructibus *Amygdali communis*, seu amygdalis putamine privatis, aut seminibus valde copiosum exprimitur, dummodo sine caloris subsidio, atque ex iisdem recentibus eruatur, caeteris oleis antecellit, quatenus sapore valde gratum, dulce, mitissimum, blandissimumque perhibetur. Neque ex altera varietate *Amygdali communis*, cui nucleus amarus est,

oleum simili modo, ac pari diligentia expressum ullam amaritiem praesefert, imo sapore plane convenit, reliquisque dotibus, nisi etiam dicendum sit illo, ut plerique tradunt, tardius rancescere. Valet proinde utrumque ad emolliendum, et laxandum, utilissimumque iis omnibus in casibus censetur, in quibus oleum indicatur. Magni proinde usus non solum interne, verum etiam externe apud nos esse censuevit, quippe quod ex non vetustis amygdalis expressum recentis olei proprietates, et vires habet, quamquam hodie a Clinicis praestantioribus longe rarius interne soleat praescribi, quam non multis ab hinc annis hic praesertim loci fieri consueverat.

683. Rarius adhuc, quam olim usus ferebat in quibusdam maxime Insubriae locis ad Medicos usus recipitur oleum aliud, quod semina cuique notissima *Lini usitatissimi* inodora, insuaviter dulcescentia cum manifesto mucaginis, atque olei sensu dum praelo supposita exprimuntur, erogant, quod sine igne eductum, et recens pellucet, acrimonia caret, non male quibusdam sapit, etsi nauseam plerisque moveat, leviter lutescit, et non tam facile rancescit, dum igne adhibito, tostisve seminibus elicitum, ac vetus acredinem exhibet. Natura, et viribus cum duobus paullo ante indicatis oleis convenire nuperiores Medici generatim perhibent, eisque dumtaxat saporis gratia concedere; unde alibi illis passim substituitur cum minori

praetio veniat, quod quidem apud nos ad illud crebrius exhibendum non allicit, quoniam nec sumptuosum utrumque oleum est, Amygdalinum, atque Olivarum, nec sumentium palato, et stomacho generatim arridet ob nauseam, quam plerisque inducit. Hinc vix ad clysteria hodie recipitur.

684. Oleum quoque erogant apud nos sat copiose nuces *Iuglandis regiae*, quod rite sine igne expressum, maximeque epidermide e nucleis exempta, dulci, et miti sapore donatum amygdalino vix cedere censetur; unde ab ipsis etiam divitibus interdum ad acetaria recipitur, imo a quibusdam ad pisces frixandos adhibitum avide expetitur. Nihilominus ad medicos usus nemo sane est, qui oleum ipsum, omni licet cura paratum, atque ex recentissimis expressum nucleis praescribat, praesertim quod in vermibus necandis, quos, neque thaenia exclusa, subigere olim creditum est, nullam hic fuerit famam consequutum. Quamobrem, utut in Insubria Oleum istud abundet, generatim Agricolis potius, quam Civibus condimentum affert ciborum, nec sane ob aliquam acrimoniam, atque invisum halitum, quem alimentis coctis, et frixis, utpote non diligenter expressum, ac subrancidum, conciliat, probandum.

685. Praeter ista olea blanda, ac sat pura, ut interne recipi possint, atque externe relaxandi, atque emolliendi fine probari debeant, simili modo alia exprimi ex oleosis

Vegetabilium fructibus, seminibusque notissimum cuique est. Sed eadem Medicinae, apud nos saltem, non inserviunt sive nunquam recepta fuerint, sive utpote supervacanea exoleverint. Nam oleum ex nucleis nucum *Coryli avellanae* eductum, licet odore careat, et subdulce sit, inusitatum prorsus est. Neque ex nucleis *Pinus pineae*, qui tam crebro apud nos cibis addi solent, oleum, quod in se habent, si nondum rancorem induerint, mite, dulce, et cum amygdalino, ut quibusdam visum est, comparandum, nunquam educitur. Neque Oleum unquam petimus ex nucleis, quos, etsi privati epidermide ob gratum et blande oleosum saporem farciminibus, aliisve cibi addi interdum solent, nuces *Pistaciae verae* includunt. Oleum pariter exprimi non solet ex seminibus, quae quatuor frigida maiora vocantur, nempe *Cucurbitae*, sive *lagenariae*, sive *citrulli*, et *Cucumeris*, sive *melonis*, sive *sativi*, etsi blandum mitissimumque contineant, quod in emulsionis forma extracta fundunt. Exoletum est vero oleum illud, quod in quibusdam morbis ac speciatim in ictero, et colica hepatica ex calculo olim probatissimum quibusdam fuit ex seminibus *Cannabis sativae*, e quibus sane, seu nucleis albis cortice, et membrana occlusis exprimitur. Oleum autem Myagrinum quod ob dulcem, et gratum saporem ex *Myagri sativi* seminibus expressum communis instar olei, si neque hoc, neque butyrum ex vaccino lacte suppetat, in quibusdam

Europae Regionibus tenuioris sortis homines adhibent, hic loci nec Medicinae inservit, nec condimento. Insuetum pariter nobis prorsus est utroque fine ex seminibus *Papaveris somniferi*, quae cum omni careant viru vel abunde commeduntur impune, expressum oleum, quod mite admodum, nec halitu, aut sapore invisum Gallis, aliisque Europae Populis in communis olei egestate huius defectui suppetias attulit. Oleum vero Raparum, seu ex seminibus eductum *Brassicae napi* Rusticis solummodo in quibusdam Insubriae Provinciis non ingratum condimentum loco vulgaris olei suppeditat, ubi rite, diligenterque expressum sit, ac probe servetur, ne rancidam acredinem, quam concipit, citius consequatur.

686. Istis autem oleis non addo neque Sesaminum ex seminibus *Sesami orientalis* expressione eductum, tarde rancescens, sapore gratum, quia licet Indis condimentum, nobis ne medicamentum quidem praebet. Neque oleum Cocos ex nucibus *Cocos butyraceae* expressum in India valde usitatum subiungo, quia cum intra paucos dies rancidum evadat, nec quidpiam proprii habere videatur, medendi caussa ad nos usque non advehitur. Neque ob eandem rationem immoror in qualitatibus, atque usibus expendendis oleorum, quae ex *Coco nucifera*, ex *Elaide guineensi*, aliisque palmis Indiae Populi exprimunt. Neque demum nunc dico de Oleo illo, quod ex *Ricini communis* seminibus sive

apud nos cultis educitur, sive ex India ad nos usque transfertur, quoniam alia potius virtute, quam emollienti a Medicis solet usurpari.

687. Commemorabo potius duplex genus Olei, etsi utrumque ad Animale regnum referatur, atque unum non simplici expressione, alterum distillatione educatur, oleum scilicet Ovorum, atque oleum Cerae. Ovi quippe vitellus, qui iam cum unguinosis oleis plurimum convenit, ad duritiem coctus, atque expressus oleum largitur, quod labiorum, papillarum, et cutis fissuris, atque ulculsculis illinitum, mederi, imo ulcerati cancri, aurium, labiorum, aliarumque partium dolores interdum compescere dicitur, licet tamen a reliquis oleis virtute non differat. Ex cera autem, seu ex cognita cuique materie e floribus ope pedum rastratorum ab *Ape mellifica* collecta, atque elaborata, unde favi, et cellulae consurgunt, subflava, molli, sapore, atque odore quodammodo mellis, dura, summo frigore friabili, calore ductili, atque ex eo sat valido liquescente, inflammabili, ac vi ignis in integrum avolante, quae neque in aqua, neque in alcohole, at in oleo solvitur, inter distillandum post phlegma, acidum nidorosum, ac spiritum foetidum, oleum consequimur, seu butyri speciem, quae repetitis distillationibus purior fit, acorem amittit, atque instar fixi olei liquida evadit. Hinc non solum Cera ipsa flava, seu citrina, seu ut improprie dicunt, virgi-

nis, quae Medicamentariis utpote crassior, et mollior prae alba adhibetur atque in Ceratis, Emplastris, ac quibusdam Unguentis ad certam potius conciliandam densitatem, quam emollientis, aut alterius virtutis caussa veluti basis recipitur; verum etiam eius Oleum, et Butyrum medicamentis accensentur. Interim utriusque usus internus olim propositus utpote aegre meientibus, et calculosis laxando accommodatissimus, nunquam apud nos invaluit, atque externus fere exolevit. Tumentibus enim haemorrhoidibus, aliisve partibus dolorem compescendi fine nec Butyrum imponitur, nec Oleum labiorum, papillarum, vulvae, manuum, ac pedum fissuris, aut ipsis pernionibus, ut olim fieri consuevit, ac vulgus interdum solet, a peritis Chirurgis hodie illinitur, qui usitatiora nunc, ac tutiora remedia usurpant.

688. Caeterum de oleis, et butyris dicens silentio praeterire non possum duas praesto esse species, unam ex Animalibus, alteram ex Vegetabilibus petitam, quarum emollientibus, laxantibus, ac reliquis, quae inde pendent, viribus Medici, et Chirurghi plurimum tribuunt. Unam porro Butyrum affert ex vaccino eductum lacte, cuius alibi memini (§. 205.) quod natura lene, atque emolliens recens impositum duris, et dolentibus tumoribus subvenit, eosque ad suppurationem, si nequeant resolvi, invitat, quinimo vel ore assumptum, vel in alvum infusum emollientes, ac relaxantes facultates exerit.

Interne tamen, cum vere unguinosum oleum sit, caute dandum est, ne ea incommoda suscitet, quae eiusmodi olea generatim inferunt, nisi prudenter usurpentur, ut alibi monebo.

689. Alteram autem speciem constituit Butyrum, seu oleum de Cacao ex nucleis *Theobromae cacao* opportuna methodo, quam alio loco (§. 321.) indicavi, eductum, quod ob acidum una coniunctum tarde admodum rancescens, licet interne nunquam apud nos exhibeatur, ubi tamen reliqua indicantur olea, non raro expediret. Indole quippe mitissimum, sapore, odoreque gratum, ac tam densum, ut per se in tabellas conformetur, dum egregie emollit, et laxat, una involvit. Quare papillarum fissuris oblinitum medetur, coecis haemorrhoidibus impositum prodest, atque instar turundae, si intus doleant, Suppositorii modo inditum earum cruciatus lenit, et tollit, tumidasque venas vel resolvit, vel reserat, unde sanguine erumpente morbus discutiatur, quem etiam praecavet mature adhibitum. Non minori proinde utilitate aliis imponeretur partibus si crebrior eius usus apud Chirurgos esset, quemadmodum conveniret, ex eo maxime quod rite praeparatum difficillime rancescat,

690. Iam vero ut redeam ad olea usitatiora, nempe Olivarum, Amygdalarum, et Lini tutissime possum constituere ex principiis, viribus, atque effectibus, quos unumquodque in humano corpore edit, idem esse

unum, aut aliud adhibere sive emolliendi, et laxandi fine, sive alio quovis administretur tum interne, cum externe. Satis enim evictum est nulli peculiarem facultatem competere, sed unumquodque eandem vim habere, iisdem vitiis obnoxium esse, iisdemque usibus prospicere. Pari siquidem modo quodlibet duras partes emollit, et constrictas laxat, siccas humectat, et stimuli vim solvendo retundit, cum nondum acredinem conceperit. Item unumquodvis ex aere oxygenio, ut putant plerique, absorpto rancidum fit, tuncque alias induit facultates, ob quas stimulando, atque irritando par evadit, neque pristinam blandam, mitemque indolem cum molliendi virtute recuperat, nisi cum aqua alcalico imbuta principio, aut cum alcohole subactum omnem rancorem exuerit, seu oxygenium, quod assumpsit, dimiserit.

691. Quodvis praeterea ex indicatis oleis vel solum, vel cum ovi vitello, aut emulsione, syrupo, saccharo, gummi arabico subactum modo potionis, modo linctus, modo emulsi forma assumptum simili modo agit, unde aeque anodynum, antispasmodicum, expectorans, aliisque alibi indicandis facultatibus praeditum est, verum etiam aeque valet ad caustica, et acria venena assumpta enervanda sive eadem involvat, sive resolvat, ac minus nocua reddat, chemica etiam ratione operando, sive stomachum, atque intestina contra eorum virus muniat, inductasque contractiones solvat. In sanguinem

item delatum alterutrum oleum ad eos praestandos effectus idoneum habetur quos ab oleosis pinguibusque in eum affusis Medici sibi pollicentur. Similiter unumquodque oleum cum relaxando stomachi robur imminuat, nauseam facile moveat, caloris vi etiam rancescat, rancidumque factum stimulet, calorem augeat, acredinem sanguini tribuat, humoribusque primarum viarum, ac potissimum bilem vitiet, in inflammatoriis, gastricis, putridis, biliosis, malignisque febribus generatim noxium facile evadit, nec in aliis morbis indiscriminatim usurpatum noxa interdum caret, aut perpetuo solet prodesse. Hinc etsi olim creberrima esset sive communis olei, sive lini, sive imprimis amygdalini interna in plerisque morbis administratio, hodie apud saniores Clinicos quam rarissima est.

692. At inquiet fortasse quisquam si communes oleis istis expressis sunt vires, cur in haemophthisi, et Colica Pictonum Oleum Lini, in veneno a *Colubris* vel *beri*, vel *cherseae* morsu infuso Oleum Olivarum, in spasticis vero intestinorum, renum, et vesicae doloribus, atque in torminibus recens natorum Amygdalinum tamquam singularis virtutis remedium plerique Medicorum summis laudibus extollunt, neque Oleis istis promiscue utuntur? Profecto perperam quisquam ex laudibus, usibusque quorundam Clinicorum, aut ex Vulgi opinionibus quisquam contenderet olei cuiusque propriam, ac praesentissimam facultatem demonstrari. Enim

vero in haemophthisi, ac phthisi si oleo cochleatim subinde hausto locus interdum sit, aeque prodesse sive ex Amygdalis, sive ex seminibus Lini, sive ex Olivis desumatur, observatio iamdiu evicit, quae etiam ostendit in Colica Pictonum Oleum lini, sive praeservationis, sive curationis caussa non plus efficere, quam quodvis aliud oleum. Item adversus venena Colubrum vel commune, vel amygdalinum, vel aliud quodcumque oleum antidotum credere, ut a Cl. Viris traditum est, post ea, quae GEOFFROYUS, et HOUSARDIUS ad experimentorum, atque observationum fallaciam demonstrandam egerunt, quaeque nuper protulit Ill. FONTANA, idem esset ac veritatis loco quod falsum prorsus est temere amplecti.

693. Si igitur communes Oleis expressione elicitis, maximeque e Lini seminibus, Amygdalis, atque Olivis vires insunt, atque interne sumpta aeque agunt, promiscue etiam poterunt eadem olea externe usurpari ubi mollire, ac laxare extimas corporis partes expediat. Animadvertunt nihilominus Medici, et Chirurghi flexilitatem, laxitatemque rigidis, ac subtensis fibris singula quidem conciliare imposita, at interim quae tenuiora sunt olea cum facilius, atque ocyus resorbentium vasorum oscula queant penetrare, atque ad intimiora corporis pervenire, eadem rectius prae caeteris imponi existimant, sive oporteat ea dumtaxat illinire, sive frictione curare, ut melius oleum vascula permeet.

Qua de caussa utpote tenuius, ac minus mucagineum Oleum commune anteponunt oleo Lini, ac generatim expressa e Vegetabilibus olea Animalium oleis, et pinguedinibus anteferunt, licet id vix animadvertendum esse CULLENIUS arbitretur.

694. Sed circa externum olei usum, quaestio adhuc superest dirimenda, quae apud Medicos, et Chirurgos iamdiu invaluit, utrum scilicet impositum oleum impediat ne in ea parte consueta cutis exhalatio contingat, neve ex circumfuso nobis aere absorptio fiat humoris, vel illius, cuiusque indolis sit, principii, quod naturaliter resorbetur, atque intimius traducitur, an potius emanationem, atque una ingressum aeque retardet? Porro quamquam accuratae observationes Clinicorum, quarum auxilio facile, et tuto queam quaestionem persolvere, nondum suppetant, nimium tamen mihi videtur cum CULLENIO, aliisque censere eorum opinionem tutam unquam non esse, qui credunt oleum impositum cuti vasculorum extrema obstruere, atque istis occlusis perspirationem supprimere, cum ab eiusmodi caussa saepe olei usum in externis corporis affectibus male cessisse Chirurghi observaverint. Nec quae argumenta desumuntur ex consuetudine Veterum Romanorum, Populorumque, qui Asiam incolunt, satis huc faciunt, quoniam olea, et unguenta post sudationem, frictionemque imponunt, vel eodem corpus perfricant. Vix autem cre-

dibile videtur MURRAYO (*a*) „per oleum „arceri humiditatem aeris posse si in toto „corpore perfricaretur". Attamen ubi nulla accedat frictio, crassum admodum imponatur oleum, diuque cuti adhaereat exhalationi, atque absorptioni aliquatenus officere verisimillimum, ac certum videtur.

695. Ab Oleis progredior ad ea consideranda Vegetabilia, quibus emolliens, et laxans virtus tribuitur, quorum quidem bene multa a Medicinae Scriptoribus recensentur, etsi paucissima sint. Repererunt siquidem Clinici perperam ob peculiarem emolliendi, et laxandi vim fuisse probata Vegetabilia, quae molli, et laxa praedita textura copiosam continent aquam, quoniam ista nonnisi ob communem vim agere queunt, quam ab aqueis partibus accipiunt; ac proinde haec plane supervacanea iure arbitrantur. Sunt eiusmodi Oleracea fere omnia, atque imprimis *Spinacea oleracea*, cuius alibi memini (§. 178.) de Oleribus dicens, atque herbae, quae inter quinque emollientes referuntur, nempe *Mercurialis annua*, quae saponaceo succo abundans ubi recens sit, et laxans, alvumque ducens a quibusdam habita, non certo emolliens a LINNAEO censetur (*b*); *Parictaria officinalis*, quae aqua, non mucilagine dives, et vix temperans ab emollientibus hodie ex-

---

(*a*) Mat. Med. Vol. II. pag. 47.
(*b*) Mat. Med. pag. 216.

cluditur; *Acanthus mollis*, seu branca ursina, quae vix demulcens, atque emolliens a quibusdam habita stirps supervacaneis nunc accensetur; ac *Beta vulgaris*, quae sane multo praedita humore, et dulcis ad olera, quae crebro edi solent, potius pertinet, atque ad ea, quae humectant, et diluunt, quam quae propria virtute mollitiem, laxitatemque inducunt. Quare ex quinque emollientibus una est *Althaea officinalis*, cuius maxime radix insipida, tenaci, glutinosa, lubrica, et nutriente mucilagine plenissima ad emolliendum eximia habetur, et caeteris usitatior est, sive per se adhibenda sit, sive cum aliis remediis molliendi, et laxandi caussa, ut in quibusdam unguentis, et emplastris fieri solet.

696. Perperam etiam ad emollientia, quidam Medicorum adhuc traducunt *Alsinem mediam*, a cuius foliis emollientes facultates vix SPIELMANNUS expectat (*a*), *Violam odoratam*, seu Violariam, cuius herbam ad superflua, aut incerta emollientia iamdiu amandandam esse experientia docuit, ac *Melilotum officinalem*, cuius summitatibus resolvendi fortasse, ac discutiendi vim quisquam posset concedere, non laxandi, et molliendi, licet hoc fine malagmatibus adiici interdum soleat. Quamquam praeterea, quae ad Columniferas pertinent stirpes, emollientes omnes generatim iudicentur, attamen neque *Gossypii herbacei* semi

(*a*) Instit. Mat. Med. pag. 451.

na mucilaginem occludentia sive ad emulsiones, sive ad pultem, aut mucaginem, sive ad oleum ex iisdem exprimendum recipiuntur, neque *Alceae roseae* flores, perperam a quibusdam adstringentes iudicati, evidenter mucilaginei hodie usurpantur, utpote qui exigua admodum facultate praediti supervacanei iure censentur.

697. Itaque *Althaea officinalis*, et *Malva sylvestris* duae sunt stirpes, quae caeteris reiectis ad emolliendum utpote probatae virtutis Medicinae usibus sufficiunt. Malva enim sive ex indicata specie, sive ex *rotundifolia* commodissima, atque usitatissima est, quatenus eius maxime folia varia forma infusi decocti, fotus, cataplasmatis ob multam, quam habent mucilaginem, egregie emolliunt, ac proinde sive potionem interne hauriendam, sive gargarisma, sive lotionem clysmate infundendam praestent, sive externum quodvis medicamenti genus praebeant, multis in casibus, qui emollientia, laxantia, atque involventia requirunt, efficacitatem suam ostendunt. Quare recte tum ipsam, tum althaeam quinque emollientium herbarum loco usurpandam esse recte novissimi Pharmaceutici Codices praescribunt. Caeterum quemadmodum Malvae folia praestant virtute floribus, radicibus, et seminibus, quae idcirco partes usurpari hodie non solent; ita cedunt evidenter Altheae radici, quae tantam habet mucaginem, ut LEWISIO docente (*a*) fere ad

(*a*) Mat. Med. pag. 35.

mediam contineat, eamque infusu, aut decoctura facile eroget. Quare cum eadem in pulvere nunquam apud nos recipiatur, raro in infusu, saepissime vero in decoctu, opportunum erit Ill. MURRAY consilium (*a*) ad duas vel tres drachmas in quavis aquae libra non ultra coquendam esse, ne secus mucilagine nimia fastidium moveat, et stomacho pondus, aliamve molestiam inferat. Quod quidem praeceptum, cum similia praecipimus remedia, generatim servare oportet.

698. Interea, cum tam copiosam mucilaginem praebeat Althea, non est cur ex gummi Tragacantha, vel Arabico, ex radice Salep, ex seminibus Cydoniorum, Foeni graeci, et similibus emolliendi caussa mucilago desumatur, atque eorum proinde vires et usus, alibi proponendos, modo exsequar. Quare potius addam multiplici forma, ut de Malva iam dixi, Altheae radicem crebro, utilissimeque praescribi, tum commode eam cum fructibus dulcibus, mucilagineis, emollientibusque quos *Ficus carica* largitur, interdum coqui, si potionem, aut gargarisma praestare debeat; tum alias cum lacte, si valde emolliens cataplasma adhibendum sit. Quod demum spectat ad Malvae, et Altheae praeparata, et composita medicamenta brevissime dicam, quod censeo Conservam ex floribus malvae utpote superfluam ex officinis pro-

(*a*) Mat. Med. V. III. n. 396.

scribendam esse; neque Unguentum ex herba retinendum, utpote supervacaneum, ubi in eisdem prostet Unguentum Altheae, quod vel ex mucilagine huius radicis, vel etiam ex aliis confectum egregie emollit, et laxat inunctum, ut passim fieri solet; tum retento Syrupo Altheae, qui ubi simplici admodum modo confectus sit ex decoctu radicis, et saccharo, nisi multum emolliendo praestet, leniter tamen emollit, resolvit, et commode potionibus, aliisve medicamentis additur, reiiciendum contra esse Syrupum Altheae Fernelii, qui copia rerum plane inconcinnus, si probari unquam possit, alio potius, quam emolliendi fine, probari deberet; tum rursus Pastam Altheae, seu eius mucilaginem cum gummi Arabico, et Saccharo ovi albumine inspissatam, tabulatim divisam, non tamen duram, dum solvitur in ore leniter emollire, et faucium asperitati saepe mederi; tum denique, quod mucilaginem Altheae recipit Emplastrum Diachylon vim habere, qua duris emolliendis tumoribus inserviat, eosque, si nequeant resolvi, ad suppurationem, praesertim si emplastrum compositum sit, seu Ammoniacum, Crocum, aliaque huius generis habeat, valide invitet.

699. Atque haec, quae hactenus sum exsequutus, potiora sunt emollientia, et relaxantia, quibus salutaris Ars utitur. Nam caetera, quae huius generis a quibusdam habentur; vel omni prorsus carent emolliendi

facultate, vel eam ab humido calore, quem emittunt, solummodo agnoscunt, vel cum emollienti aliam potiorem virtutem coniunctam possident. Porro non emolliunt radices *Rumicis patientiae*, flores *Matricariae chamomillae*, ac *Sambuci nigrae*, aliaeve stirpes, quemadmodum rectissime CULLENIUS observat adversus LIEUTODIUM, qui perperam eas emollientes iudicavit. Ab humido vero calore, quem ex aqua accipiunt, ac emittunt, vim omnem mutuantur, quam exerunt, Cerealium seminum farinae subactae, atque in pultem redactae plus, minus densam, quoties linteo exceptas fovendis, et laxandis partibus a Chirurgis imponuntur. Quando autem aqua ex alto instar stillicidii depluit adhuc calida in aliquam corporis partem, quae mollienda, et laxanda sit, unde et flexilis evadat, et ab impactis humoribus liberetur, non inducta solummodo mollitie, et laxitate prodest, verum etiam excussa solidarum partium, quae debilitate laborant, actione, et contractilitate. Eos siquidem effectus coniunctim afferre videtur magnum istud artis praesidium, quod pariunt Balnea, et Frictiones, ubi illa istis antecedant, aut harum usum excipiant.

700. At nimium fortasse de remediis emollientibus, quae ideo fuse exequenda iudicavi quia, ut iam dixi, variis eorum spectatis effectibus (§. 665) et frequenti eorum usu in morbis, maximeque in iis, qui ad Chirurgiam referuntur. (§. 702) utiliora, atque usitatiora Artis auxilia pertinent. Post-

quam enim nostra praesertim aetate Chirurgiae Proceres docuerunt, atque usu comprobarunt emollientia multo saepius, et certius, quam alias crederetur, *Antiphlogistica*, *Resolventia*, atque *Anodyna* evadere, aut ubi inflammatio nequeat resolvi, *Suppurantia*, *Maturantia*, ac *Digestiva* fieri, quemadmodum loquuntur, eorum sane administratio in morbis inflammatoriis magnopere invaluit. Maxime vero invaluit, et quidem iure, postquam Ill. RICHTERUS, summus sane Chirurgiae Professor, quem magni semper faciam, constitutis casibus, in quibus externarum partium inflammatione praesente Emollientia indicantur, luculenter evicit (*a*) multo rarius, quam plerique existimabant, in ea corporis aegritudine Emollientia non prodesse, eorumque loco Adstringentia medicamenta convenire. Quo sane modo dum Vir praestantissimus omnem abstulit Chirurgis ulterius disputandi occasionem, utrum in externis inflammationibus emollientia, an adstringentia adhiberi debeant, de Aegrorum quoque salute insigniter meruit.

701. Animadvertens quippe RICHTERUS in inflammationibus curandis illud non esse praecipuum, sicuti plures arbitrantur, ut e loco inflammatione correpto sanguinis copia arceatur, et discutiatur, ac praeterea reputans animo, quod Ill. Eques a BRAMBILLA, cui summa est auctoritas, ac medendi peritia iamdiu docuit (*b*), vel acetum mitissi-

(*a*) Observat. Chirurg. Fasc. III. Cap. VIII.
(*b*) Dell' Ossicrate.

mum in vehementioribus inflammationibus insigniter nocuisse accersita potissimum gangraena, generatim Discutientia remedia minus proficua, ac saepe nocua iudicans accurate constituit quando emollientia et relaxantia, quando adstringentia, et discutientia adhibenda sint. Tradit proinde primum remediorum genus in inflammationibus prodesse, quae ab irritatione suam potissimum originem agnoscunt; in iis, quae acutus ac vehemens dolor, tensio valida, ac siccitas oris comitantur; in caeteris, quae sanari sine suppuratione non possunt, cuiusmodi censentur a vulneribus inductae, in quibus suturae locus non est; in acutis praeterea fere omnibus, atque in illis quae acrem humorem demittunt, ut in humidis, catarrhalibus, et rheumaticis ophtathalmiis, atque in gonorrhaeis virus habentibus. Nec minus apposite, ac sapienter, ut perpetuo solet, idem RICHTERUS docet in quovis casu habitum aegri Chirurgum inspicere sedulo debere, atque una conditionem partis, in qua inflammatio pus tentat movere. „Facile enim, inquit, „utplurimum ferunt adstringentia, et discu„tientia remedia corpora laxa, spongiosa, „torpida, humoribus inertibus referta; contra „vero, quae sunt sicca, calida, insigni sen„sibilitatis, et irritabilitatis gradu praedita „melius ut plurimum ferunt emollientia. Uti „vero corpora varia, ita etiam variae eius„dem corporis partes vario sensibilitatis gra„du gaudent„. Alterum quod respicit,

„ locum illum, subdit, qui pus continet,
„ circumdat saepe tumor rubens, et valde
„ dolens; aliquando vero parum dolet tumor
„ ille, et valde durus est; in priori casu
„ mere emollientia adhiberi, in posteriori his
„ acria stimulantia addi, conducit (a).

702. Constitutis hoc modo casibus inflammationis, in quibus indicata, et proficua sunt emollientia, et relaxantia, non minus accurate eos determinat RICHTERUS, in quibus eadem, vel parum aut nihil prosunt, vel nocent, ac proinde, quae adstringunt, et discutiunt valde commoda, ac necessaria existunt. Porro haec sua virtute congestos humores discutiendo, ac valide irruentes repellendo, ut inflammatio resolvatur, et suppuratio queat arceri, speciatim prodesse docet, quando inflammatio ab imminuto robore, sublata tensione, et laxitate, debilitateque vasorum praecipuam caussam agnoscit, ac speciatim ubi ipsa vehementem aut omnium, aut singularum partium commotionem, et contusionem excipiat, ubi in cerebro, eiusque meningibus post contusa capitis vulnera succedat; ubi ecchymoses et suggillationes ossiumque fracturas, aut sine luxatione, aut statim reposita, sequatur; ubi eadem inflammatio articulis valide concussis, et contusis, ac maxime femoris supervenit in suppurationem, et cariem pronissima. Ex eodem prin-

(a) Op. cit. pag. 110. 111.

cipio docet rursus RICTHERUS adstringentia generatim requiri in lentis, et chronicis inflammationibus, ut in iis, quas scrophulosum virus comitatur, aut infert, atque in caeteris, quae etsi ab irritatione natae, temporis tamen diuturnitate roboris, ac tensionis viribus attritis laxitatem, debilitatemque intulerunt, unde humorum fluxus e quibusdam partibus, ut in vetustis gonorrhaeis diu perseveret, aut tumor alicubi haerens mollis, oedematosus fiat, atque in magnum volumen excrescat. Demum docet ob adductas rationes, quae adstringunt, atque discutiunt plerumque imponenda esse quoties, licet inflammatio adsit, laxitate, et torpore partes solidae laborent, fluidaeque inertes, et parum mobiles sint, membrum vero, cui admoveri debeat medicamentum, parum sensile sit, atque irritabile.

703. Quare oportet concludere emollientia, sive interne, sive externe adhibenda sint, non esse indiscriminatim usurpanda, tum quando, utpote indicata, ac pernecessaria, administrantur, eorum usum, ut prospere cedat, quam caute, et iuxta Artis praecepta esse instituendum. Inter haec praecipuum est, ne emollientia remedia, ac praesertim validiora, sive proxime cuti admoveantur, sive medicamentis ei impositis super iniicienda sint (quo etiam modo eorum absorptioni saepe prospicitur), diutius, quam expediat, imposita maneant, aut saepius, quam deceat, renoventur. Secus enim nimia laxitate in-

terdum inducta summopere nocent. Hinc in usu Balnei emolliendi caussa instituto, ut saepe commodissime fit, minus temporis in eo sive generale sit, sive *insessum*, aut *pediluvium*, aut *maniluvium*, aut *fomentum* praestet, sitque *humidum*, aut *vaporosum*, absumitur, quo maior est vis calidi vaporis, quae ex liquore exhalat, ac pars fovenda, atque emollienda plus extensionis habet. Ob quam sane caussam, ubi ea specie balnei calidi et vaporosi, quam Rutheni Populi adhibent, quamque cum *Laconico*, aut *Assa* Veterum Romanorum, et Graecorum nonnulli perperam confundunt, utendum sit, Clinici ad pauca horae minuta eius usum extendunt, praesertim, cum ei nondum aeger assueverit, quia magna copia vaporis ab ingenti calore evoluti propere humanum corpus summopere relaxatur, et sudoribus diffluit.

704. Interea ubi vel ex improvido emollientium interno usu, vel ex eorum etiam externa administratione vel inopportuna, vel in longius, quam erat in votis, ob morbi singularem naturam protracta, vel ex partis, cui admota fuerunt ista remedia, peculiari conditione videat Artifex nimiam illatam fuisse mollitiem, laxitatem, flacciditatem, debilitatemque, propere pravam hanc vel totius corporis, vel alicuius partis constitutionem emendet, ne generalis, aut singularis sequatur infirmitas, maximeque nervorum, quae omnibus fere morbis patet. Quae quidem mala avertet provido remedio-

rum usu, quae emollientibus et laxantibus contrariam vim habent, atque eorum praesertim, quae modo subiungam.

CAPUT V.

De Medicamentis Adstringentibus.

705. Quemadmodum solidarum humani corporis partium integritati, si quando internarum, externarumve caussarum vi nimiam duritiem, et rigiditatem, atque insolitam contractionem nactae saluti minitentur, aut eam iam laedant, providentissima Natura prospexit emollientibus comparatis medicamentis, quae opportunam mollitiem, et laxitatem afferrent, sic plura, ac validissima nobis obtulit auxilia, quibus iisdem partibus contrarium vitium consequutis, seu tam laxis, mollibus, et flaccidis redditis, ut valetudinem tentarent, aut etiam adversam adducerent, tuto mederemur. Sunt eiusmodi quae corpori admota particulas, e quibus fibrae conflantur, densando, et contrahendo solidarum partium cohaesionem maiorem efficiunt, quaeque Adstringentia generatim dici solent, etsi non una ratione agere videantur, nec quovis in casu fibras, quarum mollitiem emendant, aut vim cohaesionis augent et firmant, in minus spatium constringere iudicentur. Adstringentium itaque voce late sumpta, sicuti hodie apud omnes fere Proceres Artis consuetudo obtinuit, ego quoque illa omnia medicamenta, quae solidis partibus maiorem cohaerendi vim

vim impertiuntur Adstringentia vocabo, quae secus dissimili spectata ratione, qua suum praestant effectum, aliis debuissem, iuxta quorundam sententiam, magis propriis nominibus indicare.

706. Quamvis enim nondum evoluta prorsus sit ratio, qua eiusmodi medicamenta humano corpori cohaesionem restituunt, vel augent, ac proinde qui hanc Therapeutices partem exequuntur de Adstringentium agendi mechanice inter se adhuc dissentiant; verisimile tamen videtur arbitrari in hac re affinitatem, quae inter principia solidas partes constituentia, ac particulas medicamentorum praesto sit, magni faciendam esse. Ex ea siquidem pronum est deducere quî fiat, ut medicamenta modo solidis mollitie et laxitate laborantibus reddito elemento, (cuiuscumque porro naturae sit) quod ablatum, vel copia, seu vi imminutum naturalem firmitatem sustulit, modo novo iisdem addito principio, quod dum auget densitatem, melius firmitati prospiciat, modo ex ipsis fibrarum moleculis secum abrepta materie, quae vel quantitate excedens, vel plane aliena laxitatis caussa extitit, modo parum inter se cohaerentibus partium elementis nulla re interposita arctius una contractis, quî, inquam fiat, ut medicamenta ad mollitiem, laxitatemque corrigendam accommodatissima evadant. Tot enim hisce rationibus cohaesionem conciliari posse particulis, e quibus singulae coalescunt corporis partes, Medici perhibent, etsi quidam

ab una, alii potius ab altera Adstringentium actionem derivent Ego autem censeo nullam ex istis iure excludi si in eo, quem dicebam, sensu adstringentia accipiantur.

707. Nemo proinde mirabitur si ob adductam caussam ad hoc caput referam ea quoque genera remediorum, quae, ubi eorum proprietates, atque agendi rationes potius spectarentur, quam effectus, qui interdum ex ipsis sequntur, huc non pertinerent, ac praesertim ubi ea solum Adstringentia dicenda essent, quae linguae imposita adstrictionis sensum imprimunt. Caeterum etsi credam eiusmodi sensum, quem generatim proprie adstringentia in lingua, ore, et faucibus suscitant dum has partes evidenter constringunt, adstringendi facultatem praemonstrare, non existimo ex vario adstrictionis gradu maiorem, minoremve eorum efficacitatem in stomacho, aliisque partibus perpetuo declarari, ut quidam arbitrantur. Sunt enim medicamenta, quae etsi vix leve adstrictionis sensum gustu patefaciant, interne tamen recepta validas adstringentes vires explicant, suntque contra, quae sapore valde adstringentia ex effectibus, quos postea edunt, parum efficacia monstrantur. Tutum pariter non est perpetuo iudicium ad adstringendi facultatem eruendam, vel ad gradum virtutis constituendum petitum e nigro colore, quem medicamenta solutioni tribuunt e *Sulphate ferri* paratae, cui acidum ita adimunt, ut ferrum pulveris nigri forma ad vasis fundum

praeceps ruat. Cum enim iamdiu quorundam Chemicorum observatione, nostrisque etiam experimentis innotuerit nonnulla occurrere remedia diversis plane viribus praedita, Emollientium quorundam exemplo, quae simile phenomenon excitant in eam solutionem demissa, licet omni careant adstringendi facultate; innotuit pariter adductum indicium tam ambiguum interdum esse, ut certam nequeat regulam nobis suppeditare.

708. Cui autem principio referenda sit adstringens potentia remediorum, quae molles, et laxas partes corrigant, studiosissime quaerunt qui Therapeuticen tradunt, rei interim veritate nondum constituta. Etenim si ab acido, et terra, ut optime observat CULLENIUS, ex quibus Adstringentia quaedam medicamenta componuntur, adstrictionis vim repetas, contrarium videbis in *Carbonate magnesiae*, in quo acidum, nempe *Carbonicum* terrae unitum medicamen alvum laxans largitur. Si ex eo deduces quod Adstringentia, cum non omnes terrestres, quas habent, particulas acido saturatas sistant, e partibus queant, quibus admoventur, vel acidum, vel alterius indolis humorem attrahere, atque hoc modo adstrictionis effectum edere, dices quod in aliis locum habere nequit Adstringentibus, in quibus acidum valde excedit. Si denique ad alia principia tamquam adstrictionis caussas olim prolata confugies, ad ea sane confugies, quae aut falsa, aut prorsus dubia sunt. Quare iuvat potius exoptare

ut nova experimentorum serie adstrictionis principia in medicatis corporibus evolvantur, quam ea modo infirmis fundamentis coniectando superstruere.

709. In quas vero partes Adstringentia agant, utrum scilicet in eas tantum, quae ad elementa pertinent, nec sensui, aut motui prospiciunt, an etiam in eo genere fibrarum, quae sensiles sunt, atque irritabiles, si quisquam quaerat, tutissimum erit respondere dum priores maxime afficiunt ea plane ratione, qua coria mortuorum animalium densa, ac durissima reddunt, alias etiam partes ita percellere, ut insitis earum viribus excussis maiores queant effectus edere, atque a loco, cui proxime admoventur, ad remota etiam, et dissita consensus lege suam actionem propagare. Plurima quippe sunt, quae nos monent rem ita esse constituendam, etiamsi demus Adstringentia potissimum agere in partes, quas simplices, et mortuas dicunt, et, quae agunt in reliquas, Roborantia potius vocari. Quare, cum saepe Adstringentia utrumque solidarum partium genus afficiant, rectissime docent Medici, traditque CULLENIUS non ita quovis in casu eadem remedia inter se posse seiungi, ut innotescat, quae unum genus, quae alterum speciatim aggrediantur.

710. Interea cum Adstringentia sensiles quoque, atque irritabiles fibras interdum afficiant, nec quidem mediocriter, modum facile explicant Therapeutices Scriptores quo ista medicamenta sua actione, ministerio praeser-

tim nervorum, ad eas partes propagata, quas proxime non attingunt, ita easdem immutent, ut earum etiam mollities, aut flacciditas emendetur. Quam quidem agendi rationem ii maximi faciunt, qui non solum mecum existimant Adstringentia potiorem vim in parte exerere, cui proxime applicantur, ut in ore, faucibus, stomacho, atque intestinis tenuibus accidit, ac praesertim in externis corporis partibus; verum etiam cum quibusdam Artis Magistris credunt vetitum Adstringentibus esse iter in sanguinem, aut si id prorsus non denegent, cum CULLENIO tamen censent adeo exigua copia sanguini affundi, vel adeo divisa in universum corpus, ac proinde manifestis et salutaribus edendis effectibus imparia diduci, ut coacti sint omnem eorum actionem, quae in aliis quoque partibus, imo in omnibus interdum se prodit, ab uno stomacho proxime, et speciatim affecto derivare. Quod maxime confirmari credunt a promptitudine, qua nonnulla Adstringentia intus assumpta effectus suos saepe insignes, atque utilissimos praestant.

711. Verum quamquam ego a consensus lege, atque a proxima adstringentium actione saepe sat valida in sensiles, atque irritabiles stomachi fibras horum medicaminum utilitatem arguam, nequeo tamen eorum opinioni subscribere. Nam cum alibi abunde evicerim (§. 587), quae potiora sunt Adstringentia, quaeque, eorum natura spectata, minus facta videntur, ut in sanguinem influant, in eum

revera affundi, atque ad penitiora quaelibet corporis loca intactis adhuc viribus perveni- re, non possum in solo stomacho omnem actionis caussam, et rationem constituere. Censeo proinde nisi perpetuo, quod nimium esset, aliquando saltem totum vasorum sy- stema ab Adstringentibus proxime affici, at- que ita affici, ut universum corpus eorum utilitatem percipiat. Maxime vero quod vi- deam vel ipsum GREGORYUM, ut caeteros mittam aeque insignes auctoritate Viros, vero- simillimum arbitrari „ multa eorum in san- „ guinem parum mutata, pristinisque viribus „ adhuc pollentia recipi, et ideo totum cor- „ pus pervadere, et effectum in eo quam „ maxime generalem habere (*a*). Quod qui- dem ut non solum verosimile, at certum habeatur, nimirum principium adstringens age- re in fibras, quibus admovetur, atque in humores, cum quibus admiscetur, quin muta- tionem subeat, tuto deducit Ill. DURANDIUS ex eo, quod PERCIVALIUS illius praesentiam in urinis cognoverit (*b*).

712. Ad effectus autem Adstringentium revocant Therapeutae praeter eos, qui po- tiores sunt, solidis scilicet partibus densitas inducta, atque illata constrictio, eorum quo- que firmitatem, et duritiem cohaesionis vi auctam; imminutum sensum nervorum, quem

---

(*a*) Op. cit. n. 1063.
(*b*) Nov. Mém. de l'Acad. de Dijon. 1783.

ex mollitie, et laxitate orta debilitas nimis excusserit; mobilitatem, quae eandem caussam agnoverit, sublatam; nervorum infirmitatem ex eo ortam principio emendatam; ac denique fluidarum, solidarumque partium integritatem conservatam, vel ipsis redditam, quoties putredine tententur, aut eam iam conceperint. Sicuti enim Adstringentia conservato inter particulas, quae fibras, humoresque constituunt, cohaesionis vinculo putredinem ab eisdem arcent, ita cohaesione iam indicatis modis (§. 706) restituta eam, aut partim, aut prorsus evolutam corrigunt, unde duplici in sensu Antiseptica medicamenta evadant.

713. Hinc facile eruitur horum medicaminum in quamplurimis morbis utilitas, eorumque creber usus in iisdem sanandis qui tum ad Medicinam, tum ad Chirurgiam pertinent. Enim vero indicantur, et summopere prosunt generatim in morbis, qui nimiam mollitiem, laxitatemque, atque inde ortam fibrarum inertiam, ac debilitatem tamquam caussam agnoscunt, aut eiusmodi vitio comitantur. Speciatim proinde conveniunt in cachexia, ac variis hydropisis speciebus incipientibus, atque in exitu chronicarum aegritudinum, quae ob nimias excretiones, aut mali diuturnitatem viribus solidorum attritis laxitatem intulere, aut iam existentem auxerunt. Prosunt interdum in haemorrhagiis internis quando a vasorum laxitate, et robore fracto solummodo pendent. Interdum, in-

quam, quoniam in medicina facienda verissimum esse cognovi quod iamdiu experientissimi Clinici observaverant, atque ipse testatur CULLENIUS, raro admodum ad sanguinem ob eam caussam fluentem cohibendum valere, ne dicam in reliquis haemorrhagiis Adstringentia aliena esse, et nocua. In iis enim quae ab impetu sanguinis ad extremitates vasorum, atque ab eorum actione nimis aucta fiunt, cum temere a quibusdam Medicis tentata vidissem, aut ab ignaro Vulgo usurpata, vidi quoque uberiori reddito sanguinis fluxu gravissime nocuisse.

714. In alvi etiam fluxibus Adstringentia magni fiunt. Verum, si diarrhoeam a laxitate excipimus, aliena sunt, et nocua. Etenim quae ab acri humore, a stimulo quocumque, aliisve caussis fiunt, morbum exasperant, et peiora mala adsciscunt, nocentque praesertim in dysenteria, contra quam ferat quorundam opinio Medicorum. Quod si quando in hac aegritudine profuisse quidam testentur, tunc solum verosimile est profuisse cum hic fluxus ob sui diuturnitatem, nec rite institutam curationem aut diarrhoeae naturam aquisivit, aut laxitas, vel mobilitas eiusmodi auxilii genus postulabat. Caeterum in quovis casu sive haemorrhagiae, sive diarrhoeae sedulo considerandum est, utrum fluxus criticus sit, aut a nimia copia pendeat humoris, an a laxitate. Nam criticum cohibere nocuum summopere est, tum periculi plenum a nimia copia illatum sistere, nisi quantitate sua vitae metum

iniiciat, dum contra utrumque profluvium, ubi ab altera caussa, ut dixi, nascatur, opportuna Adstringentia omnino requirit.

715. Magni quoque a Medicis plerisque fieri solent Adstringentia ad album foeminarum fluorem, quem Leucorrhaeam vocant, sanandum, cum eum a relaxatis excernentium vasculorum osculis deducant; tum ad serosum ex uretra in maribus fluxum sistendum, quem gonorrhaeam simplicem nominant, quam sive primaria sit, sive stillicidio superveniat virus habenti, ab illa pariter caussa repetunt. Verum etsi ego nequeam denegare in utroque fluoris genere Adstringentia indicari, hisce tamen interne porrectis, licet sat validis, et copiose, diuque usurpatis vix interdum imminutam copiam erumpentis humoris observavi, imo rarius adhuc utrumque morbum radicitus sublatum. Iniectionis vero forma eadem remedia in vaginam, aut in uretram infusa, sicuti in utroque morbi genere frequenter apud nos usu venit, video pariter ad aliquot horas, imo ad aliquot dies, ubi saepius renoventur, leucorrhaeam supprimere, non generatim auferre, tum mucosum ex uretra fluxum nec perpetuo, nec facile plerumque sanare. Ob quam sane vel nullam vel exiguam Adstringentium efficaciam in Leucorrhaea magis arbitror confirmari, quod ob alias etiam caussas satis constare iamdiu censui, hanc aegritudinem apud nos curatu difficillimam, ac subinde, cum sublata videtur, redeuntem a sola laxitate, debilitateque

rarissime oriri, aut foveri, sed ab aliis vitiis praesertim humorum una proficisci quibus saepe arduum sit radicitus mederi.

716. Probantur rursus Adstringentia ad nimios sudores cohibendos quoties ob laxitatem, debilitatemque effundi videantur. At interea sive rarissime eiusmodi effusio ab ea tantum caussa nascatur, sive ad illam moderandam vis Adstringentium parum valeat et raro solent hoc scopo praescribi, et parum prodesse. Probantur item adversus nimium urinae fluxum, ac praesertim diabetem, utpote morbo a laxitate, et organorum, quae urinam secernunt, excernuntque, infirmitati contraria; sed tum quoque exiguam utilitatem afferre censentur, ac potius, quae Roborantia proprie vocantur proponi, atque usu venire consueverunt, atque una ea Artis praesidia, quae nutritii ex alimentis educti succi optimae compositioni, atque assimilationi prospiciunt, impediuntque ne quod assimilari debet resolvatur, aut summo Aegrorum damno mucilaginis insipidae, vel mellitae indolem adeptum cum urina eliminetur.

717. Proponuntur denique tamquam probatae virtutis remedia adversus renum, et vesicae calculos, ac crebro usurpantur. Verum ubi expediant non ideo prosunt, quod vel calculum solvant, vel eum expellant quemadmodum communis erat olim opinio Clinicorum. Prosunt enim, ut optime CULLENIUS observat, dolores, aliaque ex calculis orta mala mitigando, ac tollendo, etsi

plerisque eius sententia salutarem Adstringentium effectum deducentis ab acido stomachi absorpto plane hypothetica videatur. Neque enim graves ex calculo molestias ab acore stomachi generatim fieri observant, neque saepe eas sedare remedia, quibus adstrictionis vis inest, neque demum Adstringentia proprie esse, quae haerens acidum absorbent, atque invertunt.

718. Dum autem apposito Adstringentium usu multis, qui chronicis, lentisque passionibus detinentur, auxilium affert Medicina, eorum quoque prudenti administratione non paucis Aegris salutem Chirurgia promittit. Docent quippe eius Professores non solum Adstringentia interne assumpta ulcerum sanationi prospicere quatenus pus bonae indolis efficiunt, verum etiam externe adhibita quae magis adstringunt, ac proprio veluti nomine Styptica audiunt insignem opem quibusdam in casibus praestare. Ego vero non solum credo puris optimi generationi subinde roborando potius totius corporis fibras, et vasa, quam adstringendo remedia quaedam favere; sed praeterea existimo utilitatem Adstringentium in externis corporis malis arctioribus limitibus coerceri, quam Vulgus existimat. Nam inflammationes quod respicit tantum abest in omni casu horum medicaminum usum convenire, ut potius dicendum sit in iis solum prodesse inflammationibus (§. 701. 702.), quas laxitas, sublatum robur, vehemens commotio, suggillatio, artuum con-

tusio, scrophulosum virus, aliaeve caussae huius generis movent, aut quas motus, mobilitatis, viriumque defectus comitatur, aut quas morbi caussae, atque aegrorum temperies, et constitutio lentas, chronicasque reddiderunt.

719. In morbis vero oculorum, in quibus relaxata vasa hoc remediorum genus indicare videntur, raro sufficiunt ac tuta sunt, ob eas caussas, quas Chirurgi Sapientiores rimantur; atque in recentibus vulneribus irritando, et affluxum humorum derivando nocent potius, quam prosint. In haerniis autem quod impositis Adstringentibus quidam adscribunt, longe aequiori iure subligaculo, aut ventrali, aut sacculo debetur, qui inguinum tumorem dum sustinet, et arcet, integumentis laxatis praestat, ut contrahi paullatim queant, atque ita firmari, ut per se tumorem postmodum contineant, atque ulterius, ne erumpat, prohibeant. In haemorrhagiis denique vasorum, quae vel graviores sunt, vel vulneribus, aut excisionibus Chirurghi manu institutis succedunt, et raro, ut notum est, licet Adstringentia spleniis imponere, quibus saucius locus comprimitur, et quando etiam id agere licet, non ex eo praepedire Adstringentia sanguinis fluxum videntur, quod circularibus vasorum sanguineorum fibris constrictis horum lumen imminuant, ac revera occludant; sed ex eo quod absorbendo fluentem ex compresso vulnere cruorem retineant spongiosa, et absorbenti qua pollent pro-

prietate, sicque obturamento quodam opposito omnem humori aditum prohibeant, ne foras erumpens haemorrhagiam renovet.

720. Hisce de Adstringentibus generatim propositis ad ea singillatim consideranda accedo partim ex Vegetabilibus, partim ex Fossilibus desumpta, ut unumquodque remedium non modo innotescat, sed potissimum pateat quodnam inter multa, quae adstringunt, in quavis indicatione maxime conveniat; cum differant indole, efficacitate, ac viribus ipsis, quatenus, praeter adstringentem, alia, atque alia in nonnullis facultas delitescit. Sunt huius census, ut a Vegetabilibus exordiar, non solum Fructus generatim, qui cum nondum perfectam, sibique propriam maturitatem fuerint consequuti, gustui austeri apparent, atque acerbi, sed ii qui omnem, quem apud nos queunt subire, maturitatis gradum consequuti acerbisculum, et grate austerum, aut leniter acidum saporem adhuc retinent, qui nutriendo corpori idonei tuto, et utiliter tamquam lenia adstringentia agunt; licet hodie ad alvi fluxus cohibendos, atque in universum ad emendandam laxitatem rarissime soleant a Medicis apud nos praescribi, olim alioquin valde usitati.

721. Eos autem speciatim alibi indicavi, cum (§. 192.) de fructibus plus, minusve austeris disserens eos ennumeravi, quos praebent *Punica granatum*, *Pyrus cydonia*, *Cornus mascula*, *Crataegus azarolus*, *Olea europea*, et *Mespylus germanica* reliquos omittens, qui apud

nos neque inter edules fructus, neque inter adstringentia remedia recipiuntur. Quare hic loci solummodo addam Mivam, seu rob *Cydoniorum* instar gelatinae, horum succo cum saccharo inspissato, confectum vix infantibus interdum in Insubria praescribi in diarrhaea, in qua leniter adstringere, atque una refrigerare oporteat, usitatissimum olim, nec spernendum medicamentum; eiusque Syrupum, qui ad eadem valet vix quasdam Officinas retinere. Addam quoque baccas *Sorbi aucupariae*, quae siccae ad adstringendum aptae dicuntur, non adhiberi, etsi ex renum calculis ortos dolores, aliaque mala decem numero, aut semel, aut bis intra diem ingestas, egregie compescere BERGIUS testetur (*a*). Addam rursus tum fructus *Pruni spinosae*, seu sylvestris, tum Conservam ex eisdem expressis cum saccharo confectam, quae ad alvi profluvium alias commendari, et frequenter usurpari consueverant, non amplius usu venire.

722. Usitati potius sunt quidam succi, qui inspissati ad nos e longinquis regionibus advehuntur, si unum, vel alterum excipimus hodie exoletum. Nemo siquidem adstringendi caussa nunc apud nos utitur vel succo Acaciae verae qui ex immaturis fructibus *Mimosae niloticae*, arboris in Arabia, et Aegypto crescentis, expressus, dein inspissatus, in nigras

(*a*) Mat. Med. V. 1. pag. 416.

massas concretus, et gustui initio adstringens, ac dein subdulcis in alvi profluviis, atque in haemorragiis internarum partium alias probari consuevit, vel succo item huic simillimo ex *Citino hypocistide* desumpto, qui ad eadem mala valere olim tradebatur. Vix etiam ac ne vix quidem praescribi hic loci arbitror succum olim magni factum, Sanguinis draconis nomine cognitum, etsi in medicamentariis Officinis adhuc occurrat. Etenim succus iste, qui ex scisso cortice arboris Americae australis, quae *Pterocarpus draco* dicitur, erumpit, licet eum, quem Officinae habent ex fructu *Calami Rotang* in Insulis Malacca, et Iava multiplici opera educi MURRAYUS observet (*a*), nisi additis fraude, aut lucri caussa, quemadmodum saepe fit, Adstringentibus adulteretur, ea gaudet adstringendi facultate, qua a scriptulo usque ad duas drachmas exhibitus haemorrhagia, aut alvi profluvio detentis queat, prout communis olim erat Medicorum opinio, evidenter subvenire, aut ulcera, et vulnera exsiccando cicatrice implere. Porro dum considero eiusmodi succum sive in placentas conformatum, sive in glebas, aut globulos nucis Iuglandis magnitudine concretum, ac foliis siccis instar folliculi inclusum, quae sola species purior altera apud nos prostat, omni prorsus sapore, atque odore destitui,

---

(*a*) Appar. Med. V. 5. pag. 304.

ac fragilem, inflammabilem, ac fere omnem resinosum, cum alcohole propinatum generatim fuisse censeo vel admixtis dolo medicamentis aliis, ut monui, vel alcoholis viribus referendos esse salutares effectus, quos ei Clinicorum quidam olim retulerunt. Hinc nisi Sanguis draconis retinendus sit ad rubrum colorem remediis quibusdam impertiendum, cum obscurus ruber adstringentes mixturas alcohole solutus rubicundas efficiat, atque contritus Cinnabarim colore aemuletur, ego non video cur eo Medicina indigeat.

723. Duo itaque fere sunt inspissati succi quibus inter Adstringentia relatis potissimum Ars utitur, uno qui Catechu, seu Terra Iaponica, altero, qui Gummi kino a Medicis appellatur. Primum quod attinet scire expedit neque terram esse, ut nimis diu creditum est, neque in Iapone natu aliter reperiri, sed nihil aliud esse eiusmodi materiem, seu massam fragilem, rubro fuscam sapore austero, in qua primum amaritiem, dein dulcedinem diu durantem detegas, magis in aqua, quam in alcohole solubilem, ac sulphatem ferri solutum nigredine inficientem, nihil aliud, inquam, esse KERRIO speciatim auctore, cuius narrationi omnes iam subscribunt, quam succum ex interna parte ligni *Mimosae cate* in Malabaria, Surate, aliisque Indostani Imperii provinciis coctione eductum, atque inspissatum, donec Solis ardore exsiccatum in frusta, aut massas concrescat. Eius usus creber esse solet, praesertim ad conficiendas tin-

tincturas ad eluendum os, gingivas confirmandas, vel aphtas, aut ulcuscula abstergenda, quae os et fauces obsideant si scorbutica labes, aut putredo ex aliis caussis nata subsit, tum ad Trochiscos cum saccharo, cui Ambra, aut Moschus raro additur, parandos, qui ore volutantur in adductis vitiis, vel in levi tonsillarum, et faucium tumore, quem laxitas induxerit. Habet siquidem praeter vim adstrictoriam, antisepticam quoque non mediocrem facultatem, ob quam adductis in casibus egregie subveniat. Potius hodie raro praecipitur in alvi profluviis, vel in colica Pictonum, aut morbis vesicae, in in quibus et laxitas emendanda sit, et una prohibendum, ne copiose mucus egeratur, licet non raro visum sit eam vel ad sciptulum semel et iterum assumptam, vel in alvum maiori dosi infusam insigniter profuisse, maxime ex eo quod aquam, in qua solvitur, mucagineam reddat.

724. Ad Gummi autem Adstringens, seu *Kino* quod spectat, nempe remedium paucis ab hinc annis ad Medicos usus invectum sapore, aliisque indiciis adstringens judicatum dum ex nondum determinatae arboris in Affrica crescentis trunco erumpere tradidit Ill. FOTHERGILLIUS, tradidit quoque inter praestantiora adstringentia medicamenta iure accenseri. Quandoquidem tum eius, tum aliorum Medicorum Hyberniae, et Angliae observationibus evictam summam eius utilitatem habemus in morbis, quibus Adstrin-

gentia validiora conveniunt. Porro in diarrhaea speciatim, atque in uteri haemorrhagiis, quae puerperis superveniunt, valde utile hoc gummi fuisse CULLENIUS perhibet, dum contra fatetur per se exhibitum in albo mulierum fluore nihil praestitisse. Etsi vero exterarum Gentium Medici hoc novum remedium magnificent, cum tamen modo pulveris infusi forma, modo pluries exhibuissem ad duas, tres, et amplius drachmas quotidie ad aliquot dies, nec minus hebdomada in alvi fluxu diutino, atque in vetusto ex utero cruento fluore, quin per se morbum sustulerit, quem interea cum alumine coniunctum (ex quo additamento magnum confici remedium adstringens idem CULLENIUS iudicat) nunc lenivit, nunc sustulit, vehementer dubito, utrum in plerisque casibus, quos Medici adducunt ad *Kino* summopere adstringens declarandum, insignis efficacitas huic tribuenda sit, an potiores effectus referendi admixto alumini, aut spiritui vini, ad solutionem, seu tincturam parandam adhibito, cum alterutra ratione generatim Medici usurpaverint. Id enim definire non sinit exigua, qua adhuc laboro, copia experimentorum, quae ad dubitationem removendam hactenus suscepi.

725. Veniunt deinde in censu Adstringentium Stirpes quam plurimae, quas etsi CULLENIUS ordinandas esse iudicaverit iuxta varias naturales Classes a Botanicis constitutas, ac proinde distinxerit in Senticosas, Stellatas, Vaginales, et Cryptogamas, fateri tamen oportet

alias non paucas occurrere, quae ad alios Ordines pertineant, imo eas, quas sub uno, aut altero Ordine complexus est gradu virtutis quam plurimum inter se differre, quod singulas rimando patebit. Enim vero inter Senticosas *Agrimonia eupatoria* licet aromatico odore adhuc recens, et sapore leniter amaro atque adstringenti non careat, atque in infusu instar *Thaeae* confecto in haemorrhagiis, atque in internis ulceribus tamquam adstringens olim probata fuerit, vix ob exiguam, nec satis evictam eius utilitatem adstringentibus videtur accensenda, ne dicam eius vim in febribus intermittentibus, in quibus apud nos crebro fuit adhibita, in inveterata scabie, in herpete, ac rheumatismo chronico dubiam plane esse. *Alchemilla vulgaris*, sive herba odore destituta, ac vix austera, sive radix gustu austerior recipiatur, inefficax plane ad adstringendum communiter censetur, ac proinde Medicinae supervacanea, nisi antispasmodicam facultatem, quam in morbo epidemico eius folia in infusu, tinctura, atque extracto propinata ostendisse spasmos, qui digitos manuum, et pedum occupabant mitigando, ut ex TAUBIO retulit MURRAYUS, nova pericula certius evincant. *Potentillae* duae species, una *anserina*, seu Argentina, altera *reptans*, seu Pentaphyllum eiusmodi sunt, ut eorum usu carere sine damno queat Medicina. Nam ad priorem quod attinet speciem, eius herbam in narium, atque uteri haemorrhagiis cum exhibitam quandoque vidissem iisdem si-

stendis prorsus imparem esse cognovi; quemadmodum fluori albo imparem cohibendo cognovit CULLENIUS, ulceribusque sanandis internarum partium Medici alii non parem agnoverunt, etsi in phthisi pulmonali ulcerosa semel profuisse post ROSENSTEINIUM Ill. ACRELIUS (*a*), atque in empyemate opem tulisse Cel. BERGIUS testentur (*b*). Alteram vero quod respicit speciem, nempe *reptantem*, seu Pentaphyllum, cuius radicem post HIPPOCRATEM (*c*) ad febres intermittentes vincendas quidam probarunt, alii ad alvi profluvia cohibenda, imo ad utrumque folia aeque valere nonnulli iudicarunt, veluti supervacaneam, aut etiam inefficacem Clinici hodie contemnunt.

726. Istis tamen Senticosis maiorem nunc famam apud Medicos *Geum*, tum *urbanum* seu *Caryophyllata*, tum *rivale* obtinuit cum non solum radicem illius, quae recens Caryophyllum redolens gustui aromatica est, austera, atque amara, tum alterius speciei, quae inodora ipsa quoque austera percipitur, in alvi fluxibus, haemorrhagiis, aliisque morbis a laxitate, debilitateque illatis adstringendo utilem Clinici olim habuerint; verum etiam, nostris diebus utramque, maximeque ex priori specie petitam febres intermittentes Peruviani instar corticis sanare

(*a*) MURRAY op. cit. V. III. n. 355.
(*b*) Op. cit. Vol. I. pag. 442.
(*c*) Lib. II. de Morb. p. 473. edit. Foes.

non pauci tradiderint. In essentia enim, in decoctu, aut in pulvere BUCHHAVIUS, AASKOWIUS, CALLISENIUS, TODIUS, et WEBERUS (*a*), si de *urbano* loquimur, testantur ad unciam unam in essentia, ad sesquialteram in decoctu, atque ad paucas drachmas in pulvere exhibitum febrim sistere. Nec dissimili modo porrectam *Gei rivalis* radicem in quotidiana, tertiana, et quartana febre profuisse KALMIUS in America septentrionali (*b*), et BERGIUS in Europa (*c*) retulerunt. Verum ut mittam, quae ad evincendum vel nullam, vel exiguam febrifugam virtutem inesse *Geo urbano* ex LUNDIO, BRANDELIO, ACRELIO, DALBERGIO, aliisque Clariss. Clinicis recensuit MURRAYUS (*d*) de utriusque radicis apud nos inefficacitate ad febres intermittentes vincendas, quae vel Corticis peruviani, vel succedaneorum usum postulant, sive vernales sint, sive autumnales, tot mihi suppetunt observata ex multiplici experimentorum, quae hic loci superioribus annis egi, numero deducta, ut nequeam utrumque Geum vere febrifugum censere, etsi in quovis casu ad aliquot uncias exhibeatur.

727. Vix autem indico inter Senticosas stirpes *Spiraeam filipendulam*, seu Saxifragam rubram,

(*a*) Buch. Obs. circ. rad. Gei urb.
(*b*) Murr. V. III. n. 354.
(*c*) Op. cit. V. III. pag. 132. (*d*) Loc. cit.

quia, licet eius radix exsiccata amaritie, atque aliqua fortasse adstringendi qualitate non careat, inefficax est; tum *Spiraeam ulmariam*, quia nec eius floribus, qui grate odori ad sudorem, aut exanthema pellendum alibi usurpantur; nec herba utpote sapore austera adstringens, ac vulneraria olim iudicata unquam hic loci utimur. Vix etiam attingo folia, et radicem *Fragariae vescae*, cuius fructus in sanorum, aegrorumque diaeta veluti eximios alio loco probavi (§. 190) non omni adstringenti facultate destitui, quia ab inerti, ac supervacaneo hocce remedio in tanta, quae praesto est, copia validiorum, atque utilium, nunc iure abstinemus. Potius itaque de Senticosis sermonem absolvam dicens de iis speciebus, quas medicamentariis Officinis duplex genus *Rosae*, et *Tormentillae* largitur.

728. Porro Rosam quod respicit mittens *centifoliam*, seu damascenam, aut pallidam cuius flores aliis usibus dicatos expendam alibi, *gallicam*, et *caninam* solummodo commemorabo. Ex *gallica*, seu rosa rubra flores adstringenti, et subamaro sapore praeditos desumimus ad varia praeparata, et composita conficienda, cuiusmodi sunt Conserva Rosarum rubrarum, Saccharum rosatum, Mel rosatum, Acetum Rosarnm, Tincturam, ac Syrupum. Caeterum cum Mel, et Syrupus aliis usibus inserviant, Saccharum virtute a conserva non differat, Acetum vero, et Tinctura vix quidquam efficacitatis ab

eisdem rosis accipiant, hic tantum monebo Conservam, quae contusa petala nondum explicata cum purissimo saccharo miscendo conficitur, ubi rite facta sit (atque ad iudicium MURRAY (*a*) non plus sacchari habeat, quam rosarum conservatio requirit, nempe ad aequale pondus) in phthisi ex ulcere largiter, diuque assumptam insigniter proficuam gravissimos Medicos olim tradidisse. Sed cum ego saepe in tam diro morbi genere eam dederim, ac saepius adhuc ab aliis Clinicis abunde, et diu propinatam viderim, quin morbum unquam vicerit, aut valde leniverit, fidenter subscribam CULLENIO, qui adductas curationes aliis potius auxiliis, maxime diaeteticis, quam Conservae rosarum virtuti sapienter retulit. De *Rosa* autem *canina* seu sylvestri monere oportet eius fructum, qui Cynosbatos vocatur, acido dulcem adstrictione praeditum ad acetaria, et condimenta crebrius recipi, quam ad medicamenta, ac fungum, seu Bedeguar calculosis, epilepticis, atque hydrophobia detentis alias valde proficuum iudicatum, nunc inutile censeri, atque ex genere remediorum delendum.

729. Sistit vero *Tormentilla* speciem, quam *erectam* dicimus, cuius radix ob saporem aromaticum valde austerum, quo reliquis Senticosis stirpibus praestat, non parum utilis

(*a*) Vol. cit.

iis omnibus in casibus perhibetur, in quibus Adstrigentia indicantur. Id quidem sua experientia suffultus tradit CULLENIUS, qui praeterea docet eam modo solam, modo cum radice *Gentianae luteae* forma pulveris abunde ingestam intermittentes febres cohibere, quemadmodum LÖSECKIUS iam pridem monuerat (a). Verum eam in pulvere a media drachma ad unam, subinde ad alteram saepius die datam nunc per se, nunc cum amaris, ae speciatim cum Gentiana coniunctam fateor meam plerumque spem fefellisse etiam si aliquot eius unciae fuissent insumptae in febribus, nec quidem gravioribus, atque in ipsis quandoque vernalibus. Nec credo, ubi etiam in eo febrium genere plus efficeret Tormentilla, Senticosis reliquis generatim anteponendam; quia dum maiorem adstrictionem ostendit, eo vitio obnoxia est, ut stomachum Aegri facile infestet, qui infirmus sit, aut exquisito sensu donetur.

730. A Senticosis progredior ad Stellatas, inter quas tamen nullam hactenus stirpem invenio, quam adstringendi caussa iure possim Clinicis proponere. Nam, ut mittam eas, quae ob dissimiles vires ad alia remediorum capita revocantur, falsum plane est folia *Valantiae cruciatae*, vulgo Cruciatae, contusa, aut decocta si imponantur instar cataplasmatis infantum haernias cohibere, et

---

(a) Ausel. Arzneym p. 467.

vulneribus, atque ambustis mederi, tum assumpta quovis alio morbo a laxitate profecto implicatis opitulari. Quid vero de herba *Asperulae odoratae*, seu Matrisylvae, aut Asperulae proferam anceps haereo. Etenim ex una parte herba utpote vehementi odore in Melilotum incidente donata Medicinae non inutilis, videtur, ex altera vero tutis observationibus innixa non videntur, quae de eius facultatibus ii protulere, qui eam exhilarare, epilepsiae mederi, obstructiones viscerum discutere, paralysim solvere, scabiem mundare, atque hydrophobiam avertere affirmarunt.

731. Nec tutius possum de variis *Galii* speciebus iudicium proferre. Tradunt profecto generatim Medicinae Scriptores eius species in Officinis receptas, cuiusmodi sunt *Galium verum*, seu Luteum, *Galium mollugo*, seu Album, et *Galium aparine*, seu Aparine vulgaris, si earum summitates distillationi subiiciantur, acidum liquorem demittere, et lac cogere, tum radices ossa animalium rubro colore tingere si cum pabulo assumantur. Quod enim Bergio tentanti ex herba *Galii veri* acidum educere, ac cum ea lac cogere experimentum in Svecia non successerit (*a*), nec lac item coagulare in Scotia Cullenius potuerit; alibi nulla aqua ad distillandum adhibita Borrichii methodo successit, atque

(*a*) Op. cit. V. 1. pag. 64.

ad obtinendum lactis coagulum Galium Veteres usurpasse, imo nunc quoque ad parandum caseum in Hibernia usu venire MURRAYUS apposite observat (*a*). Omne proinde discrimen a diverso distillationis modo, atque a soli dissimilitudine proficisci existimo. De viribus autem cuiusque Galii si a me quaeratur ultro fatear eas, sive adstringentes, sive aliae quaecumque sint, valde exiguas, ac dubias mihi videri. Nam ne dicam de *aparine* inefficacitate tum in morbis, quibus generatim Adstringentia opitulantur, iamdiu evicta, cum in tumoribus, atque ulceribus scrophulosis a CULLENIO nuper comperta, nemo hodie adstringendi caussa *Galium* sive *verum*, sive *moluginum* usurpat. Neque utriusque herbam floridam a granis octo ad drachmam in pulvere, a duabus drachmis ad duas, tresve uncias in succo, atque a pugillo ad manipulum in infusu quotidie aliquot diebus ieiuno stomacho adhibitam spasticis malis prodesse, ac speciatim epilepsiae mederi facile crediderim postquam flores *Galii veri* pluries epilepticis inutiliter praescripsit CULLENIUS, ac de succo florentis *Galii mollugini* tamquam infido epilepsiae remedio, ac recidivae arcendae impari Ill. GARDANUS conquaestus est (*b*).

732. Nullam praeterea a radice *Rubiae*

(*a*) Op. cit. V. I. pag. 372.
(*b*) Gazette de Santé 1774.

tinctorum, quamquam amara, ac leviter austera sit, adstrictionem sat manifestam, atque in morbis valde utilem mihi polliceor. Etenim in obstructionibus viscerum, atque in ictero, aliisque morbis, laxitate praesente, modo in pulvere, modo in decoctu a drachmis duabus ad quatuor, imo ultra partitis vicibus datam urinam vix interdum paullo auxisse vidi; sed nunquam adeo vidi profuisse, ut sive a plerisque Medicis cum HIPPOCRATE (*a*) multi in adductis casibus haberi, sive inter quinque Aperientes minores radices collocari debuerit. Neque in rachitide, contra quam magni eam fecit LEVRETUS (*b*), aliquid boni ab eius usu expecto, cum saepe inutiliter eandem praeceperim iis Aegris, quibus Roborantia, et Resolventia caetera postea exhibita profuerunt. Quare arbitror notissima cuique experimenta cum Rubiae radice a Physiologis in animalibus eadem pastis ubique fere locorum suscepta dum demonstrarunt ossa roseo colore elegantissimo inficere, terra ossis potissimum affecta, ac subinde urinam, sanguinem, adipem, et sudorem similiter colorare, non vero cartilagines, tendines, ligamenta, et periostium, non illud quoque, quod fidenter quidam Medicorum censent, probasse materiem, quae cum fluidis miscetur partibus,

(*a*) Lib. de Vict. Acut.
(*b*) Traité des Accouch. pag. 277.

ac durissima ossa pervadit praestantissimum etiam auxilium Clinicis largiri.

733. Referuntur quoque, ut dixi, ad Adstringentia Cryptantherae plures, ac speciatim Filices; quo autem iure referantur singula genera rimando, quae speciem aliquam adstringentem medicamentariis Officinis praebent, cuique facile patebit. Itaque scire expedit *Polypodii vulgaris* antiquitus Filiculae radicem, sive quercubus, sive aliis arboribus adhaereat, vix odoram, dulcem, dein amaram, et non sine nauseosa qualitate lenissime adstringentem eiusmodi esse, ut eam neque adstringendi, neque demulcendi, neque resolvendi, neque alvum laxandi, aut praesertim maniam discutiendi caussa a prudenti Artifice debeat, ut alias fieri consuevit, unquam praescribi. Iamdiu enim cognovi hanc radicem, saepius eam in Aegris experiendo in chronicis viscerum, ac totius corporis morbis a laxitate illatis nullam opem afferre, in pectoris affectibus a catarrho, aut muco natis perperam eius succum recentem Succo Glycyrrhizae substitui, eamque in extracto ad aliquot drachmas, in succo ad duas, tresve uncias, vel in infusu, aut decoctu ex quatuor, et ultra eiusdem radicis unciis confecto generatim alvo solvendae hîc loci imparem esse; ubi non multis etiam ab hinc annis Rhabarbari aemulam Medicorum quidam existimabant. Quod ideo accidisse verisimile est, quia eam propinabant cum aliis alvum ducentibus coniunctam, quemadmodum

ii praestiterunt, qui adversus maniam eadem usi sunt aliis etiam ad curationem interpositis remediis, quibus aequiori iure consequutam mali mitigationem, aut sanationem quisque tribuet.

734. Item radicem *Polypodii filicis* maris levissime nauseosam, ac saporem habentem, qui leniter amarus atque adstringens aliquam dein dulcedinem, exiguamque acrimoniam exhibet, adstringendi caussa, ne modo de eius facultate, et usu ad necandos vermes dicam, quod alio loco exsequar, eam olim in pulvere, decoctu, vel succo datam Nuperiores plane negligunt. Num vero saltem dicendum Filicis folia ventrem mollire? Num radix ad duas drachmas in pulverem contrita alvum leniter movet, ut RUTTYUS narrat (*a*), aut Rhabarbari vires ita aemulatur, ut alvum prius laxet, dein adstringat? Mortuum ne foetum expellit sicuti post AETIUM monet OLIVERIUS (*b*); unde quam caute gravidis danda sit? An calculum solvit, nascentem discutit hydropisim, ac denique rachitidi medetur? Ista omnia mihi non vera videntur. Nec maiorem ego fidem tribuo viribus adstringentibus, ob quas infarcta ex laxitate abdominis viscera, ac speciatim lienis tumores discutiantur, radicis viscidae, amaricantis, ac valde nau-

(*a*) Mat. Med. Antiq. et Nov. pag. 405.
(*b*) Journal. de Med. T. 12. p. 129.

seosae, quam praebet *Pteris aquilina* seu Filix foemina, quae utrum ad Anthelmintica pertineat, ut Vulgus existimat, alibi despiciam.

735. Nunc potius caeteros Filices tamquam adstringentes persequar eo praesertim fine, ut contra communem opinionem innotescat vel exiguam, vel nullam ad id facultatem possidere. Ita equidem censendum arbitror de variis *Adianti* Speciebus. Nam *Adiantum capillus veneris*, seu Capillus veneris, cui *Adiantum pedatum*, vel *Asplenium adiantum nigrum* multis in locis substituitur, herbam exhibet leviter fragrantem, praesertim si fervida infundas, ac lenem adstrictionis sensum cum aliqua dulcedine linguae imprimentem; quae etiam non omnis mucilaginis expers herbas quinque Capillares ingreditur, ac prae caeteris usurpatur in morbis pectoris et faucium, ac speciatim raucedine, tussi, difficili screatu, atque asthmate incipiente quoties aegritudo ab inerti, crasso, et nimio muco originem agnoscat, neque inflammatio, aut insignis acredo praesto sit. Sed eam vix non inutilem esse iamdiu Medici sapientiores monuerunt, quibus eo lubentius subscribam, cum etiam largiter a me adhibitam in infusu, ne quod inest odoris periret, eos observaverim effectus edere, quos, nullo modo adstringentes, calenti aquae, atque addito saccharo referre tutius erat. Nec S y r u p u m C a p i l l o r u m veneris M o n s p e l i e n s i u m paratum ex herba, cui syrupus affun-

ditur, rite confectum plus probabo, quem ad iam indicata mala egregie valere Vulgus existimat. Nam vires, quae huic Syrupo, qui vel cochleatim lingitur, vel cum infusibus, decoctibusque assumitur, vel aliis admiscetur remediorum formulis, a plerisque tribui solent, ab Aqua Aurantiorum, quae plerumque ad maiorem suavitatem odoris impertiendam ei additur, atque ab ipso saccharo proficisci mihi, aliisque Medicis videntur, qui mecum proinde censent ad pravum potius quorundam medicaminum saporem corrigendum, quam ad morbos per se curandos eum in Officinis adhuc servari.

736. Aliam vero quam paullo ante indicavi speciem Adianti, nempe *Adiantum pedatum* scimus eam in Anglia, et Gallia Capillo veneris substitui, atque ex sapore leniter acerbo, quem habet adstrictoriam eius vim BERGIUM, aliosque coniicere; sed non est cur hac specie in Canadensi regno, atque in Virginia perenni laboremus postquam constitit Capillo veneris supparem esse, nempe vix non inerti remedio. Quare progredior ad varias enumerandas species, quas ASPLENIUM Medicinae suppeditat, quasque ego vix non reiiciendas esse arbitror, utpote nimis leni, vel astringendi, vel resolvendi virtute donatas, ut certam opem ex earum usu Medicus sibi queat polliceri. *Asplenium* siquidem *hemionitis*, seu Hemionitis astringens pectoralis, et vulneraria olim proposita tamquam inefficax exolevit. *Asplenium scolopen-*

drium seu Lingua cervina, aut Scolopendrium herba inter quinque Capillares recepta graveolens, parum austera, et modice acris non plane inutilis a manipulo uno ad duos infusa mihi videtur, etsi cum Veteribus eam non parem habeam lienis tumori, et viscerum obstructionibus resolvendis, tum curandis pectoris morbis, etiamsi a laxitate, mucosave colluvie fiant.

737. Huic qualitatum, viriumque ratione *Asplenium ceterach* proxime accedere dicitur, et Capillarium numerum auget, imo speciatim renum, et vesicae affectibus, quos minores calculi, aut arenulae intulerint, opitulari FERNELII, MORANDII, CRANTZII, aliorumque auctoritate perhibetur: quod non satis experientia evicit. *Asplenium trichomanes*, seu Adiantum rubrum, herbam ex quinque Capillaribus mucilagineam leniter dulcem, ac modice austeram alii Capillo veneris, alii Rutae murariae quo ad vires comparant, in eo tamen consentientibus veluti supervacaneam nunc non iniuria exolevisse. *Asplenium* item *adiantum*, seu Adiantum nigrum Trichomani, aliisque Capillaribus succedaneum, neque istis magis expectorans, superfluum est. Denique *Asplenium ruta muraria*, seu Ruta muraria una pariter ex Capillaribus herba est, inodora, subdulcis, et leniter austera, quam aquae incoctam addito melle tussientibus, atque asthmaticis succurrere, vomicam disrumpere, renum dolores lenire, vesicam ab arenulis liberare, infantum haer-

pias cohibere, et rachitidi, aliisque chronicis morbis auxiliari multi olim magni nominis Medici tradiderunt. Sed ista omnia quae Ludwigius denegat, atque in dubium revocant Hallerus, et Vitetus, nemo prudens hodie admittet, nisi mecum calidae aquae largiter epotae, et melli addito salutarem effectum interdum adscribat. Nemo pariter admittet, quod alii tradunt Rutam murariam cachexiam, et iecinoris, aliorumque viscerum obstructiones sanare ob laxitatem adstrictoria virtute sublatam, cum eiusmodi vim tam exiguam habeat, ut vix debeat inter Adstringentia medicamenta adnumerari. Potius igitur inter Filices herbae *Equiseti arvensis* adstrictoriam facultatem tribuas, quam ei Medici omnes concedunt, quamquam casus non constituant, in quibus eo nunc inusitato remedio utendum sit.

738. Quod denique attinet ad reliquas Stirpes, quae vel ad Filices, vel ad Muscos referuntur adstringendi praesertim scopo proponi solitas eas Medicinae supervacaneas pronuncio. Nam *Ophioglossum vulgatum* seu Linguam Serpentis subdulcem, et glutinosam alvi fluxibus, albo mulierum fluori, atque haemophthisi mederi nemo credet, aut vulnera, atque ulcera sanare impositam. *Osmundam lunariam* seu Botrytim Ophioglosso succedaneam olim habitam immodicis praesertim, ac cruentis fluxibus alvi interne, externeque usurpatam auxiliari nemo pariter censebit; aut *Osmundae regalis*, seu Filicis flori-

dae radicem amaricantem, ac paullo nauseosam parem habebit cum Hermanno, Rajo, Bowleo, aliisque rachitidi certo sanandae, aut cum aliis Scriptoribus haernia, alvique fluxu laborantibus valde utilem intus, exteriusve adhibitam. Nemo quoque arbitrabitur eam stirpem, quae licet nondum ad certum ordinem, et genus relata sit, tamen eius radix *Calaguala* dicta, quae qualitatum ratione radici Osmundae, et Polypodii quam proxima est, eam, inquam, post ea, quae ipse egi ad eius exiguam vim demonstrandam in morbis quibus proponitur, vel adstringendi, vel resolvendi fine multi esse faciendam (*a*). Denique *Polytrichum commune*, seu Adiantum aureum, etsi non omni adstrictoria qualitate careat, eiusque herba quinque Capillarium numerum expleat, nec sputo movendo, nec sanandis morbis pectoris, aut cohibendis fluxibus alvi par remedium prudens Artifex nunc existimabit.

739. Maiores autem vires adstringentes sibi pollicentur Medici a quibusdam aliis Stirpibus ex diversis Ordinibus hinc illinc desumptis, quas idcirco singillatim persequar, licet quasdam neque usu, neque virtute satis queam probare. Ex Oleraceis duo genera adstringentes sistunt species, nempe *Rumex* et *Polygonum*, ut *Rheum* praeteream, quia Stirpes, quas complectitur usitatiores hodie movendo ventri, quam adstringendo

---

(*a*) Saggio sulle virtù e sugli usi della radice di Calaguala 1791.

esse solent. Porro *Rumex acutus*, seu Lapathum acutum, aut Oxylapatum radicem cum aliqua amaritie leniter adstringentem sistit, quam in scabie, impetigine, lepra Graecorum, aliisque cutis diutinis affectibus utilissimam Veteres pronunciarunt, si eius decoctu ablueretur cutis, aut eadem cum aceto cocta imponeretur, nos sane in ea chronica cutis affectione, quam Insubres ei valde obnoxii, salso appellant, etsi ad morbum radicitus tollendum non valeat, non sine evidenti utilitate, ubi maxime robur visceribus addere conveniat, atque excretiones intendere, Aegris in decoctu ad aliquot drachmas, (dosi pedetentim aucta, ne plus stimulando officiat stomacho atque intestinis, vel alvum resolvat, ut vidi liberalius ingestam efficere) passim adhibemus.

740. Etsi vero *Rumex aquaticus* radicem praebeat austeram, amaram, herbae Britannicae, aut Hydrolapathi nomine Medicis cognitam in decoctu ex aqua, aut vino a Veteribus in stomachace usurpatam, atque eximiam in scorbuto, eiusque affectibus a Nuperioribus habitam, plane inusitatus nobis est. *Rumex alpinus*, cuius radicem Rhabarbarum Monachorum afferre alibi dicam, nunquam apud nos usu venit, cum eius radix alvi profluviis sistendis Alpicolarum more supervacanea in tanta copia remediorum, quae certius, et validius adstringunt, ac roborant, habeatur. *Rumex* denique *acetosa* seu Acetosa hic loci vix non omni caret

usu. Eius quippe folia, e quorum succo expresso Sal essentiale, seu *Acidulum oxalicum* ipso *Tartrito acidulo potassae* paullo acidius, ac solubilius obtinetur, rari admodum usus sunt, quoniam earum loco, utut egregie temperent, et scorbuticis subveniant *Acido oxalico* suo, potius *Acido nitrico* utimur. Radix vero austero, et amaro sapore donata nunquam praescribitur ut ea, quae ad movendam urinam, ad resolvenda viscera infarcta, atque ad emendandam laxitatem inefficax est.

741. Potius igitur ex *Polygani* genere usitatum ad adstringendum remedium desumitur, nempe ex *Polygano bistorta*, aliis nunc tribus speciebus exoletis, quae olim usu et fama invaluerant. Etenim nec *Polygani hydropiperis*, seu Persicariae urentis folia, quae recens contusa, atque imposita cutim rubefacere dicuntur, neque ad purganda ulcera, neque ad oedematosos discutiendos tumores adhibemus; nec *Polygani persicariae* herbam lithontripticam credimus; nec *Polygani avicularis*, aut herbae Centumnodiae ad duas, tresve uncias in succo, vel in decoctu usurpatae tantam adstrictionis vim tribuimus, ut credendum sit haemorrhagiis, aut diuturnis alvi fluxibus, aut vulneribus mederi.

742. Itaque sola Bistorta, seu radix *Polygani bistortae* valde austera, aliisque indiciis adstringens ex caeteris speciebus probari ad medendum debet. Multum quippe

efficaciter a scriptulo ad drachmam dimidiam in pulvere, vel ad unam drachmam, alteramve in decoctu quavis vice in diarrhaea, aliisque morbis utilissime administratur, in quibus Adstringentium, et Roborantium usus tutus, atque optimus est; ac maxime eorum, quae antiseptica etiam virtute, ut Bistorta, praestant. Quod vero maiorem Medicorum animadversionem de eius viribus meretur usus est in febribus intermittentibus, quas non solum per se interdum tollere iamdiu innotuerat, quod adstringentibus aliis commune est, sed fere instar Corticis peruviani tuto facile, et certo sanare coniunctam cum Gentianae radice, aut qualibet alia amara stirpe nuper CULLENIUS asseruit. Profecto frequentius, et validius reliquis febrim cohibere posse Bistorta videretur; at interim saepe fallere etiam amaris unitam, et largiter datam stomacho non parum molestam evadere, ut Cortici nequeat substitui, multis iam experimentis, atque observationibus in diversa epidemica febrium constitutione, atque in vario Aegrorum, caussarumque discrimine, ac dissimili morbi specie institutis evidenter didici. Speciatim autem observavi in iis casibus, in quibus Cortex peruvianus omnino indicatur, parca manu exhibitam febrim non sistere, ac maiori, ubi etiam eam superet, non sine multo Aegrorum incommodo superare. Hinc credo generatim hoc genus remedii in hisce febribus valde ambiguum, nec tutum adeo, ut quibusdam videtur, ne dicam quod

iam prudenter docuit MURRAYUS, caeteras etiam stirpes adstringendi virtute donatas in febribus intermittentibus tutas non esse, quae remediis unice adstringentibus suffocantur potius, quam curantur (a).

743. Hisce accedunt Vegetabilia reliqua, quae olim magnam celebritatem obtinuerunt tamquam Adstringentia medicamenta, vel adhuc obtinent. Sunt eiusmodi *Punicae granati* cortex, Malicornium dictus, austerus, amarus in haemorrhagiis alvique profluviis plurimi factus, et vere adstringens nunc fere exoletus, ac flores, Balaustia nuncupati, qui cortice mitiores nunc negliguntur. Sunt herba, et flores *Hyperici perforati*, quoniam huic stirpi suaviter olenti, leniter amarae, atque adstringenti fere balsamicae cum nimium adstringendo, detergendo, ac resolvendo olim tribuissent Medici, ac veluti insigne vulnerarium, atque abstergens remedium in infusu, extracto, essentia, et syrupo crebro adhiberent, hodie Clariores Clinici, ac Chirurghi exiguam, aut nullam ei fidem praestant. Sunt *Lythri salicariae* flores in Italia ad alvi profluvia cohibenda olim multi usus nec virtute destituti, nunc raro adhibiti, nec immerito cum satis manifestos, atque insignes ex iisdem effectus nunquam viderim. Sunt rursus illius generis herba, et flores Achillaae millefolii, seu Millefolii, in quibus etsi sapor leniter adstrictorius, atque una paullo

(a) Op. cit. V. IV. p. 407.

aromaticus, atque amarus cum adstringenti roborantem, atque antispasmodicam virtutem praemonstrare videatur, tum magni habita fuerint in morbis fere omnibus, qui similia medicamenta requirunt, ego parum tribuo: praesertim cum videam in plurimis locis ab hac stirpe Clinicos generatim abstinere.

744. Praeter haec Vegetabilia inest quoque virtus adstringens *Myrti communis* baccis, et foliis, quae tamen olim crebro usurpata nunc Coriariis potius, quam Medicis inserviunt. Inest etiam virtus radicibus, ac praesertim foliis *Plantaginis latifoliae* seu majoris, et *Plantaginis lanceolatae* seu minoris quam foliorum et sapor leniter adstringens atque amarus, et eorum utilitas aliqua in diarrhaea, in ulceribus, atque interdum in febribus intermittentibus, ac minoribus vulneribus declarant si tum in infusu, vel decoctu, vel succo sumantur, tum contusa externe imponantur. Interea non inde consequitur Plantaginis aquam distillatam vulnerariam, atque adstringentem esse, quae perperam a quibusdam adhuc praescribitur, cum utraque destituatur virtute. Inutilis etiam adstringendo est radix *Convallariae polygonati*, seu sigilli Salomonis, quia eadem dulcis, et cum amara acrimonia mucilagine dives verius ad Emollientia, quam ad Adstringentia pertinere recte censetur. Nec fidendum est *Visci albi* cortici, quem Lignum Visci quercini Medici vocant, licet aromaticam adstrictoriam amaritiem sapore patefa-

ciat, quando certo, atque efficaciter adstringens remedium indicatur, ne dicam de caeteris eius viribus alibi expendendis. Quare superest, ut Vegetabilia adstringentia complectar proponendo ea, quae de *Arbutu uvae ursi*, de Cortice *Quercus roboris*, et *Nerii antidysenterici*, de Ligno *Haematoxyli campechensis*, ac de Nucibus *Quercus cerris* recentiores Medici docent.

745. Folia *Arbutus uve ursi* initio styptica, dein amara; in quibus cum insipida resina gummi abundat sapore amarum, a quo praecipuam vim quidam deducunt; non solum ad Adstringentia hac aetate Clinici retulerunt, verum etiam ob hanc vim, atque ob singularem in calculis urinariis actionem veluti lithontriptica magni fecerunt. Praesertim vero cum HAENIUS, aliique susceptis in calculo laborantibus periculis, institutisque etiam extra corpus humanum experimentis; chronicis urinalium organorum vitiis ex calculo, pure, aliisve caussis ortis mederi; ipsosque calculos non raro resolvere tradiderint. Profecto si quae apud Medicinae Proceres de *uva ursi* occurrunt una sumantur oportet fateri eam cruciatus renum, et vesicae, dysuriam, stranguriam, vel ischuriam ex calculo interdum mitigare, urinam, mucum, pus, arenulas, ipsumve subinde calculum pellere, huius incremento non raro adversari, ac nephritidis dolores ex eadem caussa quandoque prohibere, quin tamen aut omnibus subveniat, aut vere calculum solvat;

quemadmodum quidam tradidere. „ Huic enim opinioni (inquit apposite Vir nunquam interiturae memoriae MURRAYUS; qui singulari commentario (*a*) Uvae ursi principia vires, atque usus iamdiu illustravit) „ nec „ quantum capio extra corpus humanum in- „ stituta experimenta favent, nec phaenomena „ in Aegris, quibus offertur obvia. Nimis „ prompte saepe effectus insequitur; quam „ ut emolliri, deliquescere, vel delabi calculus „ inde posset; nimisque cito saepe redeunt „ mala pristina neglecto usu; quam ut in „ novum coalescere posset; vere subinde „ profuisse, symptomatibus etsi silentibus; „ catheter declaravit. Magni tamen, sapien- „ ter subdit, quod possem etiam propriis „ observationibus confirmare, uva ursi fa- „ cienda; quoniam cruciatus, reliquaque in- „ commoda tollendo vitam tollerabilem, ne- „ gotiisque aptam reddit, lotium praeterea; „ sabulum, et lapillos in maiorem calculum „ concreturos pellit, tum et roborando renes „ diathesin ad calculum sufflaminat (*b*) „. Datur autem Uva ursi pulveris forma a paucis granis ad scriptulum quavis vice, ac, dosi deinceps aucta, usque ad drachmam; quae modo bis die, modo saepius exhibetur, frigida super hausta si amaritie officiat; tum etiam assumitur in decoctu, qui ex una, vel altera drachma foliorum cum aquae libra parari solet:

(*a*) De Arb. uva ursi 1764.
(*b*) App. Med: V. II. pag. 63.

746. Cortice *Quercus roboris*, cui non secus ac caeteris arboris partibus stypticus, atque acidus sapor inest, iamdiu probatissimo plerisque remedio adstringente, atque ad coria densanda valde usitato perraro utuntur Itali Medici, dum crebro eum exterarum Gentium Clinici praescribunt. Quare sive illa, quae praestat extra humanum corpus, spectentur, sive satis evicta habeantur, nec Aluminis una adhibiti propria sint, quae de hoc Cortice Aegris exhibito tradit CULLENIUS, esset sane idem cortex ubique obvius multis aliis anteponendus adstringentibus, quae nunc usurpantur. Ego enim hunc corticem nimis raro solum adhibui, etsi saepe cum alumine utar, ut de eius efficacitate tuto queam iudicare. Eum porro decoctum in levi tumore faucium, in uvulae relaxatione, atque in angina tonsillarum profuisse mature adhibitum idem Auctor testatur: quae quidem consentiunt cum iis, quae de illius usu, et viribus ab Antiquioribus prolata fuerunt. Caeterum hic loci decoctum ex Glandibus a quibusdam non sine utilitate in iisdem casibus propinatum vidi, quin tamen viderim easdem glandes, SCOPOLIO potissimum ad eas in febribus intermittentibus experiundas me incitante, eam exerere vim, utut diu et largiter in benignis purisque intermittentibus exhibuissem, forma, et copia, qua Peruviano cortice utimur, ob quam tutum, atque efficax generatim remedium Antipyreticum largiri dicendum sit.

747. Cortex vero alter a Materiae Medicae Scriptoribus Adstringentibus medicamentis adnumeratur, qui ex *Nerio antidysenterico* sumptus sapore austero non ingrate amaro donatus ex Malabaria, ac Ceilano in Scotiam atque Angliam advectus, ac Profluvii corticis nomine cognitus valde inclaruit: Tritus enim in pulverem, ac cum syrupo in electuarii modum subactus ad scriptulum unum vel alterum bis, terve aut pluries etiam die dysentericis exhibitus magnam opem iisdem afferre dicebatur. Interea cum alii nec proprii quidquam contra dysenteriam in eo inesse tradiderint, nec tuti etiam usus alii iudicaverint, tantum pristinae famae amisit, ut neque in nostras hactenus Officinas admissum sit, neque alibi usitatum esse soleat quamquam non inutile remedium, ut quidam malunt, dici possit. Enim vero in diarrhaea tum recenti, cum inveterata, atque in diutina dysenteria utilissimam opem attulisse eum testem habemus, nempe Ill. MONROUM, cuius auctoritati nefas esset reluctari.

748. Quod vero respicit reliqua duo Adstringentia scire expedit *Hematoxyli campechensis* lignum leniter adstringenti, ac subdulci sapore donatum Anglis potius, quam nobis vel rasum, vel decoctum, vel extractum ad duas, tresve drachmas exhibendum adstringens medicamentum diarrhaea, atque antiqua dysenteria laborantibus, si adstringentia prosint, erogare. Nuces vero Gallae dictae, sive ex *Quercu robore*, sive ex *Quer-*

eu cerris desumantur, in quibus se abdit insectum ex *Cynipis* genere praesertim ex Oriente advectae admodum probatae, ubi validius adstringendum esset, olim usitatae nunc negliguntur.

749, Si quis autem quaerat quanam de caussa dicens de Adstringentibus Vegetabilibus praeteream silentio novum illud remedium *Gummi rubrum* vocatum, quod valde adstringens *Kino* persimile nuperrime proposuit Cel. WHITIUS (*a*) respondebo donec aliorum experientia eius proprias vires, ac veros usus constituat satis esse e vestigio attingere, quae ex eiusdem Auctoris testimonio proferuntur. Satis proinde erit monuisse *Gummi rubrum* non verum gummi esse, at succum ex inciso trunco arboris, quae *Eucalypti* species creditur, copiosissime erumpentem, gummi resinosum, qui longe plus in alcohole, quam in aqua solubilis, etsi in utraque solutione validissime adstringat, tantam habuit virtutem adversus dysenteriam, ut plurimos Aegros hoc morbo detentos, si unum excipimus, ab eodem WHITIO exhibitus sanaverit. Utinam proinde ad nos usque tam eximium pharmacum cito advehatur, advectumque laudibus respondeat, atque abunde praeconceptam expectationem expleat!

(*a*) Journal of a Voyage to New South Wales.

750. Haec praecipua sunt, quae inter Vegetabilia ad adstringendum a Medicis vel proponuntur, vel adhibentur: quibus modo addam ea, quae ex Fossilibus adstrictionis caussa peti solent, ut omnem Adstringentium materiem complectar. Antequam tamen ista singillatim persequar, ne adstringens quodcumque omittatur auxilium, indicare oportet in hoc remediorum genere locum sibi vindicare V i n u m austerum, aut immaturum, aut acidulum, cuius varias species alibi recensui (§. 312) quod proinde recte administratum laxitatem emendat, ac calidum praesertim impositum, vel instar balnei usurpatum relaxata, ac debilia membra confirmat; tum *Alcohol aqueum* seu V i n i s p i r i t u m, qui fibris adstrictis non solum prudenter assumptus roborando inservit, humores una, ac maxime sanguinem inspissando, et putredinem arcendo, vel iam natam emendando; verum etiam adstrictione sua efficit, ut vario modo partibus applicitus resolutioni prospiciat, recentibus vulneribus, quae minora sint, medeatur, et sanguinis fluxum cohibeat, nimiam suppurationem moderetur, ecchymoses antevertat, aut contusa resolvat, ligamenta relaxata confirmet, atque oedemata discutiat. Hinc magni usus est apud Chirurgos, qui vel eo simplici utuntur, vel additis aromaticis herbis, adstringentibusque stypticos multiplices parant liquores, cuiusmodi sunt A q u a v u l n e r a r i a, S p i r i t u s v i n i c a m p h o r a t u s, atque A q u a s t y-

ptica Clementina. Huic potior virtus nuper tribuebatur cum sectis arteriis, si probae notae sit imposita earum fibris constrictis haemorrhagiam sistere diceretur. Verum etsi Spiritui vini simplici praestantior sit eiusmodi liquor, cuius arcanam compositionem Aug. Caesar. iussu Ill. Eq. a BRAMBILLA publici iuris fecit; attamen in maiori vulnere, nisi apta compressio fluxum sanguinis dein prohibeat, per se non sistit, nec generatim vacat vitiis, quibus ob adstrictoriam, ac stimulantem vim administratio spiritus vini obnoxia est. Docentibus quippe magni nominis Chirurgis, ac speciatim Ill. PLENKIO (*a*), quem plurimi facio nocet hocce remedii genus in ambustis nigrescentibus, in maioribus vulneribus, ac maxime quae ab ignea ballista fiunt, aut cerebrum attingunt, in gravioribus contusionibus, ac denique in partium indurationibus, quas discutere animus est.

751. Inter caeteras etiam facultates, ob quas medicatissimum *Acidum acetosum* seu Acetum vini perhibetur adstrictoriam quoque vim habere et sensus adstrictionis declarat, quem in ore, et labiis imprimit, eo quidem maiorem, quo aquae minus vehit, maximeque si Stillatitium aut gelu, aliive modis Concentratum sit, ac rursus notissimi eius in morbis externis effectus evincunt. Iamdiu siquidem a Veteribus

---

(*a*) Mat. Chirurg.

accepimus laxis membris impositum robur restituere, oedematosos tumores dispellere, unde totius habitus, aut singularis partis hydropisis discutiatur: quod accidere magna laxitate praesente non raro observavi. Scimus praeterea ex Ill. TISSOTO (*a*) aliisque, ne proprias adducam observationes in haemorrhagia uteri post partum lintea eo madida abdomini, et lumbis frigide imposita egregium remedium suppeditare. Scimus denique ambustis confestim admotum futura mala reprimendo interdum avertere.

752. Sed dum istis liquoribus, ac generatim validioribus, quae suppetunt, acidis vegetabilium succis adstrictoriam facultatem inesse tuemur, maiorem sane tribuimus Acidis ipsis fossilibus. Ob quam sane caussam facile quisque intelliget cur cum celebrioribus Chirurgis, ubi valide adstringens remedium in externis morbis conveniat magni faciam Aquam Thedenianam, ac prae caeteris probare soleam. Cum enim hic liquor ab Ill. THEDENIO, quem honoris caussa nomino, utilissime invectus ea proportione factus, ut tribus libris tum *Acidi acetosi*, tum *Alcoholis*, ac *Sacchari* librae, unciae octo *Acidi sulphurici aqua diluti* admisceantur, adstringentia auxilia, quae potiora sunt, recipiat praestantior quoque caeteris iure habetur iis omnibus in casibus, quibus similium remediorum genere Chirurgia medetur.

(*a*) Avis ac. Peup. pag. 451.

753. Adstrictoriam vero facultatem, et quidem admodum validam fossilibus Acidis, ac speciatim *Sulphurico*, *Muriatico*, et *Nitroso* competere nemo est qui deneget, quamquam unde eadem explicanda sit quaeri adhuc inter Medicos soleat. Non enim sufficit eam ex proprietate, quam habent humores, maximeque sanguinem coagulandi, derivare quoniam diluta etiam adstringendo prosunt sive interne sumantur, sive externe usurpentur. Dum interim admitto in sanguinem delata tantum suae virtutis adhuc diluta Acida fossilia retinere, ut manifesto queant vel adstringere, vel alio modo utiliter operari, non diffiteor non satis evictum esse bona, quae interdum praestant in haemorrhagiis adhibita, ab eorum adstrictione proficisci, quin imo arbitror vel a sedanti, vel a temperanti, vel ab alia agendi ratione verosimilius deduci, atque explicari.

754. Hisce e vestigio de usu Acidorum adstringenti propositis propius ad ea, quae Fossilia exhibent, Adstringentia medicamenta accedens protinus considerabo, quae ex Terris, atque ex Lapidibus desumpta adstringendo paria, vana sane credulitate, et Medicinae, Aegrorumque detrimento, Medici olim iudicarunt. Quae profecto ob hanc caussam ne quidem attigissem, nisi ea saltem indicanda instituti nostri ratio praescriberet Quis enim hodie etsi imperitus, aut ignobilis Medicus est, qui Gemmas in morbis malignis, exanthematicis, aut a veneno illatis alias celebra-

tis-

tissimas adstringentes vires referat. Otio sane abutentis esset in iis persequendis immorari, quae plerique protulerunt, ut eiusmodi vim adstringentem, aliasque facultates plane egregias competere demonstrarent *Quarzo vitreo pellucido rubro*, seu Rubino, *Quarzo vitreo* seu Saphyro, *Quarzo vitreo obscure luteo*, seu Hyacintho, ac speciatim quinque lapidibus praetiosis, quorum fragmenta in omnibus Officinis prostabant. Eadem, quae Granatum, Sardum, Saphyrum, Smaragdum, atque Hyacinthus dicebantur; ex *Silice* cum copiosa *Alumina*, atque exigua copia *Carbonatis calcis* exurgunt, atque uno *Quarzi colorati vitrei* nomine complectuntur. Horum quippe, ac parum dissimilium a *Silice* diversa proportione *Aluminae* unito compositorum nempe Grysoliti, Opali, Carneoli, Silicis vulgaris, Iaspidis, et Lapidis lazuli famigeratissimas virtutes, ac speciatim, de qua dico, adstringentem vim profluviis alvi, albo fluore uteri, atque haemorrhagia detentis proficuam uno nunc ore Clinici tamquam vana superstitiosae credulitatis, et caliditatis commenta irrident, atque reiiciunt.

755. Quare mirari subest in eo valde composito medicamento, quod Confectio hyacinthina dicitur, hyacinthum, ac praetiosa fragmenta in quibusdam adhuc locis recipi, eandemque compositissimam, ac plane inconcinnam, atque ab Arte alienam a quibusdam in tanta Medicinae, ac Pharmaciae luce adhuc praescribi. Maxime vero,

quod Confectionem hanc qui retinendam esse voluerunt, ne usitatissimum olim remedium, ubi oporteret vires cordis, et musculorum incitare, calorem augere, venenorum potentiam infringere, febribus mali moris mederi, acidum absorbere, ac speciatim vomitum, atque alvi profluvium sistere, oblivioni prorsus traderetur, non ita correxerint, ut non aliquid vel inutile, vel viribus pugnans adhuc retineat. Ego proinde censeo vel prorsus e genere remediorum auferendam, vel si ea quisquam uti velit, quemadmodum apud nos quidam adhuc utuntur, ubi excitans et stimulans remedium conveniat, eam componendam saltem esse, caeteris reiectis, ex foliis dumtaxat Dictamni cretici, e Cinnamomo, Myrrha, Croco, Camphora, vel Moscho syrupo Corticis vel Citri, vel Peruviani una coniunctis.

756. Non possum etiam Veterum Medicorum sententiae subscribere, dum impense laudant, ac nobis tamquam valida adstringentia remedia proponunt Lapides, et Terras, e quibus nullam veram utilitatem Nuperiores sibi pollicentur. Etenim *Argillam cretosam albam* seu Leucargillam, aut Samiam etsi adstringendi, atque abstergendi fine Veteres olim non raro adhibuerint, praesertim admiscentes colyriis, quibus chronicam oculorum inflammationem discutere tentabant, hodie nemo inter Medicos eam vel usurpat, vel probat. Nemo etiam usurpat *Argillam cretosam albam* seu Terram sigillatam albam, aut

Bolum albam Melitensem, insipidam, quae ex Melita Insula in tabellas, aut pastillos sigillis notatos advehebatur, cum eadem alexipharmaca, cardiaca, ac speciatim in morbis exanthematicis et morsibus serpentum praestantissimum remedium afferre diceretur. Nec aliam etiam *Argillae* speciem, quam Terram nucerianam dicunt Melitensi succedaneam, non multis etiam ab hinc annis in variis Italiae locis usitatam quisquam apud nos forte adhibet. Nec pariter *Argilla cretosa*, quae vel *cinerea* sit, vel *citrina*, aut *lutea* quisquam hodie utitur. Quod si quis adhuc *Argilla cretosa cum oxydo ferri*, seu Bolo armena rubra, quae subpinguis, leniter styptica, inodora, friabilis et manus inquinat, et ponderosa est, uti adhuc velit cum SWIETENIO, aliisque, in immodicis alvi profluviis demulcendo, absorbendo, ac leniter adstringendo non raro proficuam reputans, caveat saltem ne cum aliis alexipharmacam, ac cardiacam censeat, neque fidenter vel per se praescribat, vel compositis medicamentis, quae nunc etiam alicubi ingreditur, admiscendam iubeat.

757. Ad caeteras vero Terras, et Lapides, quod attinet, quae alias ad hoc caput referri consueverant, missis iis, quae alio potius, quam adstringendi scopo vel proponi, vel probari solent, alibi indicandis, summatim dicam *Carbonatem calcis* Stalachtitidis nomine alias propositum utpote adstrictione haemophtoicis utile remedium, atque in ulcusculis

exsiccandis oculorum, si colyriis adderetur, idoneum plane exolevisse; nec *Baritim*, eiusque *Carbonatem* satis hactenus constare, quid virtutis exerant, nec *Silicem* contritum tenuissime, alias adstringentibus adnumeratum inter remedia nominari; nec demum *Carbonatem calcarium*, seu Alabastrum in Officinis adhuc esse retinendum quoniam praeparatum, ut alias fieri consueverat, veluti adstringens, ac refrigerans, (ac proinde unguentis etiam suas tribuens facultates) per se nullam potest utilitatem afferre. Hisce proinde omnibus vanis, supervacaneis, aut dubiis reiectis properemus ad ea indicanda, quae validiora, usitatioraque cum sint medicamenta Adstringentia e Fossilibus petita, potiorem Medicorum observationem exigunt.

758. Antecedat istis *Sulphatum aluminae* seu Alumen, quod purum ubi sit sive nativum, sive factitium nullo roseo colore donatum, purumque in crystallos concretum modo polyedras, modo irregulares, in aqua calida ad modum copiosa longe melius, quam in frigida solubile ad adstringendum praestantissimum remedium iure censetur. Hinc vel ab ipsis Veteribus magni factum, ac crebro adhibitum fuit; tum nos utilissime eodem saepe utimur non minus externe, quam interne. Quamquam enim CARTHEUSERUS, BARONIUS, aliique nunquam interius dandum esse suaserint, cum vehementer adstringat, imo quidam cum Cel. VITETO (*a*) affirmaverint

(*a*) Pharmac. de Lyon. p. 312.

raro in haemorrhagiis prodesse, in nimiis reliquorum humorum fluxibus nocere, nauseam atque interaneorum dolores concitare, sputum supprimere, bronchia irritare, ac diu adhibitum maciem adducere, aliaque gravissima mala inferre; ista tamen omnia ego vel ab improvida eius administratione, vel a nimia, qua datum fuit, copia fidentissime deduco. Hinc etsi non diffitear Alumen vehementer agere, attamen nequeo illis Auctoribus concedere interne tuto dari non posse, nec quisquam sane Medicorum concedet. Ubi enim neque inflammatio adsit, neque insignis obstructio, aut congestio, neque nimia fibrarum sensilitas, aut irritabilitas, morbus vero a laxitate, vasorum ruptura, et putredine originem ducat, Alumen parva dosi prudenter administratum plane innocuum, atque egregium plurium aegritudinum remedium existere non modo Veterum, sed Nuperiorum maxime observata dubio procul evincunt.

759. Horum itaque experientia, ac nostra etiam certo constat Alumen ad grana tria prima vice datum, deinde usque ad sex, ad octo, imo assuetis paullo ultra (quae dosis subinde die opportune, quantum expedit, iteratur) sive per se, sive aliis rebus, et mixturis additum, sive lactis sero solutum, quod Serum Aluminosum tunc dicitur, sive remediis adstringentibus, ac speciatim cum Sanguine draconis, ut in Specifico Helvetii, vel potius ex CULLENII sententia cum Gummi Kino apte coniunctum

plurimis sane morbis mederi. Medetur autem praecipue menorrhagiae, aliisque uteri haemorrhagiis, quas eiusdem relaxata vasa afferunt, imo interdum, ut passim vidi, quas humorum acredo, aut ad putrescendum proclivitas fovet. Medetur quoque interdum diutinae, crebrae ac narium haemorrhagiae ab iisdem caussis illatae cum tribus Aegris caeteris incassum adhibitis auxiliis a me usurpatum ferum aluminosum salutem attulerit. Potius subscribam CULLENIO reputanti inutile esse, ne dicam nocuum futurum, in haemophthisi, quia in eo cruento fluxu a nimia vasorum actione pendente adstringentia nocua perpetuo videri idem Auctor rectissime observat. Unde non arduum est ex caussarum, quae haemorrhagias inferunt, discrimine explicare quî in vomitu cruento Alumen mihi interdum successerit, interdum nihil profuerit caute etiam tentatum. Enim vero ubi minus parca manu exhibeatur Alumen, et eas affert molestias, quas (§. 758) paullo ante indicabam, et, nisi protinus excutiatur vomitu, alvum movet, quemadmodum idem Alumen singulari etiam virtute sua movere, quando pertinacissime in colica saturnina adstricta alvus ducenda sit, a quibusdam dicitur. Quando autem pedetentim exhibeatur sive per se forma pulveris, aut pilulae, aut cum sero diarrhaeae ex laxitate egregie medetur, ut iamdiu apud nos usu compertum est, tum prodest iis, qui diutina dysenteria obnoxii evaserunt, nec contra album mulierum fluorem

inefficax, remedium, ut passim experior, diu datum existit, etsi CULLENIO non successerit.

760. Contra diabetem praeterea sero lactis admixtum egregie valere DOWERUS, RUTTYUS, aliique plures affirmant, puerorum vermes quotidiano potui additum citra nauseam expellere idem RUTTYUS monet, Colicae Pictonum, ac rebellibus, diuturnisque intestinorum affectibus, in quibus eorum motus languet, potenter auxiliari tradit GRASSHUITIUS, eandemque Aluminis utilitatem in Colicis doloribus, quorum natura huius generis remedia permittat, Nuperiores non pauci magnificant. Ego autem istis omnibus in casibus non tanta mihi ab Alumine expertus polliceor, quanta ipsi promittunt. Caeterum in diuturnis stomachi doloribus a mobilitate, spasmo, et debilitate mihi profuit interdum, cum alia irrita cessissent remedia, minima quidem dosi, at saepius intra diem porrectum; qua ratione hocce medicamentum generatim tutius, atque efficacius esse passim experior. Eius autem usum in febribus intermittentibus quod respicit, ac pertinacissima imprimis quartana, quibus post HARTMANNUM, ETTMULLERUM, TRENKAM, et CUDDENIUM, aliosque non pauci testantur mederi, licet profuisse interdum potuerit, (ut interdum, laxitate praesente, aliisve caussis existentibus propriam curationem postulantibus Adstringentia caetera prosunt) ego quidem censeo parvi esse faciendum. Tentanti quip-

pe mihi pluries febres intermittentes puras nec curatu difficiles Alumine sistere modo solo, modo aliis adiuncto remediis, etiam amaris, nunquam susceptum experimentum, etsi bis febrim mitiorem reddiderit, me voti compotem fecit.

761. De externo autem Aluminis usu Chirurgis usitatissimo in eo omnes consentiunt apprime convenire gargarismatis forma in uvulae, et tonsillarum tumore, ubi vel admodum exigua inflammatio sit, (etsi in quovis anginae tonsillaris gradu tuto, et utiliter se dedisse testetur CULLENIUS) in gingivarum laxitate, et corruptione, atque in omnibus oris ulcusculis; colyriis additum in serosis, et rebellibus oculorum inflammationibus, et palpebrarum, quo in casu aliis praestare remediis ad grana quinque in aquae uncia solutum CULLENIUS observavit; ac demum sinuosis, putridisque ulceribus inspersum, tum excrescentibus carnibus impositum, maxime Ustum alumen prodesse: quo tamen fine vix hodie a quibusdam adhibetur cum validiora, ac commodiora praesidia suppetant.

762. Iam vero ad ea metalla progrediamur, quae Adstringentia largiuntur, nempe ad Zincum, ad Plumbum, ad Cuprum, atque ad Ferrum. Ex Zinco duo potissimum desumpta medicamenta nempe *Sulphatum zinci*, seu Vitriolum album, atque *Oxydum zinci sublimatum*, seu Flos zinci hic debent expendi. Primum enim in crystallos quatuor,

vel quinque latus habentes concretum atque in aperto aere eflorescens, in aqua facillime solvendum, inodorum ac sapore donatum valde adstringenti obscure dulci, atque acri etsi nunquam hodie apud nos exhibeatur interne, alias tamen propinari solebat, imo alibi interdum praescribitur. Scimus enim tum ipsum, sive nativum, sive factitium, tum repetitis operibus depuratum, quod Gilla Theophrasti dicebatur, non ad vomitum solummodo excutiendum paucorum dosi granorum olim dedisse Italos Medicos, verum etiam ut ventriculum, atque intestina adstringendo firmarent. In dysenteria quippe, atque in diarrhaea valde usitata erat Gilla, atque iis omnibus casibus opitulari tradebatur, quibus nos exhibita *Violae ipecacuanhae* radice medemur. Inter nuperrimos autem Clinicos internum *Sulphatis zinci* usum frequenter admisit CULLENIUS in iis morbis in quibus adhibere consueverat *Oxydum zinci sublimatum* cum pari adstrictionis, et roboris effectu.

763. Interea cum praeter vim adstringendi nullam aliam propriam possideat *Sulphatum zinci*, cum probe sciam contra epilepsiam, aliosque spasticos morbos nullam habere facultatem, atque, ubi indicatur tamquam adstringens, ad unum etiam vel alterum granum exhibitum quibusdam vehementem concitare vomitionem, ac generatim veneno esse certa datum dosi, inductisque diris stomachi doloribus, ventrisque torminibus, vix absor-

bentibus, oleosis, mucilagineis, atque alcalicis remediis auferendis, vitae minitari, hocce medicamentum nunquam intus dandum esse suaderem. Quod si vero istis careat vitiis ubi rite confectum sit, neque ad sex, octo, decem, aut duodecim grana, et ultra partitis vicibus datum *Oxydum zinci sublimatum* nocuum existat, ut saepe vidi (*a*); cum tamen remedium istud, quamquam adstringens sit, LUDDMANII, GAUBII, aliorumque laudibus non respondeat, in ea maneo sententia, quam alio loco protuli. „ Cum zinci flores ad „ roborandum, et adstringendum aliis reme- „ diis cedant, ac speciatim ferro; cum ad „ acidum primarum viarum absorbendum, „ corrigendumve superflui sint, quoniam id „ tutius, et melius praestat magnesia; cum- „ que ad maiores spasmodicos morbos supe- „ randos non valeant, imo nec leviora eius- „ modi mala, eorumque symptomata, quae „ aliis postea antispasmodicis facile obtempe- „ rant, plerumque mitigent: concludere licet, „ eos flores nimia fiducia ad medendum „ fuisse praescriptos, neque adhibendos esse „ in iis morborum generibus, in quibus plu- „ rimum conducere hactenus creditum est, „ neque adnumerandos antispasmodicis artis „ auxiliis, quibus evidentem, certam, ac „ validam vim inesse, experientia iamdiu „ evicit (*b*) „. Utrum vero quod istud *Oxy-*

(*a*) Opusc. Therap. Vol. 1. pag. 70. et seq.
(*b*) Op. cit. pag. 91. 92.

dum zinci sublimatum non praestat, efficiat certius, ac longe efficacius quod acidorum ope obtinetur, seu *Oxydum e sulphate zinci ab alcali praecipitatum*, prout nuperrime Clinico Summo, Ill. DUNCANIO quidam Medicus retulit (*a*), novis erit experimentis constituendum.

764. Itaque satis erit in externo Zinci usu cum Chirurgis aquiescere, qui duce praesertim Ill. CAMPERO, si adstringere paullatim conveniat, quin suppuratio inhibeatur, idem *Oxydum zinci sublimatum* ulceribus admovent; qui *oxydum* illud zinci aliis admixtum metallis, aliisve saepe rebus Tutiam dictum ad adstringendum atque exsiccandum colyriis, aut unguentis addunt; quique colyriis ad duo, tria grana, aut ultra etiam si validius adstringendum sit, pro quavis aquae uncia *Sulphatum zinci* admiscent, atque oculorum chronicis inflammationibus imponunt, quique adhibent ut ulcuscula ab inflammatione relicta abstergant, atque exsiccent, vel cum Ill. PLENKIO (*b*) ex eo confectam Aquam Ophtalmicam melle rosaceo remixtam in aphtis, quibus egregie mederi affirmat, vel demum aliis in morbis externis usurpant, quos speciatim ii inter Chirurgos commemorant qui RUTTYO subscribunt arbitranti hocce vitriolum prae caeteris adstringere (*c*), dum

(*a*) Bibl. Fis. d'Europ. T. XIV. 136.

(*b*) Toxicologia pag. 234.

(*c*) Op. cit. pag. 550.

contrariam plane sententiam VITETUS tuetur (*a*).

765. Summam autem animadversionem a Medicis, ac Chirurgis maxime postulat Plumbum, aut Saturnum, quatenus varia, quae in Officinis prostant, praeparata exhibet, quibus omnibus virtus inest plus minus adstringens, et quidem valida, atque una ob latentem, quam habent, venenatam indolem, quamque interne, externeve usurpata vel palam, vel clanculo saepe exerunt, perfacile nocua, ac perniciosa evadunt. Quam multa porro, quam varia sint mala, quae plumbum sive liquoribus, qui potionem praestant, suas particulas tribuerit, sive eas cum cibis paratis in plumbeis vasis, aut stanno plumbato obductis, aut fictilibus plumbo vitreo incrustatis comunicaverit, sive sub specie halitus in pulmones cum aere venerit, facile modo subito, modo lente infert, quisnam est qui ignoret? Quam vero istis morbis, quos saturninos Medici nominant, gravissimis sane, ac propriis signis nimis tarde interdum dignoscendis, perarduum saepe sit vel occurrere, vel iisdem iam evolutis mederi oleosis, opiatis, purgantibus idoneis opio adiunctis, tum salibus, alumine, absorbentibusque remediis, vel superstites horum morborum reliquias aliis pharmacis pro re nata admodum variis, atque

---

(*a*) Op. cit. pag. 258.

ex omni pene medicaminum genere desumptis radicitus tollere quis pariter est qui nesciat? Haec sane adeo comperta sunt omnibus, ut, etiamsi denegari non possit adstrictoria plumbi, eiusque praeparatorum facultas, nemo sit, qui eiusdem quoque summopere sedantem, nocuam, ac venenatam una coniunctam potentiam non plurimum metuat. Quare etsi audaces et olim, et non multis etiam ab hinc annis non defuerint Medici, nec quidem incelebres, qui *Acetitim plumbi*, seu Saccharum Saturni intus dederint, eiusque tincturam in febribus, in phthisi, atque in aliis morbis, in quibus adstringendi, ac sedandi indicatio occurrit, ii sane nunquam prudentem hodie Artificem aut laudatorem, aut sectatorem invenient. Ego quidem ab omni interno Saturninorum medicaminum usu perpetuo abstineo, ac perpetuo abstinendum esse, quantum in me est, praecipio, nisi mea, saltem celebrium Clinicorum auctoritate. Remedium enim, dicam cum Ill. PLENKIO, quod „ centies detrimentum attulit, et se„ mel, iterumve forte fortuna, aut benignae „ naturae industria non nocuit, aut etiam „ profuisse solummodo videtur, fugiendum „ est (*a*).

766. Quod autem pertinet ad externum Saturninorum usum in morbis, qui Chirurgi opem requirunt, non arduum sane erit con-

---

(*b*) Op. cit. pag. 258.

stituere quid in tanta, quae suppetit Scriptorum concertatione, quorum alii eadem, ut aliena et nocua perpetuo esse fugienda tradunt, alii utpote valde utilia, atque innoxia prudenter quidem, at fidenter, usurpanda esse docent, sentiendum sit, post ea maxime, quae in hac re praeeunte, Cel. atque experientissimo Viro Eq. a BRAMBILLA (*a*), Ill. SMIDTHIUS, aliique eximii Chirurgiae Professores (*b*), observationibus in medium adductis protulerunt. Horum quippe experientia cum aperte demonstraverit generatim externe adhibita Saturnina vel suis intromissis particulis nocere, vel repellendo noxios humores ad interiora non parum saepe officere; demonstravit quoque eadem nec carere periculo, nec plerumque esse proficua. Plerumque, inquam, nam perraro, et cautissime usurpari posse et ipsi concedunt Chirurghi, et ipse quoque ultro concedam. Hisce autem praehabitis ratio cuique patebit, ob quam censeam Aquam vegeto mineralem, aut Saturninam Goulardii, quae componitur ubi *Acetiti plumbi* seu Extracto Saturni unciae dimidiae (cui adiicebatur alias spiritus vini uncia una, vel altera) binae librae Aquae stillatitiae affusae probe misceantur, prudenter, et raro admodum esse usurpandam. Etsi enim plures eum cum inventore

---

(*a*) Act. Acad. Chir. Ioseph. V. I.
(*b*) Antigoulard. Wien. 1785.

GOULARDIO temperando, discutiendo, repellendo, exsiccando, atque adstringendo parem habentes in inflammationibus, contusionibus, et suggillationibus, in chronicis oculorum vitiis, atque in ulceribus et fistulis valde probaverint, quidam magni fecerint iniectam ad gonorrhoeas virus habentes sistendas; alii tamen ex eius usu interdum exasperatas inflammationes, interdum ulcera in peius mutata, interdum contusa aegrius resoluta, saepius ex cohibita gonorrhoea inductos bubones, et quandoque phymosi praesente gangraenam, ac frequenter Saturninos morbos clanculo illatos commemorant. Quod si addimus CULLENIUM ingenue fateri se pleraque a GOULARDIO adducta confirmare nullo modo potuisse, ac Cel. HAIKENIUM inutilitatem, noxam, ac perniciem Saturninorum medicaminum forma sive pulveris inspersi, sive lotionis, sive malagmatis, sive unguenti adhibitorum abunde ostendisse; erit sane eorum usus angustioribus adhuc limitibus coercendus.

767. Maxime vero quisque usum metuet externum Saturninorum, de quibus hactenus dixi, tum administrationem nimis adhuc frequentem et liberalem apud quosdam Chirurgos vel *Oxydi albi plumbi cum acido acetoso*, seu Cerussae ad intertrigines praesertim infantum, vel Balsamum saturni ad impetigines, fungosa ulcera, et fistulas, vel Unguenti de Minio nempe ex *Oxydo plumbi rubro*, aut Unguenti de Lithargy-

rio nempe ex *Oxydo plumbi semivitreo*, nunc *albicante* nunc *lutescente* ad ulcerationes exsiccandas, atque implendas, vel similium unguentorum ad alios usus, maxime, inquam, metuet postquam sciverit quam facile ex istis etiam medicamentis abditum virus a vasculis facile exsuctum ad interiora gravi Aegrorum detrimento quandoque abripiatur. In hanc rem possem multa proferre illati damni exempla, nisi satis essent, quae iam (§. 594) ex Ill. Viris PERCIVALIO, WALLIO, et BRAMBILLA adduxi, ut evincerem non solum sub forma salis, sed etiam calcis Saturnum impositum tantum virus intromittere posse, ut gravia ex eo mala nascantur. Quare videant tandem faeminae, quae Saturninis fucis vitia corporis occultant, aut quae *Acetitis plumbi addito alumine aqua solutae*, seu L a c t i s V i r g i n i s usu cuti albedinem, nitoremque concilìant ne in grave discrimen suam valetudinem adducant, ut passim accidit, nec prius huius inconsideratissimae vanitatis, atque imprudentiae earum poeniteat, quam coactae sint immedicabili malo, aut praematura morte malae actae rei poenas luere.

768. Progrediar nunc ad ea, quae ex Cupro ducuntur remedia. Cum enim Medici iamdiu cognovissent variis Cupri praeparatis adstrictoriam inesse virtutem, ea ad medendum traduxere, quamquam non ignorarent idem metallum quacumque ratione solutum vehemens venenum evadere ad vomitus, ad interaneorum cruciatus, ad praefocantes spiritus angu-

angustias, ad diras inflammationes, ad distentiones nervorum inferrendas, usque ad necem aptissimum certa copia, modo cum cibis in cupreis vasis coctis, modo cum potu in cuprea situla diu servato, modo alia ratione interne susceptum. Qua quidem in re eo audaciores Medicos, Chirurgosque extitisse cuique videbitur animadvertenti eiusdem virus certum nondum antidotum fuisse compertum, ac quae potiora hactenus censentur auxilia, nempe tepidae nauseosae potiones, oleosa, pinguia, mucilaginea, lactaria, absorbentia, emollientia, ac calida balnea imparia interdum esse aut perniciei praecavendae, aut gravissimi praegressi morbi reliquiis evellendis. Tam magnam solutum Cuprum stimulandi, atque erodendi potentiam assumit, tamque magnam in humano corpore exerit!

769. Nemo proinde mirabitur si nunc dicens de iis Cupri praeparatis, quae adstrictionis caussa vel adhiberi, vel proponi solent, de reliquis ad exedendum idoneis alio loco rectius dicturus, non subscribam CULLENIO qui *Sulphatem Cupri*, aut Vitriolum coeruleum, Cyprium Veteribus dictum ex Cypro Insula, e qua purius advehebatur, crystallos rhomboidales referens, facilius fervente aqua, quam frigida solubile, inodorum, saporemque habens valde austerum, et nauseantem cum magna acrimonia coniunctum a quarta grani parte, vel a dimidio grano bis die, aucta pedetentim dosi, ut molestiam

aliquam, aut nauseam moveat, interne exhibuit, ac roborando, interdum urinas ciendo, aut vermes enecando epilepticis, atque hystericis, aliisve Aegris proficuum fuisse tradit. Hoc enim remedium a me hic loci adhibitum in similibus casibus nemini profuisse, vomitionem vero, anxietatemque nimiam plerisque concitasse observavi. Nemo pariter mirabitur si Cuprum ammoniacum, quod dosi Vitrioli paullo ante indicata exhibitum adstringendo, ac roborando egregium, et tutum in spasmodicis morbis, maximeque epilepsia nuper propositum, adhibitumque vix unquam usurpandum esse existimem. Quod enim alibi monui (*a*), etsi mitius vitriolo, et pedetentim datum vomitum non moveat, exiguam in illis morbis utilitatem afferre; id nunc novis experimentis pluries susceptis ulterius possum confirmare, nimirum epilepticis modo nihil, modo parum prodesse, et ubi etiam morbi invasionem ratardet, quod in tribus Aegris vidi, non prohibere quin proxima accessio longe vehementior sit, ac metum iniiciat. Nemo denique mirabitur, si de adstringenti Cupri usu externo loquens credam *Sulphatem cupri* cautissime, et perraro ulceribus exsiccandis prodesse, quia saepe dum exsiccat, puris fluxum intempestive cohibet, atque ulceri proximas partes inflammat, ac rodit; tum

---

(*a*) Opusc. Therap. pag. 105.

si censeam *Sulphatem Cupri cum nitrato potassae aluminoso nigro* seu Lapidem divinum, aqua solutum, seu inde natam Aquam Sapphirinam, vel Ophtalmicam in humidis, diutinis ophtalmiis, ac corneae ulcerationibus probatissimam perraro, et prudenter tentandam esse, quoniam valde irritans, et reprimens saepe morbum potius exasperat, quam leniat.

770. Unum igitur ex Metallis est Ferrum, quod varia sistit remedia, quae dum valide adstringunt, ac roborant noxa carent. Quare idem Metallum caeteris usitatius est, ac vere praestantissimum Artis praesidium habetur. Id enim admittunt Medici omnes, etsi non omnes de ratione consentiant, qua idem remedium actionem suam in humano corpore exerat. Quidam siquidem nonnisi chemico modo solutum operari existimant, suamque opinionem ex eo veram demonstrari observant, quod Ferrum salibus nondum solutum inefficax plane sit, quod ubi solutionem eiusmodi non habeat eam in stomacho, atque intestinis ab acido ibidem haerente facile acquirat, quodque in statu metallico assumptum, ob susceptam ex acido mutationem, nigra, quae ex alvo prodeunt, perpetuo reddat. Alii vero licet ultro fateantur ferrum iam solutum priusquam assumatur valide agere, et nisi solutum sit solvi in humano corpore posse, ac revera saepe dissolvi, volunt nihilominus ipsum adhuc metallicam formam habens, dummodo in tenuissimas

particulas resolutum sit et efficax, et proficuum esse, imo tutius atque innoxius eo, quod vel iam acidum assumpsit, vel in primis viis idem acquirit, in *Oxydum luteum* tunc conversum.

771. Inde autem sequitur quod Medicorum alii salinas Ferri praeparationes metallico ferro anteferant, atque ipsum *Oxidum ferri luteum* seu Robiginem cum CULLENIO non solum efficacissimam, verum etiam prae caeteris stomacho aptam iudicent; dum contra Clinici alii salinas praeparationes, utpote quae plus iusto stimulant exigua etiam dosi, nec multum efficiant nisi copiose, et diu datae (sicuti ipse fatetur CULLENIUS), quo ad virtutem, atque usum parvi faciunt, imo idem Ferrum, nec quidem Chalybem, in tenuissimam scobem vel super porphyritem, vel alia methodo praeparatum sine ulla robigine anteponendum esse praecipiunt, nullo etiam in primis viis vel ex morbo, vel ex assumptis acore praesente, ne secus vel iam, vel postea robiginosum factum omni fere, ut Ill. TISSOTUS monet, careat virtute (*a*), aut etiam sumentis stomacho, imo toto etiam ventri, pondere, nausea, erosionis sensu, doloribus, aliisve, ut facile accidit, illatis incommodis nimium officiat. In hac autem concertatione, quam prorsus expedit tuto dirimere, cum eadem rectam medendi ratio-

---

(*a*) Avis au Peupl. V. II. p. 44.

nem proxime respiciat, ego quidem arbitror Ferrum adhuc metallicum in stomacho plus minus solvi (etsi tenuissimum, ac non plane solutum et agere posse, et intimiora vascula meare non denegem) cum Ferri scobem in gastrico succo adhuc integro ex homine sumpto facile, abunde, ac perpetuo solvi (*a*) observaverim; quin tamen inde concludam praeparatis reliquis scobem ferri non rubiginosam cedere virtute, aut ipsam tutam, ac plane innoxiam Rubiginem esse. Saepissime quippe vidi scobem illam, quoties rubiginosa data a Medicis esset, vel adhibita acidis non vitatis alimentis, aut morbido acore stomacho haerente, toties anxietatem, cardialgiam, nauseam, subinde vomitum, ac ventris dolores concitasse, et diu etiam usurpatam Medicorum spem iis in morbis elusisse, quos postmodum ego ferrum nulla rubigine infectum exhibens brevi, et feliciter sanavi. Maxime vero ita censeo, quod experiundo didicerim non sine nimio Aegrorum incommodo, ac cum exiguo admodum fructu rubiginem, seu *Oxydum ferri luteum*, apud nos saltem, etiam parva dosi, et a tribus granis pedetentim aucta exhiberi.

772. Dum interim scobem Ferri non rubiginosam seu Limaturam Martis veluti apte adstringentem, atque una egregie roborantem magni facio ad totius corporis, aut

(*a*) Ricerch. sul Suco Gastr. Cap. VII. pag. 126.

singularis partis laxitatem, flacciditatem, debilitatemque removendam; dum proinde eam in cachexia, in chlorosi, ac menstrui sanguinis fluxus tum retentione, tum suppressione ab ea caussa, caeteris praestare remediis quotidie experior, praesertim si aromaticis mixta iuxta Cel. TISSOTI methodum adhibeatur, atque, ut soleo experientia suffultus, ad parva potius grana pluries die propinetur, quam semel, aut iterum ad scriptulum, vel ultra quavis vice copiosior assumatur; dum praeterea ad ipsam etiam menorrhagiam ab uteri vasorum laxitate, ac robore sublato natam sistendam, ad album fluorem, ad aliorum etiam morborum, quos similis caussa intulerit aut foveat, curationem expediendam, atque ad plurium aegritudinum reliquias ex laxitate superstites abigendas eandem Ferri scobem saepius accommodatissimam habeam, non is tamen sum, qui ideo velim reliquis medicamentis, quae adstringendi scopo praeparantur, suntque Medicis accepta, aut praetium adimere, aut eorum usum sive improbare, sive saltem veluti prorsus supervacaneum reiicere.

773. Neutrum porro ego constituam, etsi non omnia aut valde utilia, aut satis tuta credam Ferri praeparata, quae adstringendi potissimum fine in Officinis servantur, quaeque modo persequar, de reliquis alio loco dicturus. Puto siquidem commodum saepe remedium esse *Tartritim ferri cum potassa*, seu Globulum, aut Bolum Martis

quoniam scio globulum istum, si ei per noctem vel aqua, vel magis vinum affunditur, liquorem praestare, qui leniter adstringendo, ac roborando in morbis chronicis, in quibus laxitas, aut debilitas corrigenda sit, utiliter assumitur; tum eundem globulum vel aqua, vel alcohole aqueo, vel oxycrato solutum, ut eo imbuantur lintea, contusis, suggilatis, ac laxatis, flaccidisque impositum membris saepe auxiliari. Puto etiam *Tartritim ferri cum potassa*, cui Tincturae Martis tartarisatae nomen est, a guttis quindecim ad triginta, aut ultra cachecticis, stomacho languidis, atque infirmis, hyppocondriacis, ictericis, atque obstructione detentis, ubi adstringendum, et roborandum sit, non mediocriter convenire, aut illius loco Tincturam Martis pomatam, quae fere una apud non recipitur cum apto liquore excepta grata sit, stomacho non officiat, paullo etiam liberalius assumpta. Potius, ubi alterutra ex dictis prostet, supervacaneas censeo Tincturam Martis Zwoelferi e *Sulphate ferri*, et *Acetite potassae*, ac Tincturam martis alkalinam Stahlii e *Carbonate potassae cum oxydo ferri*. Superfluis etiam lubenter adscribo *ferri Oxyda*, seu Crocos martis olim in alvi profluviis valde probatos a granis aliquot ad scriptulum, ac speciatim *Oxydum ferri carbonatum* seu Crocum Martis, *Oxydum ferri luteo fuscum carbonatum* seu Crocum martis aperitivum, et *Oxydum ferri rubro fuscum carbonatum*, seu

Crocum martis adstringens, ut caetera istis similia nunquam in Insubriae medicamentariis Officinis recepta Ferri praeparare silentio mittam.

774. De duobus demum, quae e Ferro ducta memoratu digna supersunt, nimirum de *Muriate ferri ammoniacali sublimato*, seu Ente martis, aut Floribus salis ammoniaci martialibus, ac de *Sulphate ferri*, seu Vitriolo martis, aut viridi ita existimo, eos flores a granis quatuor ad scriptulum, aut paullo supra, si de adultis loquimur, in morbis, in quibus scobem ferri probavi, expedire, et diu datos revera prodesse ultro admitto, atque etiam fateor teneris pueris ab uno grano, pedetentim aucta dosi, non inutiles extitisse adversus rachitidem, qua laborabant. Sed nihilominus non possum admittere in febribus intermittentibus, atque intestinorum vermibus singularem plane virtutem exerere, aut cum Ill. SELLIO proponere (*a*) eosdem flores interne sumptos, atque una exterius ad aliquot drachmas impositos multi facere in cancrosis ulceribus, postquam vidi usurpatos nullam opem attulisse, imo morbum exasperasse. De alterius autem medicamenti, seu Vitrioli viridis usu censeo non eos esse imitandos, qui aqua solutum paucorum dosi granorum non ad vomitum solummodo ciendum, atque ene-

(*a*) Reuss. Dispens. Univ. p. 295.

candos vermes, sed etiam, ut potenter adstringant, et roborent, ipsum sapore valde austerum aliis etiam ex Ferro desumptis medicamentis anteferunt. Quoties enim huius remedii proprietates, effectus, ac Medicorum observationes respicio, toties internam eius per se adhibiti administrationem non possum admittere. Scio enim vel admodum exigua dosi propinatum, praeter nauseam, et vomitum, anxietatemque, stomachi, intestinorumque cruciatus, diarrhaeam, tenesmum, ac convulsivos subinde motus concitasse. Quare arbitror satius esse hocce vitriolum externe usurpare iis in casibus, in quibus duo alia vitriola conveniunt, tum adhibere, ut passim solent Chirurgi, in narium haemorrhagiis, eodem insperso super linum, aut gossypium in penicillos, pyramides, et conos convolutum, ac vulneri applicito, dummodo existimemus ex diductis osculis vasorum largiter effluentem sanguinem non minus vitrioli virtute, quam aptae compressionis vi tunc fuisse cohibitum.

775. Atque haec erant de Adstringentibus medicamentis, ac speciatim monenda de Ferro, quod ideo tam egregium laxitatis, et debilitatis existit remedium, quia praeter vim, quam adstrictoriam proprie Medici vocant, habet aliam una coniunctam ad debilitatem removendam aptissimam, vim nempe roborandi, unde ipsum iure pertinet ad ea quoque Artis auxilia ad quae proponenda modo accedo.

CAPUT VI.

De iis, quae roborant.

776. Cum imminutis, fractisque viribus, quae cerebro, nervis, et musculis insunt, ac motibus harum partium segnescentibus oriatur debilitas, atque inertia, vel languor actionum praesto sit, quae ex illis proxime viribus pendent, tum earum etiam, quae in toto corpore fiunt; ex ipsa vero debilitate, aut languore plura, et quidem gravia, mala nascantur: haec sane neque praecavere, neque discutere salutaris Ars posset, nisi idonea haberet praesidia, quae sensilitatis, atque irritabilitatis vires erigendo, sublata debilitate, seu restituto fibris, et partibus quae vitales dicuntur, robore et futuros morbos averterent, et iam evolutos, ac proserpentes curarent. Quare insigni humanae salutis commodo accidit, ut ista, quae utrumque tuto, et valide efficerent, auxilia in universa rerum natura a Medicis iamdiu detegerentur, quae non mortuis, ut dicunt, solidis partibus instar Adstringentium, at vivis, vitalibusque muniis obeundis proprie dicatis opportune affectis, sive potentiae insitae conditionem immutent, sive mutationem inferant fibris, quibus eadem vis insita inhaeret, aut singulis, aut omnibus corporis

partibus robur restituerent, et vitae vires atque actiones provide excitarent, atque intenderent.

777. Quae porro tantam vim habent Roborantia vocantur ex eorum effectibus evidentibus, atque experientia plane evictis, etsi eorundem propior agendi ratio, eiusdem actionis mechanices, atque ipsum etiam in medicamentis abditum actionis principium ad eas adhuc res pertineant, in quarum ignoratione versamur. Quare arbitror eadem medicamenta, quae generali nomine, atque alias communiter accepto Roborantia vocavi, minus apposite a Nuperioribus non paucis Tonica dici, tum ab aliis Amara nuncupari. Enim vero dicam cum Ill. GREGORYO (*a*) „ vires musculorum pendere multum a tensione fibrarum ex quibus constant, et hac „ minuta vel sublata minui, vel tolli; eadem „ vero aucta, intra certos limites augeri: „ quaedam etiam ex remediis roborantibus „ tensionem fibrarum musculosarum, vel in „ parte qualibet, vel in universo corpore, „ augere, admodum verisimile est. Omnia „ vero eodem modo prodesse minime probabile videtur; quod profecto de nonnullis „ vix credibile est „. Praesertim vero credibile non est, cum nonnulla in ipsum proxime cerebrum, quod huic tensioni obnoxium non censetur, agere videantur, tum in nervos

(*a*) Op. cit. Cap. XXVIII. n. 1097.

agere, qui molles, et laxi aut instar chordae, quemadmodum falso creditum est, aut saltem instar musculorum tendi non possunt. Quin imo nonnulla interdum ideo Roborantia fiunt, quia tensionem, quae vel nimia, vel aliena ubi sit debilitatis caussa existit, imminuunt, et tollunt.

778. Aequiori praeterea iure non erunt Roborantia ista medicamenta Amara promiscue dicenda, aut saltem erunt omnia, quae amaritiem aliquam habent medicamenta ad istud Roborantium genus revocanda, ut a quibusdam fieri video. Licet enim tradat CULLENIUS exceptis Adstringentibus nullum suppetere ad roborandum accommodatum medicamentum quod amarum non sit, id sane tradit, quod veritati non consentaneum mihi videtur. Sunt enim non pauca ex aromatibus, et salibus ducta, sunt ex evacuantibus, Stimulantibusque quaedam petita, suntque ex aqua ipsa purissima, aut ex Aquis medicatis hausta praesidia ad roborandum accommodatissima, ne diaetetica, et mechanica auxilia attingam, etsi gustui amara non appareant, ac nullam intus abditam amaram revera materiem contineant. Occurrunt praeterea nonnulla medicamenta, quae caeteris utique, sive intensitate, sive puritate saporis, quo ad amaritiem praestare videas, iisdem vero quo ad virtutem longe cedere, ac contra alia reperies, in quibus cum exigua admodum amaritie insignis roborandi facultas enitet. Quo de caussa in hac re Viro artis

usu, ac doctrina insigni CULLENIO nequeo, ut voluissem, assentiri.

779. Hinc etiam arbitror ad verum detegendum principium actionis, quo suos Roborantia generatim edunt effectus, aut inutile, aut satis non esse curam omnem transferre in evolvenda natura illius materiei, quae corporibus amaritiem tribuit. Minus proinde erit dolendum si qui hactenus suscepti fuerunt labores ad eiusmodi materiei indolem evolvendam spem Chemicorum frustraverint. Hoc quidem plane evictum habemus amaritiem a volatilibus partibus non proficisci, non ab oleo pariter volatili pendere, non a salibus oriri; non autem habemus evictum in quonam principio eadem consistat. Non enim quod ad caussam aperiendam amaroris, quo pollet maxime *Absinthium vulgare*, nuper egit Cl. KUNSELMULLERUS, quodque tradit ipse de resina, tamquam unica eiusdem saporis origine, ego tanti adhuc habeo, ut inde deducam resinosis partibus amaritiem corporum omnium esse referendam. Iam quippe compertum mihi est nonnulla praesto esse, quae amaritiem habent nullo modo resinae inhaerentem, atque aqua levi negotio extrahendam, ne illud etiam addam illius Auctoris instituta cum Absynthio experimenta referentem Virum summi nominis Ill. CRELLIUM (a) animadvertere nimium, aut singulare

(a) Chemische Annalen ec. V. IX. 1789.

videri amaritiem omnem, quam unciae quatuor Absynthii in pulverem redacti ostendebant, in duobus tantum resinae scriptulis delituisse.

780. Verum dum moneo non omnia Roborantia, adstringentibus licet exceptis, amara esse, atque in eorum amaritie vim omnem non abdidisse naturam, moneo ulterius non ita esse Adstringentia, ac Roborantia inter se confundenda, ut cum non paucis affirmemus quae adstringunt eadem pariter roborare. Quamquam enim demus Adstringentia generatim roborantia quandoque evadere, „ non „ omnia pariter, dicam iterum cum GREGO„ RYO (a) roborantia vim adstringentem ha„ bent; quin et quaedam ex iis sunt, quae „ partes solidas mortuas nullo modo afficiunt. „ Neque demum in ipsis verissimis remediis „ adstringentibus, vis roborans pro rata parte „ cum altera viget, sed saepe magna observa„ tur cum haec exigua est, et contra, parva „ interdum, cum vis adstringens maxima exi„ stit. Minime ergo absurda est distinctio illa „ Medicorum inter roborantia, et adstringentia „ remedia „. Quare mirari tandem desinant ii inter Medicos, qui nimio novandi amore capti receptas etiam medicaminum divisiones veluti superfluas, aut repugnantes flocci faciunt, vel prorsus reiiciendas audacter decernunt.

(a) Op. et Cap. cit. n. 1100.

781. Quatenus vero Roborantia debilitatem corrigunt, muscularium fibrarum tensionem, firmitatemque augent, cerebi, nervorumque vires excutiunt, atque ob consensus legem, et partium reliquarum nexum omne solidorum genus plus minusve afficiunt facile assequimur, quomodo eadem praeter hosce potiores effectus valde salutares, alios etiam in iisdem partibus, atque in ipsis humoribus edant. Maxime vero edunt, et novos prope singulares afferunt ex eo quod ex dissimili, ac multiplici remediorum genere eadem auxilia petita praeter roborantem alias una proprietates habeant, alias facultates, alias agendi rationes; prout eadem Roborantia sunt quoque adstringentia, amara, aromatica, stimulantia, aut alterius generis medicamenta. Hinc intelligimus cur eadem ad multiplices debilitatis caussas removendas valeant, ac multa emendent corporis vitia, pluribusque in casibus conveniant, quos Clinicorum est recensere, ac speciatim ciborum desiderium faciant, digestionemque expediant, ac plurimum adiuvent, morbidi acoris in stomacho evolutionem impediant, et molestas eiusdem intestinorumque inflationes ex aere ob fractum robur nimis rarescente, haerenteque antevertant, atque alia commoda afferant, ipsis tum erectis viribus, tum subinde excretionibus imminutis ex debilitate incitatis, et auctis.

782. Alii praeterea sunt effectus, quos a Roborantibus, ac speciatim ab iis, quae Ama-

ra sunt, plerique sibi pollicentur; de quibus interim non una est Medicorum sententia. Nam in obstructionibus viscerum multi Roborantia amara valde utilia censent, dum contra CULLENIUS sibi fere nunquam, etiam abunde exhibita, tradit profuisse; cum tamen nequeat denegari quoties, ut plerumque apud nos fit, a laxitate, debilitateque nascatur obstructio, toties amara quaedam prodesse. In ictero probantur magnopere a plerisque Medicinae Scriptoribus, dum contra ille Auctor inefficacia eadem existimat, et quidem, quantum ipse etiam observavi, rectissime. Item dum valde utilia in bilis vel defectu, vel inertia communiter iudicantur, non conveniunt inter se Medici utrum eorum utilitas vel ab aucta bilis amaritie, vel a stimulo sibi proprio, quo intestinorum conditionem immutent, motus incitent, et spasticas constrictiones solvant, derivanda sit. A quibusdam rursus tamquam vere emmenagoga commendantur cum tamen nullam propriam in uteri vasa actionem exerere iamdiu evictum sit, atque una compertum Chloroticis ob restitutum universo corpori robur opitulari, etsi verum saepe esse cognoverim, quod monuit CULLENIUS, per se adhibita morbum non radicitus tollere; quem facile adstringentibus adiuncta sanant. Quidam insuper adversus vermes, maximeque ad *Ascaridem lumbricoidem* singulari donata virtute Amara omnia cum Vulgo iudicant, cum tamen eiusmodi opinionem iamdiu Vir nunquam interiturae memoriae

RE-

Redius veritati non consentaneam monstraverit, atque ego pariter novis periculis, observationibusque suffultus, quas alibi proponam, possim constituere, ab alio sane principio, quam ab amaritie deducendum esse si quaedam amara medicamenta vermes enecent.

783. At duo maxime horum medicaminum effectus Clinicorum animadversionem exigunt post ea praesertim quae de iisdem protulit Cullenius speciatim inquirens, num amara in podagra et calculis tam eximium, ut quidam vel antiquitus credidere, praesidium afferant, numve Roborantia ex Adstringentibus, atque Amaris confecta tantam in febribus intermittentibus virtutem ostendant, quantam Cortex Peruvianus habet. Dum autem assentimur Cullenio sapienter reputanti amara, etsi diu, ad unum nempe, alterumve annum usurpata podagrae invasionem, redditumque saepe prohibeant, huius tamen morbi loco lentos et chronicos alios affectus vel non arcere, vel etiam inferre, qui morte demum finiantur, ut in tribus Podagricis ipse etiam accidisse olim vidi, sive ex diutino eorum usu stomachi robur plane infringatur, sive nervorum vis abdito in amaris generatim, ut plerique censent, veneno plurimum infirmetur, ac dum rursus eadem remedia cruciatus calculorum inhibere, (non interim sat tuto, ac perpetuo) arbitramur, nolumus contra in alteram eiusdem Auctoris sententiam ire.

784. Equidem concedam Adstringentia febres intermittentes certis sub conditionibus, ut iam monui (§. 742) interdum sistere, vel eas interdum robore quibusdam partibus, atque universo fibrarum nervearum, et carnearum generi restituto, aut earundem conditione mutata sanare, tum potissimum concedam iisdem indicationibus praesentibus easdem febres cohibere Amara, et Adstringentia una coniuncta. Utrumque enim vel antiquissimis Medicis, maximeque HIPPOCRATI notum erat, estque iamdiu hic loci ob earum febrium frequentiam omnibus compertum. Utuntur quippe nonraro Clinici adstringentibus, amaris, aromaticisque. Sed neque ipsi parem Cortici peruviano opem in febribus intermittentibus ab hisce remediis generatim expectant, neque ipse maxime expecto, qui longa, atque ad plures annos protracta in Aegris quam plurimis periclitatione, ut remediorum, quae Cortici succedanea censentur, verum praetium definirem, omne demum studium eo nuper transtuli, ut experimentorum, atque observationum subsidio aequa lance perpenderem, ac tutissime constituerem quanti CULLENII sententia facienda a Medicis esset. Porro duce experientia eo rem perduxi, ut, quin modo consulens brevitati proponam, quae fuse de tota illa investigatione alibi exsequar (*), tuto possim concludere tantum

(*) Eiusmodi experimenta, atque observata complectar secundo Opuscul. Therap. volumine, quod iamdiu absolutum, nunc vero typis consignatum, quamprimum prodibit in lucem.

abesse, ut amari, atque adstringentis remedii coniunctio largiatur pharmacum, quod innoxia plane indole, tuta agendi ratione, promptitudine, securitate, et constantia Corticem Peruvianum aequet, aut proxime attingat, ut potius affirmandum sit omni ratione huic quam maxime cedere, nec prudentis, ac nobilis Artificis fiduciam mereri. Praesertim qui animadverterit cum PERCIVALIO (a), aliisque Artis Proceribus in Cortice *Cinchonae officinalis* actionis principium, aut febrifugam vim non in eius amaritie sitam esse, tum illud remedii genus saepe et diu, et largiter, modo in una, modo in altera intermittentium febrium constitutione, ubi nulla vel inflammatoria, vel gastrica, vel alterius generis complicatio subesset, me exhibuisse ea methodo, qua Cortex praescribitur, quin febrim, quam hicce facile, et breviter sustulisset, plerumque discuteret. Quod enim interdum discutiat sublatis peculiaribus morbi caussis, aut corporis conditione mutata erit ne mirandum postquam vel ipsi insoliti, ac subiti animi affectus, vehementes corporis motus, victus ratio repente mutata, atque omnigena pene genera remediorum subinde discutiunt?

785. Externe autem Roborantia adhibita quantum afferant praesidii quoties eadem non totius corporis commodo, sed singularis tan-

---

(a) Op. cit.

tum partis usurpantur dum Chirurgi perquirunt nos monent utiliter in artuum debilitate varia forma imponi, si tensio, ac vigor alicui parti conciliare expediat, quaedam etiam prodesse in iis contusionibus, quibus lenia Adstringentia iam dixi auxiliari, etsi in haerentes humores, impactos, atque effusos per se non videantur proxime agere, tum denique ideo sordidis, putridis, malignisque ulceribus nonnulla applicita Roborantia abstergendo, et cicatricem adiuvando nôn mediocre generatim commodum afferre, quia cum roborandi facultate ea quoque donantur, qua proserpenti putredini resistant, ac quae iam computruerunt aliquatenus emendent.

786. Non ex uno porro medicamentorum genere, ut iam dixi (§. 781), Roborantia desumuntur, neque ex uno Pharmaceutico fonte. Ex ipso quippe Diaetetico plura deprompta, quae virium conservationi in secunda valetudine prospiciunt, in adversa quoque apta ratione, atque opportuno tempore usurpata debilitati contraria fiunt, eiusdem caussas removent, effectus tollunt, atque humani corporis partibus vel aliquibus, vel omnibus robur, vigorem, tensionemque facile, tuto, atque efficaciter restituunt. Horum omnium praesidiorum singulas species, vires, effectus, et modum recte utendi, quo sanitatem tueantur, atque ipsis etiam morbis, quorum caussa, vel pars magna debilitas est, insigne quidem afferant remedium, ita sum exsequutus in priori harum Institutionum parte, ut ea

modo retractare idem esset ac, sicuti in proverbio est, crambem recoquere. Quanti enim conferant, et quam magni facienda sint in multis quidem morbis ad universum corpus firmandum, ad erigendos, incitandosque omnes naturae motus, ad insitas maxime carneis, et nerveis fibris vires excutiendas, atque ad vigorem ipsi etiam animo impertiendum, (cui tanta est pro affectuum dissimilitudine ad vim totius corporis sive imminuendam, sive augendam potentia) optimus cibi, et potus usus, ac praesertim esculentorum, et poculentorum propriam roborandi facultatem habentium, multiplicia exercitationum, et gestationum genera tutissimis Gymnastices praeceptis iam traditis (§. 424. et seq.) composita, frictiones (§. 452.) providus aeris delectus, (§. 59) idoneus vestium usus (§. 70. et seq.) unctiones, lotiones, frigida balnea (§. 485. 486.) tum demum animi pathemata excitantia (§. 500. et seq.) quanti, inquam, habenda sint indicatis locis fuse proposui. Quamobrem hisce praeteritis solummodo quaedam attingam de frigido Balneo, cuius in roborando, excitando, ac reprimendo usu in adversa valetudine utilitatem, atque usum non ea hactenus sum ratione exequutus, quam hocce vere eximium praesidii genus requirit.

787. Huius Balnei usum vel antiquitus plerosque Populos crebro instituere censuisse non solum ad munditiem corporis, ad eius refrigerium, atque ad quosdam Religionis

ritus, verum etiam Graecos, aliasque Gentes ad tuendam valetudinem, ad robur impertiendum, atque ad quosdam morbos sanandos frequenter suscepisse cuique compertum est. Hinc in Italia tum primaevi consueverant Incolae vix in lucem editos infantes in fluviis mergere, eosque gelu durare et undis, tum deinceps Romani frigida Balnea usque ad ostentationem vigente sanitate receperunt, ac Medicorum consilio ad multas aegritudines vincendas frequentarunt. Noverant siquidem vel antiquissime Homines corporis mersionem in aqua eo frigoris gradu donata, quo artus leviter ac brevi intremiscant, ac paullo post cutis rubeat, ac parumper incalescat, ac mollis fiat, vel aliquo perfundatur humore, membris robur accedat, animus recreetur, atque appetitus se exerat, tutissimam esse, tum maxime proficuam subinde tentatam, eoque modo susceptam, ut qui in piscinam, vel amnem descendit protinus in aquam se proiciat, dein ex ea se attollat, atque iterum mergatur, toties eiusmodi vicissitudines experiens, semel, bis, aut tertio, quoties et consuetudo, et corporis natura, et virium ratio vel permittant, vel iubeant. Hac enim methodo ex Aqua modo frigida, modo frigidissima citra eas noxas, quas eadem secus apti frigoris gradum excedens, vel nimis diu ac repetito applicita, infirmatis musculorum, nervorumque viribus, ac stomacho speciatim laeso inferret, eos omnes salutares effectus humanum corpus experiri ob-

servatione didicerant veteres Medici, quos nos ex frigoris proprietatibus deducimus, quosque roborantes, excitantes, et reprimentes esse constituimus. Caeterum concedimus a mutata frigoris vi, quoad calorem, corporis temperie, a gravitate aquae incumbentis homini in ea protinus demerso, a densitate et cohaesione maiori particularum inter se ob cutis musculorumque fibras subito constrictas, et rigescentes, a singulari stimulo intromisso, atque ad totum nervorum genus confestim propagato, atque ad cor traducto, ut citatior in intimioribus partibus sanguinis circuitus fiat, et secretiones, excretionesque expediantur, eos omnes effectus non satis fortasse assequi, quemadmodum Therapeutae generatim existimant, quibus frigidi Balnei, aut ipsius Aquae gelu concretae vera, aut potior agendi ratio in humanum corpus tenebris adhuc involuta videtur.

788. Ex istis interea effectibus, quod nostra potissimum interest, satis declaratur quî frigidum Balneum, sive universale, sive singulare, pro re nata prudenter admissum in secunda valetudine debilitatis incommoda avertat, appetitum excutiat, stomachum confirmet, digestioni faveat, nutritioni prospiciat, animum exhilaret, ac singulas corporis functiones integras servet; quî apposite usurpatum in adversa, interdum etiam instar Stillicidii adhibitum in pluribus affectibus a debilitate, languore, laxitateque illatis, aut coniunctis, maximeque in nervosis, et con-

vulsivis morbis, quorum omnium genera, ac species Clinicorum est definire, magnum saepe emolumentum afferat; quî utile interdum sit in antiquis, et rebellibus capitis doloribus glaciem perfricare, aut eam imponere, tum viribus pene exsolutis admovere aut plantis pedum, aut ventri, ut in malignis febribus, in diutina ventris obstructione, aliisve casibus iamdiu usuvenire consuevit; quî generatim frigida aqua, quacumque ratione externe applicita corpori sit, eo magis roboret, et aliis etiam modis, suis intromissis particulis, utilior evadat quo eadem medicatior existit ob naturam, et copiam principiorum propriam medendi vim habentium, unde *Aquae salino muriaticae*, aut ex *acido carbonico acidulae*, aut *ferrugineo gaseosae*, aut *ferrugineae compositae* vulgari frigidae aquae antecellant.

789. Quamquam vero sive ad tuendam sive ad restituendam valetudinem frigidum subinde tentare Balneum et tutum generatim et utilissimum credam, atque in medicina facienda eius commoda satis perspexerim, tum insuper probe sciam quanta Sanorum, Aegrorumque voluptate et commodo a Summis Medicis, qui in Calidioris Italiae regionibus Clinicen exercent haec medendi ratio passim instituatur, moneo tamen apud nos neque adeo frequenter, neque audacter adeo utroque fine usurpandum esse, ut olim a quibusdam tradebatur. Etsi enim alibi tum in Italia, tum in Europa, maxime ubi ab

ineunte aetate consuetudo coeperit, plerique et tuto, et non sine multa utilitate eodem utantur, variis tamen Insubriae locis istud auxilii genus et indicatum et rite adhibitum non raro aut nihil profuisse, aut plurium caussam malorum extitisse me saepe immortalis nominis Praeceptor BURSERIUS admonuit id aut humido coelo, crebrisve vicissitudinibus obnoxio, tum corporum naturis, tum aliis, sapienter, ut solebat, caussis referens: quod verissimum esse cognovi. Quare ubi conveniat studiosius apud nos illae omnes serventur regulae, quae a Clinicis tradi solitae dum futuram ex frigido balneo utilitatem certiorem reddunt, una praecavent damna, quae iisdem neglectis superveniunt, ac speciatim ea mala, quae ex facili perspirationis defectu apud nos maxime oriuntur.

790. Vix autem post ea, quae de Aquae tum frigidae, tum gelidae, atque in glaciem concretae sive in secunda, sive in adversa valetudine (§. 301. et seq.) interno usu protuli, nunc oportet dicere quantum eadem conferat ad robur impertiendum. Multum sane ob satis evidentes caussas, tum potissimum valent Aquae illae Medicatae, quae ex *acido carbonico acidulae*, aut *ferrugineo gaseosae*, aut *ferrugineo compositae* principe roborante virtute aliis etiam facultatibus coniuncta donatae apto tempore, et modo, certa copia, quae non nimia sit, ad plures dies assumptae et provida victus ratione diligenter servata miram plane in chronicis plerisque morbis opem

praestant. Quare fontibus, qui salutares eiusmodi aquas largiantur, cum careat Insubria, rerum omnium caeteroquin beatissima, commodum est quod soli natura denegavit ex arte comparare earum Aquarum loco, ubi usus expediat, quemadmodum passim soleo, Aquam vulgarem apta methodo imbuendo medicatis tum gasticis, tum reliquis principiis, quae in variis medicis Aquis delitescere Chemicae rationes demonstrarunt. Harum quippe defectui artificiales Aquas, si rite parentur, suppetias afferre pluribus in casibus experientia evicit.

791. Haec diaetetica praesidia ut per se ad roborandum valent sic etiam recte usurpata non parum adiuvant eorum medicaminum actionem, quae roborandi caussa e Pharmaceutico fonte duci solent, quaeque numero plura virtute et usu probantur. Siquidem praeter Adstringentia, ac Stimulantia, de quibus sequenti capite dicam, non pauca ex Stirpibus sumpta veluti proprie Roborantia medicamenta accipi iamdiu consueverunt. Quamobrem de iisdem singillatim, ut decet, nunc loquar initium ducens a Stirpibus Compositis. Inter eas, quarum aliae a Rei Herbariae Scriptoribus capitatae, aliae discoideae, aliae radiatae vocantur, quae genera Officinis praebent usitatiores, et medicatiores species, saltem roborandi caussa, sunt *Carduus*, *Onopordum*, *Centaurea*, *Tanacetum*, *Artemisia*, *Inula*, *Anthemis*, *Matricaria*, et *Arnica*. Ex foliis *Cardui mariani* seu

Cardui mariae leviter amaris sive fiat decoctus, sive exprimatur succus, ad uncias aliquot olim propinatus ante febris intermittentis invasionem, atque etiam in hydropisi exhibitus, tum ex seminibus oleosis alias in pleuritide perperam probatis nihil proprii nobis hodie pollicemur. Potius nunc ex herba contusa, aut succo expresso *Onopordii acanthii*, seu Cardui tomentosi in carcinomate faciei, narium, labiorum, aliarumve partium, si mammarum excipimus, insigne auxilium Chirurgi non incelebres sibi pollicentur, cum gravissimum hocce malum onopordum impositum interdum sanasse referant, quod de pravis item ulceribus emendatis, et cicatrice impletis apud nos etiam nonnulli se observasse tradunt; etsi neque in istis mihi unquam successerit.

792. Ad *Centauream* vero tamquam species referuntur *cyanus*, seu *Cyanus minor*, cuius flores coeruleos quasi inodoros, atque insipidos interne diureticos, externe oculorum morbis utiles olim habitos nunc iure negligimus; *montana* seu Cyano maiori, cuius herbae alias Officinis receptae nec cardiacas, nec alexipharmacas vires tribuimus; *iacea* seu Iacea vulgaris, cuius floribus et foliis adsertas alicubi in Italia eximias vires, si forma decocti, gargarismatis, aut cataplasmatis usurpentur, roborantes, adstringentes vulnerarias, atque una resolventes in serosis faucium morbis, ulceribus, et cutis vitiis summopere proficuas Medicorum experientiae po-

tius, quam Vulgi opinioni inniti vellemus; *Calcitrapa* seu Carduus stellatus, aut Calcitrapa, cuius succo e foliis vel e tota herba expresso ad aliquot uncias epoto in febribus intermittentibus paullo ante febris accessionem, vel eiusdem similiter herbae extracto, infusu, et pulvere cortici peruviano comparato febrim nunquam tollere, ac viscerum, quae abdomine continentur, obstructiones etiam recentes nunquam pariter discutere potuimus; ac demum *benedicta*, seu Carduus benedictus, cuius potius fidimus virtuti. Huius quippe herbae, cui amarissimus sapor inest cum levissima acrimonia, atque ingrato odore, folia, et summitates adhibitas vel in infusu a dimidio manipulo, usque ad duos, in succo ab uncia una ad tres partitis vicibus, ne vomitum secus incitet, aut in extracto ab uno scriptulo ad duo stomacho infirmis, cachecticis, hydropisi tentatis, obstructa abdominis viscera habentibus, aliisve incommodis obnoxiis ex debilitate, laxitate, bilis inertia, et lenti ac viscosi humoris copia saepe subvenire, tum interdum benignas, vernales, legitimas intermittentes febres confirmato stomacho, discussis levibus viscerum obstructionibus, ac morbida materie incitatis paullum urinis, motisve sudoribus educta abigere cum plerisque Clinicis non raro vidimus. Nec ignoramus in notha pleuritide idem remedium caute datum utraque excretione excita superstitem dolorem discusisse, et redditum morbi prohibuisse etiam apud nos in

iis constitutionibus, quae eiusmodi curationis, vel auxilii genus postulabant.

793 Herbam vero, quam praebet *Tanacetum vulgare*, seu Tanacetum, odore graviter aromatico, et sapore praeditam valde amaro, ac destillatione flavum, amarum, et acre oleum praebentem iis non modo opitulari morbis, quibus prodesse dixi Carduum benedictum, fere omnes Medici tradunt, verum etiam suis medicatis principiis, melius alcohole, quam aqua educendis, modo alvum movendo, modo urinam plerumque ciendo infusam a pugillo ad manipulum, subinde lacte et saccharo mitigatam, podagram mitiorem, rarioremque, imo ad interiora delatam innocuam effecisse CULPEPERUS, CLARKIUS, aliique Angliae, et Scotiae Cl. Viri testantur (*a*). „Sed respicias, dicam cum MUR„RAYO (*b*) ad aegri constitutionem, nam „non omnibus idem convenit.

794. Dicendum nunc est de *Artemisiae* iis speciebus, quae roborandi caussa inter Stirpes medicatas usu probandas hic iamdiu relatae fuerunt, nimirum de *vulgari*, de *abrotano*, ac de *absynthio*. Nam *Iudaica* ad aliud pertinet remediorum genus, ac reliquae species, nempe *maritima* seu Absynthium maritimum, *rupestris* seu Genepi album, et *glacialis* seu Genepi nigrum in Officinas In-

---

(*a*) Essays et Observ. phys. et lit. T. III. pag. 438. (*b*) App. Med. V. I. p. 130.

subriae nondum illatae sunt. Hae tamen rectius *vulgari* substituerentur seu Artemisiae, quae, ut parum amara est, ita eadem, licet aromaticam suavitatem inter comminuendum effundat, egregie roborans, atque inde valde emmenagoga, et febre intermittente correptis proficua alias multum probaretur, et parum efficax iudicatur, et usu plane eviluit; quemadmodum *pontica* seu Absynthium ponticum, aut romanum pariter eviluit. Nec usitatius hic loci est *abrotanum* seu Abrotani maris herba, aut speciatim summitates crebrius usurpantur, quippe quae ratione virium cum multis aliis conveniunt, atque exsiccatione multum amittunt tum gravis odoris, tum aromatici amari saporis, quibus recentes donabantur. Unum itaque fere est *absynthium* seu Absynthium vulgare quod viribus, atque usu valde probatur.

795. Multis sane Stirpibus Roborantibus anteponenda sunt folia Absynthii vulgaris, quae tum illis, tum suis etiam summitatibus, et floribus praestant aromatico gravi valido sibique proprio halitu, ac sapore amarissimo acrimonia aliqua non destituto roborandi stimulandi, et putredinem cohibendi virtute infusa instar theae cum aqua, vel cum diluto vino a pugillo ad dimidium manipulum vel in pulverem a scriptulo uno usque ad duo data, vel in succo quavis vice a dimidia drachma ad unam, tum maxime assumpta in extracto, in quo quidem, non in eius oleo destillato nunc exoleto, amarities

omnis superest, pilularum instar a media drachma ad sesquialteram vel per se, vel aliis additis remediis sumendo, vel in Essentia simplici a scriptulo uno ad drachmam idoneo liquore soluta multis in casibus mirifice prosunt. Enim vero Absynthium partim amaritie sua, partim stimulo lentos, viscidos, effusos, impactosque humores discutit, urinas in hydropicis citat, et podagricis ac calculosis quandoque levamen atque inducias affert, acidum primarum viarum aliquatenus infringit, vel avertit, ac resolutioni oedematum favet, ita vero stomachum confortat, bilis potentiam acuit, et peristalticum motum intendit, ut appetitus redeat, coctio iuvetur, inclusus inflationesque suscitans aer extricetur, et Cachectis, Chloroticis, aliisque auxilio sit aegris, qui laxitate fibrarum, viriumque debilitate laborant, febres intermittentes leviores quandoque valde mitigat et aufert, atque ea denique omnia bona adducit, quae generatim Amara, et Aromatica, diu praesertim adhibita, adducunt.

796. Ab huius vero remedii virtute, atque in agendo constantia longe distant duae illae *Inulae* species, quae ad medicata Vegetabilia, ac proprius ad Roborantia referuntur, nimirum *helenium* seu Enula campana, et *dysenterica*, seu Conyza media, aliis Arnica Svedensis. Nam prioris radix sicca odoris inter Violam, et Acorum quodammodo medii, et saporis leniter glutinosi, dein amari aromatici, et acris non inefficax utique est

utpote quae composita ex gummi, resina, oleo volatili, et pauxillo Camphorae, quam inter distillandum in flocculos concretam vitro adhaerentem MALOVINIUS obtinuit (*a*), et roborando par videtur, et a Clinicis revera iudicatur. Eadem nihilominus in pectoris chronicis morbis, menstrui fluxus suppressione, atque in aliis affectibus, in quibus valide incidendum, ac resolvendum sit, speciatim proponi, atque usurpari hactenus consuevit. De altera vero specie nempe *dysenterica* quodnam iudicium proferas mecum fortasse dubius haereas animo reputans roborando, atque adstringendo eius folia ingrate amaricantia, acriuscula, odorem spirantia lenissime virosum, seu, ut RUTTYO, aliique visus est, instar lintei sapone loti, dysenteriae castrensi, aut cruento non epidemico alvi fluxui iuxta quosdam medelam attulisse, tum contra iuxta Cel. VITETI, aliorumque sententiam dysenteriae cuicumque nunquam auxilio fuisse, imo ardorem, et tenesmum saepe concitasse (*b*): quod eiusdem stirpis non mediocri acrimonia spectata verisimillimum mihi videtur.

797. Antequam vero, ut constitutus postulat ordo, de *Matricaria* dicam, monere oportet *Anthemis nobilis* nomine Chamomillam romanam venire, quam *Matricariae chamomillae*, seu vulgari praestare cum alibi iure exi-

(*a*) Chemie V. I. p. 321. (*b*) Op. cit. p. 449.

existiment Medicorum plerique, quoniam flores magis fragrantes atque efficaciores suppeditat, sic eam vulgari anteferunt. Sed cum hic loci Chamomilla a *Matricariae* genere perpetuo desumatur, huius tantum vires et usus expendam. Iam vero *Matricaria* duas valde usitatas Officinis nostris erogat species, *parthenium* scilicet, seu Matricariam, et *Chamomillam* seu Chamaemelum vulgare. Illius herbam cum floribus inter praecipua, et domestica auxilia adversus hystericae passionis insultus, atque uteri affectus Vulgus apud nos habet, ac revera feminae in infusu, vel in succo evidenti, nec mediocri emolumento plerumque usurpant, inde discussis flatibus, stomachi intestinorumque doloribus sublatis, motibusque spasticis compositis. Quare non satis assequor cur Medicorum quidam remedium istud plane contemnant, praesertim cum eadem herba odoris validi gravis, et saporis valde amari, ac mediocriter acris destillatione subcitrinum oleum largiatur. Potius mecum credant Aquae matricariae stillatitiae, quae in Officinis occurrit, etsi rite confecta fragrans sit, infusionem esse substituendam, tum eandem Matricariam in pulvere non esse adhibendam, ut quidam solent, qui non considerant in sicca Matricaria ut parum odoris, sic minimum virtutis superesse.

798. Alterius *Matricariae* speciei, seu *Chamomillae* flores, atque imprimis calyces, quos unice oleum aromatico volatile continere Chemi-

corum pericula docuerunt multiplicem, atque egregiam prorsus vim habent, si eorum qualitates, Medicorum cuiusque aetatis auctoritas, et omnium Gentium usus spectentur. Tum recentes quippe, cum rite exsiccati odorem fragrantem, aromaticum, validum, plerisque non ingratum spirant; gustui aromatici, et amaricantes apparent; in aqua fere ad medias, in alcohole ad octonas partes iuxta LEWISIUM (*a*) queunt dissolvi, ac distillationi traditi e quavis libra fere drachmam olei (Therebinthinae oleo, quo ad odorem quam proximi) pulchre coeruleo sapphyrino colore donati sibique proprii, nec, ut BERGIUS (*b*) nuper evicit, e vasis cupreis ad distillationem adhibitis ullo modo derivandi, facile suppeditant. Iisdem vero floribus omnium Gentium Medici antiquiores usi sunt, omnesque nostra etiam aetate crebro utuntur. Plures autem proprietates habent, inter quas tamen huius loci solummodo sunt, quae ad roborandum valent. Porro iisdem tantum tribuo, quantum requiritur, ut in ventriculi et intestinorum variis effectibus a fracto robore, a pituitosa colluvie, ab aeris inflationibus ab una, alterave drachma ad unciam dimidiam ex aqua infusi subveniant. In febribus vero intermittentibus, contra quas iidem flores olim adeo inclaruerunt, ut HOFFMANNUS,

---

(*a*) Mat. Med. p. 208.
(*b*) Op. cit. V. II. p. 691.

Heisterus, Schultzius, aliique ipso interdum Cortice Peruviano certius et tutius eas curare, imprimis pertinaciores, docuerint, earumque absolutorium Vogelius appellaverit (*a*), atque omnes fere Medici in iisdem non parvi fecerint, in febribus, inquam, intermittentibus ego floribus istis non multum tribuo. Etenim infusus, succi, aut pulveris modo hic loci iisdem exhibitis, interdum cum aliis remediis, ac praesertim cum *Carbonate potassae*, atque *Oxydo stibii albo nitro confecto* (quae duo maxime probantur) una admixtis pluries frustra tentavi quartanas, et tertianas benigniores fugare, ac rarissime potui eas, quas cachexia, viscerum obstructio, et humorum vitia fovebant, sistere, in quibus speciatim, etiam ob resolvendi vim, convenire iudicantur. At de hisce floribus alibi.

799 Superest modo, ut inter Compositas Stirpes *Arnicam montanam*, seu Arnicam, alias Doronicum romanum commemorem. Ea enim acris, amara, aromatica, ubi recens est, graveolens, et sternutamenta movens, et nauseosa, vomitum, cardialgiam, et tormina ventris vix oleo compescenda inferens ingesta, etsi virosa, ac periculi plena haberetur, nunc modica dosi assumpta non minus innocua, a Collinio praesertim, iudicata est, quam multis gravioribus morbis accommoda-

---

(*a*) Mat. Met. p. 144.

tissima ob plurium virium una conspirantium actionem, atque efficacitatem (*a*). Inter eas porro vires, suis locis opportune indicandas, excitantem, roborantem, ac submoventem febres intermittentes instar Corticis ille Auctor, aliique praesertim in floribus, atque in radice admiserunt. Quamquam autem eiusmodi flores illis febribus, ac praesertim recidivis discutiendis pares esse FEHRIUS et BRÜKNERUS ante COLLINIUM monuerint, et Cl. AASKOWIUS eorum manipulo ex Zytho infuso, paullo antequam febris invaderet, exhibito eam diu protractam bis e corpore deduxerit; COLLINIUS nihilominus tot observationibus in medium prolatis eandem vim demonstrare suscepit, ut eiusdem inventor habeatur. Trium enim annorum spatio Arnicae floribus in pulvere, vel infusu, vel extracto exhibitis se millenos, et amplius Aegros curasse testatur, quos febris intermittens diversum omnino ordinem, et characterem, diversamque naturam, et caussam praeseferens, quin tamen perniciosa esset, detinebat. Ego vero de eiusmodi remedii, quod alio fusius expendam, apud nos usu cum abunde experimentis inquisiverim ita censeo, eos flores, sive in pulverem contriti a scriptulo ad duas drachmas, sive aqua copiosa infusi, vel clauso vase incocti a drachmis duabus usque ad sesquiunciam, aut

(*a*) Op. Par. V.

paullo ultra, sicuti praecepit ille Auctor, partitis vicibus intra diem propinentur, nemini sine molestia, plerumque non levi, dari posse, imo longe minori dosi, atque una saccharo, aut syrupo idoneo edulcati ubi assumantur plerisque evidenter officere.

800. Quo ad virtutem autem ita pariter censeo, eos solummodo ad illas, nec quidem perpetuo, febres valere, quae in corpora pinguia, muco, et sero copioso praedita incidunt, atque ubi vires solidarum partium nec admodum fatiscant, nec praeter modum vigeant, neque mobilitas, aut exquisitus irritabilitatis, et sensilitatis sensus praesto sit. Ob quas caussas raro hocce remedium nobis tutum, et utile esse solet, tum in illis tum in aliis febribus, aliisve aegritudinibus. Quare non minus tutius, quam utilius roborandi caussa radix floribus anteponitur, quae roborans et antiseptica post COLLINIUM tanti in alvi fluxibus, ac speciatim dysenteria a STOLLIO olim facta est, ut affirmaverit prae caeteris hactenus repertis medicamentis eius mali absolutorium aequiori iure eam dici posse, atque insigniter prodesse largiter datam in ea consumptionis specie, quae ex ingenti puris, ichorisque profluvio externa perampla vulnera saepe insequente originem ducit (*a*). In diarrhaea sane diutina ex laxitate, debilitateque, humorumque ad putre-

---

(*a*) Rat. Med. P. I. cap. VI., et P. II. cap. XVII.

scendum proclivitate ego persaepe adhibui, morbo plerumque radicitus sublato, eam exhibendo pluries die ab octo granis ad quindecim quavis vice pulveris forma. Si enim exhibeatur dosi a COLLINIO constituta ad drachmam scilicet, toties iterandam, quoties Aeger diei spatio unciam, aut sesquiunciam, vel ea ratione, vel arenae balneo cum aqua digestam assumat, toties ex ea noxam accipit, neque eius beneficium sentit.

801. Huic radici accenseo alteram iisdem usibus a Nuperioribus dicatam, cui nondum certo ordini, ac generi adscriptae, atque ex Asia advectae *Calumbae*, aut Columbae nomen est. In taleolas, aut orbiculos secta valde rugoso cortice et fusco donata odoris leviter aromatici, ac validi, nec tamen ingrati amaroris paucis ab hinc annis (cum a PERCIVALIO, aliisque multi fieret) in Insubriae Officinas recepta veluti ea quae ad roborandum, ad putredinem, maxime bilis, corrigendam, atque ad vomitum sedandum accommodatissima esset, ac proinde alvi profluviis, dysenteriae, cholerae, phthisi, aliisve morbis mederetur, iam Medicorum fiduciam partim amisit. Nec quidem iniuria, quantum iudico; quia eius usu, sive exigua dosi quavis vice, at pluries die, sive rarius, at liberalius eam exhibuissem semuncia et amplius intra diem insumpta, nullum dysenteria implicatum potui sanare, aut vomitum in aliis tollere. Neque ea praeterea aut promptitudine, aut efficacitate diarrhaeam

sistere in adductis casibus (§. 800) qua vel Arnicae radix, vel Alumen sistit, imo plerumque fallere observavi, nisi alvi fluxus a ciborum ob enervatum stomachi, intestinorumque robur imperfecta coctione pendeat. Tunc enim egregie prodesse vidi tum generatim cum CULLENIO vidi iis non parum opitulari, qui dyspesia laborant.

802. Ex Stirpibus Rotaceis duo tantum genera huc pertinent *Menyanthes*, et *Gentiana*. Ex *Lysimachiae* quippe genere *nummulariam* seu Lysimachiam, aut Nummulariam herbam leniter acrem, atque adstringentem neque ad interna, vel externa ulcera implenda, neque ad haemorrhagias cohibendas, neque ad alvi sistenda profluvia veluti inefficacem Medici amplius usurpant. Crebri contra usus nobis est *Menianthes trifoliata* seu Trifolii fibrini, aut Aquatici herba admodum amara. Nam sive recens, sive exsiccata, vere roborans, scorbuto adversa, et varias excretiones leniter invitans tum in infusu, cum in extracto, raro in pulvere exhibita, non eas solum utilitates in morbis quamplurimis praestat, quas pura, et validiora Amara adducunt; sed praeterea in aliis chronicis affectibus, qui ab humorum multiplici labe nascuntur, aut qui cutim obsident, eamve exulcerant plerumque utilissima est. Hinc eadem passim utor, quemadmodum hic frequenter, et summo Aegrorum commodo Magni Viri BURSERIUS, et TISSOTUS superioribus annis utebantur.

803. Ex altero item genere, nempe ex *Gentiana* quae desumitur duplex species, una *lutea*, alia *centaurium* nuncupata, utraque nobis usitatissima est. Nam illius seu Gentianae radix insigniter amara, etsi aromatica atque adstrictoria qualitate careat, vel per se tam egregium debilitatis remedium affert, eorumque affectuum, quibus generatim Amara subveniunt, ut revera ventriculo, atque intestinis robur restituat, a muco liberet, vim bilis acuet, appetitum suscitet, coctionem ciborum expediat, aliaque mala vel discutiat, vel avertat. Febres etiam intermittentes singulari virtute discutere communiter censetur, eoque fine saepe apud nos, hodie etiam, praescribitur. Sed adversus eas vim non habet, qua ab amaris reliquis differat. Hinc, licet febris solutioni interdum faveat, quando scilicet remedia ista roborantia et amara sufficiunt, atque interdum magna stomachi debilitate praesente, ut in diutinis febribus accidit, Cortici peruviano rite copuletur; generatim tamen in eiusmodi febrium genere spem Medicorum eludit. Caeterum abs re non erit monuisse radicem hanc aromatibus unitam, vel alcohole, aut Vino multarum virium extractam, unde essentiam, tincturam, elixirium, quorum variae compositiones occurrunt, Aegris praestet, ab Exterarum Gentium Medicis communiter praescribi. Quamquam enim hoc modo agat Gentiana potentius, et amaritie minus sumentibus displiceat; nihilominus experior

Infirmos, nisi morbi ratio aliter suadeat, illa praeparata et composita ob maiorem stimulum aegre ferre, et interdum minus utiliter, quam simplicem radicem ferant, nunc sectam aqua maceratam, atque infusam ab una drachma ad duas, tresve, nunc a scriptulo ad drachmam, aut paullo supra in electuarii, aut pilularum modum ad amarorem obvelandum paratam. Similiter Gentianae species altera *centaurium* dicta seu Centaurium minus quemadmodum genere, et amaritie valde intensa, quae, observante LEWISIO, in herba, non in summitatibus haeret, radici Gentianae proxima est, ita huic passim solet substitui confectum ex eadem herba ad duas drachmas decoctum: quod tamen frequentissime a Pauperibus, et Villicis usurpari solitum minus hodie frequenter, quam alias consueverint, in febribus intermittentibus, et morbis, quibus Gentiana mederi student, nostrates Medici praescribunt.

804. Alii etiam Stirpium Ordines Roborantia medicamenta non parum efficacia erogant. Ex Lomentaceis siquidem *Fumaria officinalis* seu Fumaria cur a Clarioribus Medicis nostratibus negligatur, in domestica caeterum medicina usitatissima, et antiquis, nuperioribusque Proceribus Artis probatissima, ego non satis intelligo. Eiusmodi quippe herba licet ingratam habeat amaritiem, quam in extracto aqua parato superstitem cum sale nitroso inde efflorescente communicat, tantam quoque habet, etiam exsiccata, in succo ad

aliquot uncias, vel in extracto ad aliquot drachmas, vel ad manipulum infusa, coctave roborandi, et discutiendi, humoresque emendendi facultatem, tamdiu adhibita, quamdiu expedit, ut in obstructionibus iecinoris, lienis, et mesenterii, in plerisque cutis vitiis, nec quidem, docentibus Summis Clinicis THOMSONIO et CULLENIO ipsa lepra, puto Graecorum, excepta (*a*), valde proficua sit. Quare propria etiam multiplici experientia suffultus contendo in usu Fumariae a Veteri consuetudine, quam Vulgus retinet, non esse recedendum. Potius ex Serabridis Stirpibus non desumant ad medendum, si velint, Clinici nostrates *Humulum lupulum*, seu lupulum ad zythum tenuandum, atque ab acore tuendum accommodatissimum, donec propriae eius vires, nec cum caeteris Amaris communes, maximeque in praecavendis resolvendisque calculis rectius constituantur. Ex Verticillatis autem, ac speciatim ex *Teucri* genere quoties medicatas Stirpes roborandi caussa Medici desumunt, toties perspectum habeant *scordium* seu Scordii herbam valde amaram, leniterque aromaticam roborando, et discutiendo parum idoneam esse, alexipharmacam perperam iudicatam fuisse, atque externe instar fomenti, aut cataplasmatis, utut antiseptica sit, per se gangraenam non cohibere; tum *Chamedrym*, aut Chamedryos herbam

---

(*a*) Med. Consultat. p. 161.

parum amaram non sine levi aromatico halitu sive in pulverem trita, sive infusa detur, nec roborando, nec incidendo parem adeo videri, ut alias creditum est; tum denique *chamaepitym*, seu Chamaepityos herbam saporis amari, odorisque instar resinae ex pinu, Chamedryo neque dissimilem, neque maiorem vim ostendere, praesertim cum in podagra eiusdem usus parum utilis a quibusdam habeatur, ab aliis etiam, instar reliquorum medicaminum amarorem habentium, non satis tutus existimetur.

805 Esset nunc e Sarmentaceis Stirpibus dicendum de *Aristolochiae* variis speciebus quatenus amarae et roborantes huius loci sunt, tum speciatim *Aristolochia serpentaria* seu Serpentaria Virginiana, quae radicem suppeditat, cui inter caeteras eximias vires, quibus stimulat, excitat, pellit, putredini adversatur, competit quoque illa, ob quam validioribus Roborantibus non cedat. Sed de eiusmodi stirpe, affinibusque speciebus proprius alibi loquar. Esset quoque inter Solanaceas commemorandum *Strychnos nux vomica*, quatenus bacca inclusa semina *nuces Vomicae* dicta e Malabaria, et Ceylano advecta orbiculata, utrinque compressa, umbilicata, villosa, grysea, aut cinerea, inodora, atque amarissima tamquam roboranti, aliave multiplici praedita virtute dosi trium, aut quinque granorum in pulvere, vel sex usque ad quindecim in infusu non ignobiles Medici adversus hyppocondriacam, aut hystericam

passionem, ventriculi, intestinorumque dolores, maniam, rheumaticos affectus, herpetem. ac praesertim contra dysenteriam, et febres intermittentes adhibuerunt. Verum qui mecum animadvertat Nucem vomicam in illis morbis aliis remediis adiunctam fuisse, a me in intermittentibus febribus prudenter datam nihil boni praestitisse, atque in dysenteria a BERGIO saepe praescriptam noxiam extitisse, SPIELMANNO facile assentietur suadenti intrinsecus eam nunquam esse exhibendam, cum revera ipsa parva dosi Canibus, Foelibus, Cuniculis, Vulpibus, et Lupis, tum nonnullis Avibus, ac speciatim Cornicibus, atque Anatibus potentissimo veneno sit, ac maiori copia exitio interdum fuerit hominibus, qui convulsi ex ea mortem occubuerunt. Nec quae olim ad Strychnos veluti speciem revocata *Strychnos Ignatii*, seu Faba S. Ignatii vocabatur, nunc vero proprio adscripta generi *Ignatia amara* dicitur, aut potius eiusdem stirpis semen, quod in uno fructu multiplex occluditur ex Insulis Philippinis siccum deportatum avellana nuce maius, subtrigonum, durissimum, ex albo glaucum, inodorum, et amaroris vehementia Amara omnia superans usu probandum esse puto, quia etsi valde roborans, aliisve praeditum viribus habeatur, atque a granis quinque ad decem tutum forte esse queat remedium, ac febre intermittente, et speciatim tertiana detentis proficuum; attamen veneno suo discrimine nunquam vacat, nec raro, ut rela-

tum est, ad scriptulum assumptum nervorum distentionibus, frigidisque motis sudoribus praeceps vitae periculum homini intulit.

806. Ob quam sane caussam spectatis lethiferis effectibus, quos e foliis *Prunus lauro cerasi* seu Laurocerasi Aqua destillata certa nec magna dosi assumpta quadrupedibus brutis animantibus infert, atque homini etiam affert (nisi protinus iisdem Lac, Oleum, *Ammoniaca aqua diluta*, aliaque, licet non satis evicta sint, antidota subveniant) in illa sum sententia, ut eam nunquam credam intus esse Aegris propinandam. Scio equidem non Incelebres Medicos eam etiam ad triginta, et longe amplius guttas ter, quaterve die impune dedisse, imo ad confirmandum stomachum quosdam valde probasse, atque ad sanguinem potenter tenuandum, obstructionesque viscerum resolvendas aptissimam alios habuisse (*a*); sed non interim volo in tanta, quae praesto est, tutissimorum medicaminum copia, istis periculi plenum pharmacum substituere.

807. Prudentis proinde Artificis erit hisce vitatis Roborantia medicamenta vel ex iam adductis Stirpibus desumere, vel ea ducere ex reliquis earum Ordinibus, quos singulos apta roborando remedia complectentes rimabor, ut hoc caput absolvam. Itaque dicam ex Pomaceis, ac speciatim e *Citro aurantio* externum Corticem desumptum, qui

---

(*a*) Murr. Op. cit. V. III. p. 213. et seq.

Aurantiorum flavedo dicitur grate amarum, aromaticum, et fragrantem in pluribus nervorum, stomachi, et intestinorum morbis, in uteri profluviis, aliisque aegritudinibus, in quibus roborando, et stimulando oportet muscularibus, nerveisque fibris robur, vigoremque impertiri nunc ex aqua, nunc ex vino infusum, subinde in Syrupo remediis aliis admiscendo ad unam, alteramve unciam, interdum in Essentia vel ex vino graeco, aut hispano, vel ex alcohole confecta guttatim sumenda opportune usurpatum iamdiu ex Magni olim Insubriae Medici SEPTALII consilio (*a*) hic usu receptum egregie prodesse. Neque praeteribo eiusdem Aurantii folia grate fragrantia et amara, etsi non multi facienda sint ad graviores convulsivos, et spasticos morbos vincendos, ut alibi dicam, ad confortandum tamen stomachum, et totius corporis debilitatem ex nervorum affectione potissimum natam tam saepe mihi valuisse, in pulvere praesertim ad mediam, aut integram drachmam ter, quaterve die iis datam, qui ob mobilitatem, aliamve caussam Amara caetera ferre nequibant, ut merito Ill. TISSOTO gratia habenda sit, qui eiusmodi remedii usum hic exemplo suo prolataverit. Nec utilitate sua carent Foeminis nostratibus usitatissima forma emulsionis *Citri medicae* semina amara, atque oleosa.

(*a*) Animadv. Med. lib. VII.

808. Inter Gruinales Stirpes roborando aptas sola *Quassia* est, quae duas species medicamentariis Officinis largitur, nimirum *amaram*, et *simarubam*. Utraque magnum apud Medicos nomen obtinuit. Nam prioris, seu arboris in Surinamo spontaneae radicis, ac potissimum ligni, modo humani brachii, modo calami scriptorii crassitiem habentis pede plerumque longioris tenui cortice rugoso albo, aut gryseo tecti, cinereis, aut fuscis maculis subinde obsiti, intus albidi, levis, non admodum duri, inodori, atque intenso, et diutissime persistente, quin nauseam faciat, amarore donati, huius ligni, inquam, quod fere unum in Europa usurpatur, Quassiae, aut Ligni amari Surinamensis nomine, vim, atque usum, cum LINNAEUS triginta ab hinc annis illustrasset, insignem fiduciam Clinicorum plerique in eo posuere. In morbis enim a stomachi, intestinorumque debilitate, omnibusque inde profectis digestionis vitiis, et nervorum affectibus, maximeque hyppocondriaca passione, in febribus intermittentibus, atque in continuis debilitatem comitantibus, in cruciatibus ex arthritide, et calculo, imo in mucoso uteri fluxu, atque in haemorrhagiis, aliisque aegritudinibus, quas singillatim MURRAYUS prosequitur (*a*), vix dici potest quantum Ligno huic inciso diu digesto, atque ex aqua ad drachmam unam,

---

(*a*) Op. cit. V. III. pag. 432.

vel alteram pro quavis eius libra infuso, raro ex vino, etsi magis agat, rarius adhuc in tinctura alcohole aqueo facta, non pauci tribuerint, et adhuc tribuant. Hinc superioribus annis e re visum est Summo Praeceptori BURSERIO omni experimentorum genere eius principia, et vires ita scrutari, ut verum eius in Medicina praetium constitueretur, obtum utilissimum Cl. SEVERIO eiusdem observationes suis etiam periclitationibus, animadversionibusque auctas eleganti commentario complecti, quo Quassiae principia, vires, et usus admodum illustrantur (*a*). Ego autem etsi vim egregiam Quassiae in adductis casibus nolim detrahere, cum tamen propria, et quidem multiplici, experientia noverim Quassiam antiseptica virtute, sive extra humanum corpus, sive in eo experimentum sumatur, Cortici peruviano, radici Arnicae, aliisve remediis non parum cedere, vix unquam in febribus intermittentibus, licet benignae sint ac purae febrim radicitus discutere; cum nihil, quod vere singulare sit in eius principiis a PAARMANNO (*b*), ELBELINGIO (*c*), SEVERIO, aliisque illustratis detegam; cumque in morbis passim observaverim aut expectationem fallere, aut saltem non plus efficere, quam simpliciora, et una efficaciora cae-

(*a*) Comm. quo Med. Quass. Vir. expenduntur.
(*b*) Diss. de Lign. Quass. Argent. 1772.
(*c*) Diss. de Quass. et lich. Isl. Glasg. 1779.

caetera soleant Amara medicamenta, caussam non assequor cur ei Gentianae radicem, aut similies indigenas stirpes nolint adhuc Medici substituere. Maxime vero qui credam quoties par virtus est, toties praestare potius indigenis, quam exocticis uti medicamentis.

809. Quod vero ad speciem alteram *Quassiae*, nempe *Simarubam* attinet, eius Cortex e radice sumptus in frusta pedem longa convolutus, levis, lineam non aequans crassitie, ex albo flavescens, inodorus, et valde amarus e Cayenna ineunte hoc Seculo in Galliam allatus, atque in dysenteria, in reliquis fluxibus alvi, in haemorrhagiis, in colicis, aliisque morbis magni protinus factus, suam celebritatem non satis tueri mihi videtur. Eum enim, quamquam roborando efficacitate non careat in morbis, quorum caussam praebet, aut solutionem impedit debilitas, saepe observavi nunc in pulvere tenuissime tritum a quindecim granis ad scriptulum pluries die, vel rarius ad mediam, vel unam drachmam quavis vice datum, vel instar infusi, aut decocti ex duabus, tribus, aut quatuor drachmis intra diem sumendi propinatum per se dysenteriam nunquam sustulisse, qua in re consentientem CULLENIUM habeo, aliosque Scotiae praestantissimos Medicos; imo perraro eius abigendis reliquiis parem fuisse. Quod si diarrhaeam ex debilitate diu durantem interdum cohibuerit Simarubae cortex, praestitit sane id, quod ex aliis aeque

indigenis amaris Roborantibus medicamentis pari securitate, imo maiori fortasse promptitudine obtinetur.

810. Inter Stirpes praeterea Trihilatas occurrit *Aesculi hippocastani*, seu Castaneae equinae, aut Indicae, seu Hippocastani cortex, qui ab alburno separatus adstringens, atque amarus ob roborandi vim alias vix ad medendum propositus postea MISTICHELII, ZANICHELII, TURAE, aliorumque exterarum etiam Gentium Scriptorum laudibus adversus febres intermittentes in infusu, in decoctu, in extracto, ac maxime in pulvere tenuissimo, forma, modo, et dosi corticis Peruviani nuper adeo inclaruit, ut vel ipsi MURRAYO ad praestantiora remedia, quae febrim discutiunt, visus sit pertinere (*a*). Verum nimis raro mihi licuit iam tredecim ab hinc annis susceptis periculis, quae cum BURSERIO tunc communicaveram, intermittenti febre, quae modo quotidiana, modo tertiana, modo quartana, interdum simplex, interdum duplex fuit, implicatos Aegros hoc uno remedio largiter etiam, diuque exhibito sanitati restituere, ut modo possim eius usum in eiusmodi febribus etiam vernalibus, et mitioribus multi facere. Maxime cum inertiam remedii postmodum quoque novis, tum propriis, tum alienis hic, et alibi in Italia susceptis periculis didicerim, atque Aegri stomacho non

(*a*) Op. cit. V. IV. p. 62. et seq.

leviter interdum officere animadverterim. Pari iure etsi inter Amentaceas *Salicis albae* seu Salicis vulgaris albae cortex e minoribus ramis quatuor circiter annorum decerptus, in tenuem pulverem tritus, gustui adstringens, et amarus ad unum alterumve scriptulum quarta quavis hora in febribus intermittentibus tempore integritatis a STONIO, aliisque exhibitus quam plures Aegros tuto ac facile sanaverit, hic loci pleniori etiam manu saepe a me datus febrim nunquam plane sustulit; quemadmodum Cortex alterius speciei nempe *Salicis pentandrae* in iisdem febribus BERGII expectationem perpetuo elusit (*a*).

811. Nec qui ex Tricoccis, ac speciatim e *Crotone cascarilla* seu Cascarillae frutice Iamaicae sumptus Cortex ad nos usque iamdiu advehitur, perperam alias cum *Cinchonae officinalis* cortice confusus, pluris fieri debet adversus febres, quae intermittunt. Ei quidem secto convoluto in tubulos lineam fere crassos, pollice plus minus longos, duros, et fuscos, si albida, parum rugosa, lineis transversim interspersa, lichenibusque interdum obtecta epidermis eximatur, aromaticus debilis, sed in igne fragrans odor inest, itemque sapor aromaticus amarus adest cum aliquo diu persistente pungentis fervoris sensu, ac cum oleo aethereo, et copiosa resina una virtus inest roborans, at non ita tamen

(*a*) Op. cit. Vol. II. p. 788.

praestans in morbis, ut olim a plerisque tradebatur. Nam quod de eius insigni utilitate in febribus continuis, biliosis, exanthematicis, atque in morbis ipsis inflammatoriis pectoris quidam olim tradiderunt, a Sapientioribus Clinicis nunc denegatur. Quod alii non pauci de eius eximia plane virtute Cortici peruviano aut pari, aut eo tutiore in febribus intermittentibus protulere, instar huius remedii adhibito, id veritati contrarium ab aliis satis superque evictum est. Quod si in pulvere a granis decem ad scriptulum, vel in electuario, vel in extracto exhibitum eiusmodi corticem quidam adhuc in morbis omnibus, in quibus roborare stomachum expedit, magni faciant, vel in alvi fluxibus, et praesertim dysenteria, ei multum tribuant, vel cum MURRAYO iudicent prodesse „ eundem cum cortice peruviano commiscere, „ quando nimirum prae debilitate nimia ventriculus Chinachinam solam non fert, vel „ haec ipsa alvi profluvium excitat, vel iacturae virium subveniendum est „ mecum saltem animadvertant stimulando, et calorem augendo multis officere aromate suo, non paucis suo halitu, et sapore invisam esse Cascarillam, tum Corticem peruvianum nullo subsidio in adductis casibus indigere, nec aliorum remediorum auxilium requirere.

812. Sunt, praeter ista, alia, quae huc referri possint, Vegetabilia, aut eorum partes ignoti generis, aut speciei, ac praesertim quaedam Radices, et Cortices, quibus hic loci

nondum utimur. Inter primas venit *Cassumuniar* seu Bengale radix, quae in segmenta divisa, aut in orbiculos, interne albido flava, externe flavo cinerea, odore et sapore instar Zedoariae superiori seculo ex India Orientali allata, veluti egregium in morbis nervorum, atque in dysenteria remedium afferret, hodie exolevit cum ad stimulandum, ac stomacho robur impertiendum vix non inefficax habeatur. Radicem vero *Chynlen* e China traductam cylindricam, flexuosam, rugosam, calamo scriptorio crassam, quae in frusta pollice longiora secta est, fragilem, ex luteo rubram, inodoram, ac multum amaram, quamquam vino infusam stomachum confirmare, intestinorum doloribus mederi, et coctionis opus adiuvare, eiusdemque vitiis opitulari credant Chinenses, ac propria nixus experientia multi faciat BERGIUS (*a*), Medici nondum adhibent, forte ex eo quod sciant nonnullis exhibitam vomitum movisse. Plus itaque credunt quidam in Belgio celebres Clinici duce GAUBIO in alvi profluviis Radici *Lopezianae* ab Io. LOPEZ invectae, cuius descriptionem MURRAYUS tradit animadvertens contra quorundam iudicium odore, non amaritie destitui (*b*). Testantur quippe, ut idem Auctor refert, eandem radicem perperam olim adversus Serpentum morsus, et febres intermittentes commendatam, in pulvere, aut

---

(*a*) Op. cit. (*b*) App. Med. Vol. VI. p. 166.

in pilulas subactam a medio scriptulo ad unum, vel ultra, ter quaterve die exhibitam vel tincturae, sive spirituosae, sive aquosae forma ad drachmam circiter datam summa saepe promptitudine lienteriam, et diarrhaeam sistere, etiam si diutina admodum sit, aut conliquativa, aut eadem puerperis, et phthisi ac tabe consumptis supervenerit.

813. Ad Cortices vero quod attinet tres potissimum sunt, qui hic debent expendi. Prior dicitur Cortex *Poggerebae*, cuius fragmenta MURRAYO primum exploranti visa sunt lineam crassa, convoluta, ramosa, dura, ponderosa, rugosa, interdum annulata, fusca, lenissime amara cum salso et adstrictorio levi sapore quodammodo aluminis (*a*). Quae quidem ad alvi profluvia cohibenda trium unciarum pondere data a VOGELIO, et a quibusdam Galliae Medicis olim propinata valuisse dicuntur; etsi hodie plane negligantur. Cortex alter *Bela-Aye* audit, qui e quodam arbore Madagascarii depromptus in India potui additur ex arundine saccharifera, atque eo modo infusus ibidem passim adhibetur ad sistenda alvi profluvia, quemadmodum Cl. SONNERATUS eodem dysenteriam compescuit, et cruentum haemorrhoidum fluxum cohibuit; imo Lutetiae Parisiorum ad scriptulum semel et iterum aliquot diebus ex vino, vel infusu theae propinato diuturniores, contumaciores-

(*a*) Op. cit. pag. 184.

que diarrhaeas sanavit (*a*). Tertius Cortex ille est qui *Angusturae* dicitur nuper ex Insula Trinitatis Londinum allatus in frusta convexa, mediam lineam crassa, sex circiter pollices longa, ac pollice non minora, luteo fusca, dura, albida cuticula inequaliter obtecta. In pulverem comminutus colore aemulatur Rhabarbarum, et sapore praeditus amaro, aromatico, et fervido aquae solam amaritiem tribuit, alcoholi vero suas omnes proprietates largitur. Viribus praestare Cortici Peruviano eidemque maiori effectu suffici, atque etiam diarrhaeae, et dysenteriae egregie mederi Trinitatis incolae arbitrantur. Hisce assentitur Cl. BRANDIUS, qui ad eadem mala potenter valere, ac generatim roborando in morbis omnibus a debilitate, et laxitate prodesse propria experientia se didicisse testatur. Caeterum aliorum Clinicorum observationes de eius usu avide expecto cum propriis hactenus destituar: unde modo solummodo addam dari in pulvere a granis decem ad quindecim quavis vice, non ultra, ne nimis calfaciat, aut nauseam excitet, in extracto a granis quatuor ad octo, atque in decoctu ad drachmam paullatim assumi (*b*).

§. 4. E Contortis denique Stirpibus unum quidem est genus, quod roborans medicamentum nobis praebeat, sed tam validum, tamque eximium ad roborandum, atque ad

(*a*) pag. 178. (*b*) pag. 176.

alios vere singulares effectus praestandos praebet, ut nisi antecellat caeteris omnibus Artis praesidiis, nulli saltem cedat. Profecto *Cinchona officinalis* seu Arbor in Peruviano regno, ac speciatim in montibus crescens Loxae urbi propioribus corticem, qui Peruvianus, vel China china nuncupatur, largitur tot, tantisque medicatis viribus praeditum, ut eo salutaris Ars maxime superbiat, eumque auro et gemmis e novo Orbe allatis longe praetiosiorem iure existimet. Quid enim eodem cortice in febribus intermittentibus praesentius, quid in febribus aliis, atque in pluribus morbis potentius, quid generatim tutius, atque innoxius, quidque demum usitatius in universo remediorum genere existit? Tanta sane promptitudine, constantia, et securitate agit hoc pene divinum remedii genus, ut a praeconceptis Vulgi opinionibus, atque a Medicorum quorundam vituperationibus ubique locorum hac aetate non solum evaserit, verum etiam tutissimi, atque efficacissimi pharmaci nomen apud omnes obtinuerit. Quamquam enim Cortex, qui ad nos plerumque advehitur, efficacitatem illam non habeat, quam eo tempore, quo primum adhiberi coepit, exerebat; non ideo tamen suam celebritatem amisit. Nam maiori datus copia aeque medicatus existit, atque in morbis aeque proficuus, et tutus apparet.

815. Probae tamen notae sit. Eiusmodi censetur e minoribus tenerioribusque ramis

facta incisione degluptus, et rite exsiccatus, fibris iuxta longitudinem crispatus, scaber, convolutus, non nimis crassus, nimisve lignosus, nec nimis levis, nimisve ponderosus, qui fuscus, et pallidis interspersus maculis musco canescente tenuissimo obtectus, non albus, non alieno colore infectus, ac speciatim flavo ex Curcuma, qua corticibus aliis Peruviani species fraude tribuitur, intus laevis, ab omni ligno seiunctus colorem fere cinnamomi ferrugineum exhibeat; qui in frusta diffractus in pulverem non fatiscat, aut in longa filamenta discerpatur, et Soli obversus puncta splendentia veluti crystallino sale repleta patefaciat; qui odorem habeat mucidum et leviter aromaticum, dentibusque confectus resolvatur facile, ac cum saliva prompte subactus non glutinosus, non ligneus nimium amaroris, aut adstrictionis sensum non excitet, aut amaritiem ex succo Aloes acceptam prodat, at saporem praeseferat ex aromatico amarum, sibi proprium, et leviter adstringentem; qui demum inter decoquendum incoctam aquam ita rubicundam reddat, ut postmodum refrigerato decoctu, et Cortice ad fundum vasis delapso pallidum colorem assumat: quod inter potiora indicia optimi corticis a plerisque habetur.

816. Hisce potissimum notis arduum non est verum, integrum, optimumque corticem ab adulterato, corrupto, Vermibus exeso, atque aetate, aliisve caussis effoeto distinguere, tum eum, de quo dicimus,

corticem ab iis internoscere Corticibus, qui vel ab aliis *Cinchonae speciebus*, vel ab eiusdem Varietatibus sumpti, atque alias vel neglecti, vel incogniti, nunc aut in usum traducti, aut saltem ad medendum propositi hic loci debent expendi, antequam vulgaris Peruviani Corticis vires, atque usus proponantur. Scire itaque expedit *Corticem Chinaechinae regium flavum* a MURRAYO describi Francofurti a se duobus ab hinc annis observatum caro admodum praetio ibidem venditum, qui in frusta fere plana, digitum longa, pollicem lata, et lineam crassa divisus, ex ferrugineo colore flavicans, ac pulverem praebens flavum, valde amarus, lenissimeque adstringens Vulgari Cortici in febribus intermittentibus sistendis plurimum antecellere dicebatur (*a*). Alium item Corticem idem Auctor commemorat Amstelodami nuper cariori adhuc praetio venditum nomine *Corticis Chinae Regii* virtute Vulgari longe praestantiorem, qui colorem ferrugineum, non flavum habuit (*b*). Tertium pariter Corticem ipse indicat, vocatque *Chinamchinam Surinamensem* sapore intense amaram, quam tamen ex THUESSINKIO in febribus intermittentibus a vulgari Cortice non parum superari concedit (*c*).

817. Praeter hosce Cortices, quorum ignotum adhuc est genus, etsi a quibusdam

---

(*a*) Op. cit. Vol. VI. p. 178.
(*b*) pag. 180. (*c*) pag. 181.

ad *Cinchonam* referantur, veniunt Cortices alii, atque in primis duae Species sub nomine *Chinaechinae de Santa Fè* nuper tum Parisiensibus, tum Londinensibus Academicis cum siccis stirpibus ex Hispania, ut suo adscriberentur generi, transmissae (*a*), quaeque etiam in Italia a Cl. ASTIO exploratae sunt (*b*). Una *Cinchona peruviana* dicitur, et corticem praebet, qui tum amaritie, tum virtute multum Vulgari concedit. Altera *Cinchona bogetensis* corticem erogat, quem parum amarum, sed valde acerbum Vulgari multum postponendum esse Ill. BAKERUS censet, cui ipse MURRAYUS subscripsit. Binae aliae deinde praesto sunt *Cinchonae* Species, nempe *Caribaea*, et *floribunda*. Illa suppeditat corticem Chinaechinae caraibaeae, aut Iamaicensis nuncupatum, quem insigniter pro parte, e qua evellitur, variare docet MURRAYUS, qui dum refert ex Cl. WRIGHTIO roborare, vomitum sedare, et colluviem primiis viis haerentem corrigere, atque hac ratione in febribus remittentibus prodesse, apposite animadvertit desiderari hactenus observationes, quae eius vires singillatim evolvant (*c*). Quae autem species *floribunda* dicta tribuit corticem Chinaechinae Sanctae Luciae grysea epidermide tectum, intus levi-

(*a*) Op. cit. V. VI. p. 67., et seq.
(*b*) Della nuova China di St. Fè. Mant. 1786.
(*c*) Op. cit. Vol. VI. p. 58. et seq.

ter fuscum, convolutum, pedem longum, et fere dimidiam lineam crassum, initio adstringentem, dein intense amarum, instar Gentianae, nauseosum, atque inodorum, qui vomitum facile excutit, interdum ad pauca grana in pulvere, atque etiam alvum movet. Hinc ad quinque, octo, aut decem grana, non ultra, quavis vice dandum esse vel cum miti aliquo aromate praecipiunt qui in febri intermittente commendant, etsi aliis neque in hoc febris genere sat tutum, atque efficax remedium videatur, neque in dysenteria putrida, ac cum intermittente febri coniuncta, in qua multi habuit DAVIDSONIUS, satis sua utilitate probatum. Et re quidem vera dicam cum MURRAYO „ pauciora iusto hactenus experimenta suppetunt, quam ut „ hic cortex diu usitato palmam praeriperet (*a*) „.

818. Ad quam vero *Cinchonae* speciem pertineat cortex ille Peruvianus, qui Ruber vocatur, hodie magni factus, nondum liquet. A vulgari differt maiori pondere, et crassitie, quae duarum linearum plerumque est, tum longitudine, qua concava frusta donantur, colore extus canescente, ac sub lichene leviter flavo primum fusco rubro, atque interius rubicundo, maiori amaritie, atque odoris defectu. Vulgari etiam citius in pulverem resolvitur, qui intensius rubet, et facilius

---

(*a*) Op., et Vol. cit. pag, 66.

adulteratur, copiosior in aqua et alcohole solvitur, resina longe magis abundat, et validius putredini adversari dicitur. Hunc praeterea olim non incognitum, et nunc quidem iam a decem annis cuique notum, atque ab Anglis praesertim multi factum, et crebro adhibitum censent plerique sumentium palato, et stomacho magis amicum Vulgari, eodemque duplo efficaciorem, atque iis etiam accommodatum casibus, in quibus alter non profuit. Tutissimis enim observationibus se didicisse affirmant Corticis eiusmodi Rubri unam drachmam in quovis casu, quocumque fine data ea sit, illud generatim efficere, quod binae drachmae alterius, seu pallidi, aut exilioris Corticis vix praestant.

819. Sed neque mihi fidissima observata desunt, quibus innixus queam huic opinioni non plus quam deceat, tribuere. Comparanti quippe mihi novem ante annos utriusque Corticis vires, atque effectus in Aegris febri, aliisque morbis implicatis, quibus Chinachina remedio est, expeditissimum fuit cognoscere, ac tuto concludere, Corticem Rubrum longe efficaciorem esse altero, si de eo sermo sit, qui communiter in Officinis prostat, parum vero eidem praestare si probatissimae notae sit: cuiusmodi erat ille, quem comparationis caussa tunc temporis ex Hispania proxime deportatum Aegris sumendum dabam. Eius enim bonitatis erat, ut raro oporteret ad tertianas vel graviores febres sistendas ad sex eius drachmas adscendere. Quin imo

cum istam periclitationem instituerem Corticem Peruvianum fuscum valde, Chinaechinae nigrae nomine, ex Hispania transmissum, cuius libra tribus aureis mihi veniebat, una potui experiri tanta praeditum efficacitate, ut eius in pulverem redacti media uncia ad febrim quamcumque vincendam valuerit. Cuius quidem Corticis (nescio utrum singularem speciem, an raram varietatem dicam) novam mihi comparare copiam postmodum non licuit.

820. Quamquam autem iis non assentiar Medicis, qui Rubrum corticem asserunt spem Sumentium saepe eludere, neque aliis subscribam reputantibus non ultra scriptulum, aut drachmam dimidiam quavis vice in pulvere, qua forma magis probatur, sine molestia dari posse, quia a me et crebro, et ad unam drachmam, vel ultra datus neque expectationem elusit, neque noxam generatim intulit; non diffiteor tamen vel maiori amaritie sua, vel alia non satis comperta caussa Rubrum Corticem vel parva copia datum stomachum plerumque plus gravare altero, sensiliores Aegros interdum improvide commovere, atque aliis etiam, licet robustiores sint, Aegris inducta nausea, aut vomitu concitato interdum officere. Quae quidem a me non raro observata conveniunt cum iis, quae Medici alii viderunt, atque inter eos, animadvertente MURRAYO (*a*), ipse vidit

(*a*) Op., et Vol. cit. pag. 57.

Ill. Bakerus, qui ideo ab eiusdem corticis administratione abstinuit (a).

821. Non est igitur cur Vulgari Cortice Peruviano, dummodo optimae notae sit, cum minori fiducia utantur Clinici, quoniam eius tutissimae, et prorsus eximiae vires extra omnem dubitationem positae sunt. Quare huius maxime usus multiplices exsequens, quos rectius, ac plenius caeteris Ill Rhanius (b) scrutatus est, non alienum iudico e vestigio ea attingere, quae de eiusdem ptincipiis Chemici tradiderunt. Etsi enim eorum experimenta parum, aut nihil lucis ad eiusdem pharmaci vires a priori, ut dicunt, eruendas, aut explicandas contulerint; ea tamen ad rectam, tutioremque Corticis praeparandi, conservandi, atque adhibendi rationem plurimum contulisse idem Auctor apposite animadvertit. Porro cum tentassent vera eius patefacere principia omni Chemiae subsidio, constituerunt Corticem Peruvianum volatiles particulas, quae inter contundendum in auras vehuntur, atque inter coquendum nares proprio odore percellunt, continere, ac gummi, resina, terra, sale, et ferro diversa proportione una admixtis componi. Hinc deducunt, cur Corticem eiusmodi Aqua melius alcohole dissolvat, Alcohol aqueum plenius rursum, ac rectius aqua, tum vinum

---

(a) Med. Trans. Vol. 3. p. 162.
(b) Advers. Med. Pracc. Vol. 1.

Rhenanum, aut Mosellanum, PERCIVALIO docente, efficacius caeteris liquoribus.

822. Nemo interim melius Corticis principia, eorumque rationem, et modum illustravit Cel. FOURCROYO, nuper absolutissima investigatione suscepta cum hoc Cortice, et cum altero vomitioni, et alvo movendae pari, quem S. Dominici appellat (*a*). Ex utriusque autem resolutione concludit omne actionis principium in Cortice peruviano a materie resinoso-extractiva, seu extractivo-resinosa amara, adstringente, atque in aqua fervente solubili proficisci; in eodem roborantem, et febrim dicutientem vim haerere; alcalica, et terras eiusdem indolis, ac magnesiam huius materiae eductionem adiuvare; eiusdem Corticis decoctum exiguam vim adversus febrim possidere, nisi raptim fiat, atque ab externi aeris actione tueatur; extractum Garayanum, salem Corticis essentialem perperam dictum, ob aeris, atque oxygenii actionem non multum efficacitatis habere; in cortice S. Dominici eo minorem vim contra febres inesse, quo maior est ea, quae vomitum et alvum movet; materiem extractivo-resinosam in eodem cortice differre ab ea, quae e Vulgari obtinetur, sola minori oxygenii copia; hoc discrimen tolli, atque cum eo amaritiem, et potentiam ad vomitum ciendum tolli eodem oxygenio addito; ac proin-

(*a*) Annal. de Chimie Fév. et Auril. 1791.

proinde inter utramque Corticis Speciem in agendo differentiam a varia oxygenii proportione pendere, quae tamen in Cortice S. Dominici, quem ad *Cinchonam angustifoliam* Cel. SWARTZIUS retulit, certius est eruenda.

823. Nec reticenda alia pericula sunt, quae cum Cortice peruviano ab aliis fuerunt instituta. Etenim HALLESIUS facto in animalibus experimento eorum vasa Corticem contrahere observavit, atque HAVERSIUS glandularum mucum ab eo coagulari reperit. Quod vero tradunt alii sanguinem Chinachina tenuari, eiusdem coagulum prohiberi, vel iam efformatum solvi; id sane STORBII, HALLERI, aliorumque observatis adversatur, qui calenti adhuc sanguini guttas aliquot decocti ex Cortice affusas coagulum evidenter promovisse observarunt, unde hocce remedium cruorem potius inspissare, quam tenuare concluserunt. Commemoranda item pericula sunt, quae Ill. Viri PRINGLAEUS, MACBROIDIUS, PERCIVALIUS, COLLINIUS, aliique non pauci cum Cortice instituerunt eum admiscentes solidis et fluidis Animalium partibus tum integris, tum corruptis. Ex hisce quippe innotuit, Corticem peruvianum pulveris, infusus, aut decocti forma praesentissimum esse antisepticum, quatenus corpora a putredine tuetur, vel iam ex ea corrupta, et contabescentia emendat, corrigit, et pristinae quodammodo integritati restituit.

824. Hisce propositis ad ea, quae de Cortice scitu magis sunt pernecessaria, ac

proprius Medicum attinent properemus. Eo enim nullum est in febribus intermittentibus praesentius pharmacum, ac multiplici praeditum facultate in morbis quoque aliis non paucis praestantius ac tutius remedium existit. Tum in hisce quippe, tum in febribus omni noxa generatim caret. » Non „ obstructiones, inquit eximius de usu Cor„ ticis Scriptor BURSERIUS, non infarctus „ progignit, et si qui a febri ipsa imprimis „ diuturniore geniti fuerint, eos paullatim „ resolvit, et reserat; non ventriculo infen„ sus est, cum potius, exceptis paucis casi„ bus, eum firmet et recreet; nec febrim „ sopit tantummodo, sed penitus extinguit, „ dummodo satis valida manu, et quamdiu „ opus est, adhibeatur, et crises quas promo„ vere certo solet non impediantur neglectu „ diaetetici regiminis (*a*) „. Nec benignas quidem ac solutu faciles, sed pertinaciores etiam, gravioresque, imo perniciosas, aut cum lethali symptomate copulatas certisssime, penitusque extinguit.

825. Quonam vero potissimum principio, aut quanam ratione extinguat, quaeri a non paucis solet, etsi tamen mihi id quaerere alienum prorsus videatur. Nam neglectis etiam iis opinionibus, quas de acido sale, vel alcalico, aut de utroque, de eius terra, et de martialibus particulis quidam Auctores protulerunt, quibus hodie assentiri non licet,

---

(*a*) Instit. Med. Pract. V. I. pag. 86.

tum reiectis eorum sententiis, quas de gummi, aut de resina, aut de volatilibus particulis alii proposuere, quibus pariter non plus tribuitur, si omnis actionis principium, aut ratio in extractiva resinosa materie constituatur, ut Nuperiores quidam arbitrantur, satis ne quod est in quaestione assequi licet? Si enim id admittatur, nonne rursum quaeri debet quibusnam particulis illius materiae actio speciatim sit referenda? A compertis vero eiusdem Corticis viribus si vis eius in febribus explicetur, ac proinde cum quibusdam dicatur roborando, vel stomachum firmando, vel nervorum genus afficiendo, vel musculis insitam vim commovendo, vel singulari stimulo amaro, et adstringenti operando febrim e corpore diducere, nonne illud admittemus, quod vel falsum est, vel hypothesim plane sapit, vel ipsis phaenomenis nullo modo respondet? Inquirere vero cum aliis Medicinae Scriptoribus in penitiores caussas, ob quas nullum hactenus pharmacum in universo remediorum genere detectum sit, quod Corticis vim, maximeque adversus febres, attingat, nonne tempore abutentis esset? Profecto cum ista obvelentur tenebris, satius videtur Corticis vires, atque usus novisse, quam inutili plane labore rationem investigare, qua febres cito, tuto, et iucunde sanat.

826. Praestabit idcirco illa potius exequi, quae Corticis in febribus utendi methodum respiciunt. Porro scire expedit eum nec praesente, aut ingruente accessione, nec, ubi

febris gravius urget, at eius impetu remittente recte dari, partitis vicibus exhiberi, nisi breve inter unum, alterumve perniciosae febris accessum, intervallum sit, aut nullum, ut in subcontinua, et subintranti accidit, aliter iubeat; ad quamlibet accessionem generatim prohibendam, iuxta variam Corticis bonitatem, atque ipsius febris vehementiam, modo quatuor, modo sex eius drachmas, modo unciam, modo sesquiunciam requiri. Scire pariter iuvat Cortici quaedam plerumque esse praemittenda, nempe, si sanguinis copia sit, venae sectionem; si fervor, atque ad inflammationem proclivitas occurrat, quae temperant, ac sine irritatione resolvunt; si primae viae sordibus scateant, vomitum, vel alvum moventia; si mucosa colluvies incidentia, ac tenuantia; si obstructiones subsint quae aperiunt, et discutiunt; atque ea generatim, quae peculiari humorum, aut solidarum partium cognito vitio adversantur.

827. Curandum quoque est, ne in eiusdem remedii usu inopportunae vel nimiae exinanitiones, ac speciatim alvi, moveantur quae tum Corticem ocyus subtrahendo, tum eius actionem impediendo, aut effectus destruendo irritam, aut parum efficacem curationem reddunt. Moliendum interim quibusdam in casibus, ut primum vomitus prudenter cieatur. Studiose caeterum prospicendum, ne in usu Corticis aut cum eo coniungatur, aut interponatur quodvis remedium, quod vim eius enervare, aut effectus pervertere

posset. Censendum praeterea est Corticem, etsi pulveris tenuissimi modo propinatus caeteris aliis praestet rationibus, et certius, ac maturius febrim cohibeat, datum nihilominus diluti, infusus, decocti, tincturae, extracti, elixirii, syrupi, pilularum, aut electuarii forma prodesse; tum in alvum largiter, nempe unciatim, et subinde apta lotione, et modo infusum, loto prius clystere recto intestino ut retineatur, efficacitatem suam ostendere, et commodissime hac ratione adhiberi, quoties assumi nequeat ob vitium faucium, vel retineri non possit ob crebrum vomitum, vel stomacho nimiam molestiam pariat, vel eius assumptioni Aegri natura invicte repugnet, vel promptioris, ac validioris effectus caussa hac quoque via idem pharmacum intromittendum esse videatur; tum ipsum denique Corticem insutum pannis, et corpori admotum, vel instar balnei adhibitum, aut liquore aliquo subactum et variis corporis locis impositum sua etiam utilitate, maxime in infantibus, ac teneris pueris, non destitui.

828. Quae tamen pro varia Aegrorum aetate, temperie, et natura, proque dissimili febris indole, et gradu quantitas esse debeat Corticis Peruviani ad febrim sistendam; quibus Aegris vetitum sit maturos etiam fructus, atque ipsa insipida olera (quae vel alvum laxando, vel ex principio alio, forte ex acido, aut oxygenio, effectum Corticis quandoque impediunt, aut facile destruunt),

concedere ; quando conveniat alio potius modo, quam in pulvere eum exhibere; ac quando pariter forma pulveris debeat idem Cortex omni hora, sesquihora, aut secunda tertia, aut quarta, vel bis tantum, terve die praescribi, et quidem quavis vice ad dimidiam drachmam, ad unam, vel ad duas, quemadmodum crebrius fit; ac quamdiu in eiusdem usu ad recidivae febris metum praecavendum oporteat persistere Clinicorum erit dispicere. Hi quoque casus definiant, in quibus dandus sit Cortex vel cum tantillo Opii crudi, vel cum eius praeparationibus, quae aromata vehunt, coniunctus, vel cum salibus mediis, aut alcalicis, vel cum Amaris non admodum calidis remediis, vel cum fervidioribus et aromaticis, vel cum Antiscorbuticis, vel cum Chalybe, vel cum Muriato hydrargiri dulci, vel cum Tartrite potassae stibiato, vel cum Oxydo stibii sulphurato rubro, vel cum aliis consociatus medicamentis, quae speciatim referre non vacat.

829. Potius nostra interest quaestionem dirimere, quae circa tempus Corticem exhibendi inter Medicos adhuc solet magna contentione agitari. Quidam enim Corticem non prope ipsam accessionem, sed a ventura quam longissime dandum esse praecipiunt, quia credunt eum, ut vim exerat, egere tempore, quod non minus sit viginti quatuor horarum, atque etiam observant paullo ante febris invasionem assumptum vomitu saepe

reiici. Alii vero animadvertentes primis temporibus, quibus hocce pharmacum usurpari coepit, eius in pulverem resoluti duas drachmas ex vino infusas duabus horis ante accessionem dari consuevisse, ac tunc mira prorsus efficacitate bis, terve repetitam eam remedii vim agere solitam fuisse; hac quidem ratione nunc quoque Cortice utendum esse fidenter praecipiunt. Utraque opinio summum habet patronum; prima nempe BURSERIUM, altera CULLENIUM: Clinicorum nobilissimum par. Quare facile nutarem animo nisi veritatem mihi experientia monstrasset. Cum enim eam optimam magistram in hac re pluribus diligentissime vario anni tempore institutis periculis, observationibusque nullo partium studio consuluissem, profecto cognovi rectius, et tutius esse BURSERIO, apud nos saltem, generatim assentiri. Accidit quidem mihi oppositam methodum, quae fuit olim etiam Italorum, sequuto febris intermittentis accessionem interdum omnino prohibere (quemadmodum ipsi Praeceptori, de me optime merito, non semel accidisse recordor) at id raro, et solummodo in iis febribus accidit, quae facile diflandam caussam habebant, quae in corpora boni habitus inciderant, quae purae, aut legitimae erant, quae solutioni proximae videbantur, quae diutinae evaserant, quae omni pernicie carebant, quaeque nullum in solidis fluidisque partibus manifestum vitium praeseferebant. In caeteris enim casibus omnibus datum ea ratione Cor-

ticem generatim observavi vel vomitum concitare, vel stomachum molesto pondere afficere, vel anxietatem, aliasve commotiones inferre, et accessionem magis incommodam reddere, nec ipsam prohibere: quemadmodum vel priscis temporibus dato Cortice paullo ante invasionem, et quidem graviorem, si febris duplex erat, illa accessio non cohibebatur, apposite observante BURSERIO, sed futura, quae ei respondebat (*a*).

830. At nimium fortasse de Corticis usu in febribus intermittentibus. Quare modo iuvat referre quid idem in reliquis febribus, atque in morbis vel aliquam, vel nullam febrim comitatis praestet. Porro in iis, quae speciem intermittentis simulant, atque ab humorum solidarumque partium singulari vitio pendent, cum morbi caussam vel prorsus, vel magna ex parte alia medicamenta sustulerint, Corticis usus utilis est; secus alienus, et nocuus. Item in semitertiana tunc solum indicatur quando longa febris remissio est, aut nullus inflammationis metus, nullave aegritudo subest. In remittentibus febribus eo tutior, atque utilior Cortex est, quo magis febris ad finem vergit, magisque remittit. In exitu pariter acutarum, continuarumque febrium utilitatem non mediocrem, praesertim roborando, praestat Cortex, dum contra nocet in inflammatoriis, nisi levis inflammatio intermit-

(*a*) Op. cit. pag. 80.

tentis febris symptoma sit, vel eius fervore aut impetu cessante insignis virium debilitas supersit, aut cum putrescenti humorum conditione consocietur, quibus in casibus eum magni nominis Clinici utilissime adhibuerunt. In putridis autem febribus, biliosis, exanthematicis, lentis nervosis, et malignis, in secundaria febri Variolarum, praesertim quae intermissionem affectet, vel nimium protrahatur, atque in iisdem Variolis cum malignitate coniunctis, aut difficulter ex debilitate erumpentibus magnum saepe auxilium Cortex affert, dummodo circa tempus, formam, et copiam eum administrandi ea diligenter serventur praecepta, quae ad Clinicos pertinent, quaeque CULLENIUS, et BURSERIUS speciatim exsequuntur. In febribus praeterea lentis, chronicis, nervosis, atque hecticis sine ulcere multam saepe opem idem Cortex medentibus affert. Demum in Phthisi, in qua nonnulli plurimum laudant, alii non parum vituperant, quid circa eius usum existimandum sit MURRAYUS definire studet inquiens „ ante suppurationem, quam initio „ eiusdem sub debita cautela, et scito con„ nubio conducere ad moderandam febrim, „ humores condensandos, eorumque putridam „ diathesim corrigendam. Desistere autem „ pudentia iubet si ex primo tentamine nihil „ commodi redundet, quin malum contra ea „ deterius evadat (*a*).

(*a*) App. Vol. I. pag. 593.

831. Praeter haec autem mala aliis quoque non paucis, ut notum est, succurrit Cortex ob multiplices, quas habet facultates. Cum enim egregie roboret, stomachum confirmet, nervis vigorem impertiatur, et cordis musculorumque vires excitet, atque intendat, multis sane affectibus auxiliatur, ac saepe medetur. Sunt eiusmodi passio hysterica, atque hyppocondriaca, anxietas, tremores, spasmi, convulsiones, epilepsia, ac nervorum debilitas, tussis convulsiva ad finem proxima, cordis palpitatio, cephalalgia, hemicrania, aliarumque partium dolores, ac varii affectus, quos etiam certius, et citius tollit ubi statis horis accedant, invalescant, ac recedant instar febris, quae intermittit. Sunt item menses nimii, aut devii, aut cohibiti, albi mulierum fluores, haemorrhagiae, atque haemophthisis a laxitate, a vitio sanguinis, eiusque solutione, atque a fracto viscerum robore. Sunt denique eiusdem generis stomachi, intestinorumque debilitas et laxitas, atque inde profecta retardatae, aut laesae coctionis incommoda, aliique multiplices affectus; tumores, et ulcera scrophulosa cum cachexia coniuncta; arthritidis, et podagrae illae species, quae roborantia potissimum postulant, aut ferunt; retardata, aut difficilis urinarum expulsio ob vesicae, fibrarumque vim contractilem fractam, earumque paralysim; cachexiae, atque hydropisis species, quae ob resorbentium vasculorum robur insigniter enervatum cum diureticis Robo-

rantia requirunt, atque alia demum corporis mala, quae ex perspectis Corticis Peruviani facultatibus erui facile possunt, atque a Clinicis speciatim indicantur.

831. Superesset modo, ut ad Corticis Peruviani historiam explendam dicerem de eius usibus in aliis internis, atque externis corporis morbis, quibus ideo magnopere opitulatur, quia ad tutiora ac validiora antiseptica medicamenta pertinet, nisi consultum magis esset alio opportuniori loco de eodem veluti antiseptico disserere. Hinc, hisce modo missis, hic tantum eiusdem Corticis Praeparata, et Composita, quae potiora, usitatioraque nobis sunt, commemorabo. Porro eiusdem Corticis Extractum spirituosum, quod a scriptulo uno ad duo praescribi solet, non iners quidem remedium est, sed Cortici in pulverem resoluto, saltem in febribus, nullatenus praestat. Item Extractum aquosum sive vulgari ratione, sive BAUMAEI methodo paratum, admodum debile, aut parum efficax medicamentum est. Quod vero Extractum Garayanum dicitur, seu Sal Corticis, cui a scriptulo dimidio ad unam, alteramve drachmam, aut etiam ultra propinato plerique magnam potentiam tribuunt, cum BERGIO vocare soleo sumptuosam praeparationem praetio non respondentem, quam minoris adhuc facio post ea, quae ex FOURCROYO superius adducta sunt. Huc quoque pertinent Tinctura simplex, Tinctura Volatilis, et

Resina, quae exiguam sane Corticis vim retinent, ac denique Syrupus Corticis, qui ab uncia una ad duas, tresve dari solet, aut remediis aliis admisceri, quamquam pulveris, aut diluti ex Cortice facultates nullo modo attingat. Caetera vero Corticis Peruviani Praeparata, ac Composita ad eiusdem obvelandum saporem invecta ex Medicamentariis Codicibus, vel ex iis Auctoribus peti poterunt, qui de febrium curationibus speciatim disserunt, ne haec quoque singillatim rimando iam nimium de Cortice Peruviano sermonem ulterius adhuc protrahamur.

BASSIANI CARMINATI

HYGIEN. THERAP. GENER. MATER. MED., ET CHIRURGIC. AC PHARMACIAE IN TICIN. GYMNAS. REG. PROF. NOSOCOMII MED. PRIMAR. ET REG. ACADEM. SCIENTIAR. NEAPOLIT. SENENS. MANTUAN., ELECTOR. MAGUNTIN. PATR. MEDIOLAN. EC. SODALIS.

HYGIENE, TERAPEUTICE, ET MATERIA MEDICA

VOL. II. PARS II.

PAPIAE MDCCXCII.

Typis Balthassaris Comini.

Praesidibus rei litterariae permittentibus.

CAPUT VII.

De Medicamentis Stimulantibus.

833. A Roborantibus progredior ad Stimulantia, quo quidem nomine, etsi innumera pene medicamenta, cum pleraque stimulo aliquo non careant, complecti possint; ea tantum, et proprie intelligo cum Therapeutices Scriptoribus, quae ad sensum, vel motum, vel ad utrumque in humani corporis partibus excitandum accommodata censentur. Horum vero remediorum actionem, quam valde obscuram atque explicatu difficillimam esse fatentur, ita nihilominus concipiunt, qui effectus, non hypotheses in hac re nimis multas sequuntur, ut credant, praeter vim stimulandi ab ipsis sensibus ex voluntatis arbitrio, et mentis actione vehementer excussis proxime profectam, quaedam medicamina, sive primum agant in nervos, eorumque vires, sive propius in musculares fibras operentur, alterutra ratione stimulantem virtutem exerere. Quem profecto duplicem actionis modum eo fidentius admittunt, quia non ignorant, deleto etiam sensu, in muscularibus fibris vim aliam stimulis excutiendam superesse, tum quasdam res suppetere, quae eo tempore, quo cerebri nervorumque potentiam imminuunt, vim contra carnibus insitam ex-

cutiunt, augent, atque ad validiores vividioresque motus sollicitant. Observant praeterea odorum, sapidorumque corporum exemplo quaedam in ipsum commune sensorium, quaedam in alias partes et proxime, et potissimum agere, quaedam validius in unum, quam in alterum sensuum organum; quaedam eo vehementius operari, quo vividior eorum actio est, in partem cui admoventur; ac contra quaedam in hac nullam sat manifestam mutationem inferre, cum evidentem, et magnam in aliis dissitis corporis locis suscitent; quaedam item vim in una parte excutere, in alia sopire; imo nonnulla singularem tantum corporis particulam stimulare, dum pleraque suam virtutem, inductamque mutationem ad omne nervorum genus, atque ad universum corpus deducunt.

834. Stimulantium praeterea remediorum dicam cum Ill. GREGORYO alia magis, alia „ minus diffusilia dici possunt; aliorum quo„ que effectus magis durabiles, aliorum magis „ fugaces reperiuntur: omnibus autem hoc „ vitium est, quod effectus eorum excitans „ plerumque nimis fugax sit, et quod peius „ est, saepe in contrarium effectum desinat; „ ita ut gratissimam illam alacritatem, et „ mobilitatem, et vigorem corporis, et sua„ vissimam animi hilaritatem, quae certa re„ media stimulantia efficere solent, insignis „ languor, et debilitas, et hebetudo, et „ moestitia, brevi excipiant (*a*) „. Quin imo

---

(*a*) Op. cit. n. 1172.

ista generatim remedia cum consuetudinis vi maxime obtemperent, singulari corporis proprietati, aut naturae facile se accommodent, non solum saepius admota stimulandi, quam initio exerebant potentiam non amplius deinde ostendunt, verum etiam ob ipsum habitus vim, aut usus diuturnitatem, quae secus aliena, et nocua videri poterant, utilia, ac necessaria perpetuo fiunt.

835. Quatenus vero eo vividior, promptior, ac maior est actio Stimulantium, quo pars, quae perculsa ab iisdem est, sensilitate, irritabilitateque praestat, ac potiorem, arctioremque habet cum reliquis corporis partibus consensum, pronum est intelligere, (cum haec duo occurrant in stomacho), cur eiusmodi viscus a Stimulantibus afficiatur maxime, acceptamque mutationem propere, valideque ad cerebrum, ad nervorum universum genus, ad cutim, et totum corpus traducat. Neque acceptam mutationem per ipsum tantum cerebrum, cum quo potissimum consensus occurrit, ad istas partes traducit, ut quorundam est sententia, sed proxime interdum, ac sine ullo manifesto ipsius cerebri interventu ad easdem derivat, unde calor intendatur, sudor moveatur, vel stimulum cum intestinorum fibris communicet, unde eorum motus augeatur, humorum secretio maior fiat, atque alvus ipsa ad egerendum sollicitetur. Quamquam autem ista admittam, nolo interim cum quibusdam affirmare Stimulantium omnes effectus, sive externe imponantur, sive interne su-

mantur, vel ab affecto proxime cerebro, vel a nervis ventriculi primitus perculsis solummodo esse deducendos. Saepe enim, ut observat apposite GREGORYUS » egregie „ profuit Stimulantia remedia neque partibus „ male affectis admovere, neque ita adhibere „ ut totum corpus fere pariter afficerent, sed „ eadem prope originem nervorum partium „ laborantium admovere, veluti cervici, et „ inter scapulas cum brachia male se habent, „ aut lumbis et ossi sacro cum crura, vel „ vesica afficiuntur. Interdum quoque, ut „ clarus Auctor testatur, cum vitium qua- „ rundam partium a malo aliarum, et remota- „ rum quasi per consensum aliquem oritur, „ veluti brachiorum et crurum a colica Pi- „ ctonum, oportet remedia Stimulantia parti- „ bus primo affectis, vel quam proxime adhi- „ bere, quae tum omnem suum usum prae- „ stabunt, quamvis partibus ipsis iam labo- „ rantibus adhibita parum omnino valuis- „ sent (*a*).

836. Ne vero effectus caeteri Stimulantium, qui a cerebro non pendent, uni referantur stomacho, quemadmodum CULLENIUS arbitratus est, cum nullam iisdem actionem in vasa sanguinea concesserit, animadvertere oportet, Stimulantia non pauca, sive ore sumpta sint, sive in alvum, ut interdum commodissime fit, infusa, in primis viis haerentia

(*a*) Op. cit. n. 1175.

vim suam nullo modo exuere, eamque plane integram habentia in sanguinem abripi, quod vel ille Auctor non denegat. Si itaque veniunt in sanguinem, et quidem intactis adhuc viribus veniunt, cur in ipsa vasa, ac praesertim maiora, ipsumque cor proxime agere non poterunt? Quia, cum CULLENIO, aliisque dices, a tanta liquorum copia Stimulantia diluta plurimum suae virtutis amittunt, quia a viscosa humorum indole irretita, atque involuta, inertia pene fiunt, quia, dum vasorum intimiores partes attingunt, in partes operantur, quae admodum exiguo sensu donatae vix, ac ne vix quidem, affici possunt, quia demum nonnulla Stimulantia, quae per circuitum ad secretoria organa delata in istis valide agunt, totum vasorum genus perfluunt, quin ullum suae actionis indicium edant. Sed in promptu sunt, quae istis tutissime reponas. Nam non ita dilui, atque involvi, ut vim exuant, eorum efficacitas ostendit, quam deinde ad secretoria organa delata confestim exerunt; vasa autem, maximeque cordi propiora, ipsiusque cordis intimae partes nec sensu omni carent, nec destituuntur fibris irritabilibus, in quas saltem admodum se prodat stimulus remediorum; hunc revera se facile prodere natae in iisdem vasis ex improvido acrium, et stimulantium usu in sanguinem receptorum inflammationes, aliaque phaenomena luculenter significant; denique si nonnulla Stimulantia in vasa tantum alicui secretioni dicata vim patefaciunt, non

in caetera, id erit derivandum ex eo, quod in istis nimium divisa reperiuntur, nisi etiam dicendum sit effectus, quos eadem remedia in excretionibus afferunt, interdum non minus ab ipsis pendere organis secretoriis speciatim perculsis, quam a generali mutatione, quam primitus in universo vasorum genere praestiterunt.

837. Hinc facile intelligimus quomodo late pateat Stimulantium utilitas, ac quomodo pro vario cui admoventur loco, aut plus minus valide agunt, varios admodum effectus afferant, praeter illos, quos generatim edunt. Eiusmodi autem praecipui habentur auctus sensus in ea parte, cui applicantur Stimulantia, tum deinde in iis, quae innexae, propioresque sunt, aut maxime cum illa consentiunt; mobilitas maior facta; insitae virtutis in musculis, et motuum inde pendentium manifestum incrementum; resorbentium vasorum vis aucta; sanguinis motus incitatus; humorum affluxus ad partem, quae stimulum sentit, uberior factus, qui validus ubi sit, diuque perduret, calorem, ruborem, tumorem, dolorem, verbo inflammationem moveat; avocatio humorum a reliquis partibus; auctus, aut mutatus secretionis, atque excretionis modus in eo organo, in quod proxime stimulus se adigit, ex qua mutatione in caeteris secretionibus, excretionibusque alius ordo nascitur; conditio pariter non una ratione mutata quarundam partium, ac totius corporis; ac demum cerebri nervo-

rumque vis ita excussa, ut animales functiones maiori celeritate, vigore, atque oblectamento absolvantur.

838. Ex quibus sane effectibus quisque intelliget cur Stimulantia speciatim conveniant, atque egregie prosint in morbis omnibus, in quibus sensus languet, torpet irritabilitas, atque utriusque facultatis vires, et motus vel segnescunt, vel deficiunt, ac speciatim in soporosis affectibus, in anaesthesia aut totius corporis, aut alicuius partis, et in paralysi, vel totius lateris, vel alicuius particulae; in Amaurosi, atque affectibus morbidis a secretionum, atque excretionum tarditate, et imminutione ex defectu stimuli; in effreni impetu humorum in aliquod viscus aliorsum avocando; in virium generali debilitate, vel alicuius visceris, unde cordis arteriarumque motus langueant, et stomachi actio fracta sit; in obstructionibus glandularum, et viscerum; in vitiis humorum, si a spissitudine, et lentore ob motus inertiam fiant; in spasmis, quatenus roborando, et nervearum, carnearumque fibrarum statum immutando prosunt; ac denique in iis aegritudinibus, in quibus, languentibus animalibus actionibus, motibusque, marcet animus. Quam ob rem cum tantis, et tam variis usibus Stimulantia apte adhibita prospiciant nunc Analeptica, nunc Cardiaca, nunc Stomachica, nunc Antiparalytica, nunc etiam Roborantia, nunc Antispasmodica vocata fuerunt, et adhuc a plerisque pro re nata vocantur.

839. Quamquam autem, ut iam dixi, (§. 830.) innumera pene remedia suppetant stimulando paria; hic tamen ea dumtaxat proponam, quae hoc fine magis virtute, et usu probantur, et quae propius ad Materiam Medicam pertinent. Qua proinde de caussa quae iam alibi dicens de Aeris usu in secunda, et adversa valetudine (§. 46. et seq.) protuli generatim de vi caloris, et frigoris (duo sane quae, certum ubi habeant gradum, ad humanum corporis partes stimulandas maxime valent) hic non repetam; neque repetam, quae de variis ad stimulandum idoneis corporis exercitationibus iam tradidi (§. 420. et seq.); neque iterum dicam, quae de animi affectibus excitantibus alio loco posui (§. 501. et seq.); neque multis exsequar, quae medicam attinent administrationem Electrici Ignis, cui, ut notum est, recte adhibito iuxta Clinicorum praecepta in non paucis morborum generibus magna, ac summopere interdum proficua ad stimulandum virtus inest. De hoc quippe praesidii genere, quod prudenter usurpatum, sive per scintillas, sive per ictus admoveatur corpori, ad excutiendum, atque ad propria loca derivandum nervis haerens principium, atque ad irritabilitatem muscularium fibrarum excitandam potenter valet, et diu continuatum non raro paralysis, amaurosis, torporis, imminuti alicubi sensus, retenti menstrui sanguinis, ischiadis, et rheumaticorum affectuum, aliorumque morborum egregium remedium attulit, de hoc, inquam

praesidii genere Clinicos praestabit consulere, ac speciatim, quae sapienter nuperrime protulit Ill. GALVANIUS (*a*) ac plenissima doctrina paucis ab hinc annis duo Viri pariter Illustr. TRATSCGWIKIUS, et KRAYENHOFFIUS tradiderunt (*b*).

840. Hisce igitur missis quae meae partis potissimum sunt breviter exsequar orsus ab iis medicamentis, quae stimulandi caussa e Verticillatis Stirpibus ducuntur, quae ab aromatico volatili oleo praecipuam mutuari facultatem iudicantur. Primum quod inter eas considerandum occurrit genus *Teucrium* est. Nam praeter illas species, quas superiori capite recensui, *scordium*, *chamedrym*, et *chamaepitym*, alias largitur huc referendas nempe *creticum*, seu Polium creticum, cuius herba fragrans, aromatica, amara, olim aperiens, roborans, et cephalica iudicata, atque ad Theriacam recepta, usu non venit, *polium* seu Polium montanum, et *montanum* seu Polium lavendulae folio, utrumque qualitatum ratione Polio cretico affine, et succedaneum iudicatum, et hodie tamen obsoletum, ac denique *marum* seu Marum verum, vel Syriacum, cuius folia, quae odore aromatico singulari, quodammodo camphorae, nares vellicante donata, sternutationem moventia ubi

---

(*a*) Comm. cit.

(*b*) Applicat. de l' Electricité a la Phys., et a la Medicine.

affricentur, atque aromaticum instar bituminis intense amarum saporem linguae imprimentia multi olim fieri solebant, a scriptulo uno ad drachmam unam, vel a duabus drachmis ad mediam unciam infusa, utpote hystericis, aegre ex spasmo spirantibus, capitis dolore ac virium languore ex nervosa affectione detentis, et cachecticis, ac chloroticis utilissima hodie negliguntur, quia et exiguum plerumque, et nimis fugax esse perpetuo solet commodum, quod afferunt. Nec frequentioris usus sunt apud Medicos *Thymi* variae species, quae condimentum aromaticum cibis crebro praestant. Herba enim vulgaris proprio odore fragrans, atque aromatica, et leniter acris, cui ob copiam maiorem, quam inter destillandum praebet, aromatici, volatilis, flavicantis olei, odori, atque admodum acris, atque ob materiem, quam tunc demittit albidam halitu, aliisque notis camphorae simillimam, potior virtus tribuitur, usu non venit, nec eius oleum, quod ad unum, vel alterum granum cum saccharo in stomachi debilitate, in colica ex aere rarescente, atque in mensium retentione olim adhibitum, utpote nimis acre, modo usurpatur. Nec caeteris Thymi speciebus utimur; cuiusmodi sunt *serpyllum* seu Serpyllum. cui debilior Thymo vis inest, *acinos*, *mastichine*, *alpinus*, atque aliae, quarum vires non satis innotuerunt.

841. Accedit deinde *Melissa*, cuius quatuor Species in Italiae Officinas invectae sunt, scilicet *officinalis* seu Melissa, *calamin-*

tha, seu Calamintha vulgaris, *nepeta* seu Nepeta, et *grandiflora* seu Calamintha montana. Prima, quae in exterarum Gentium Officinis Melissa citrina audit, ob fragrantem odorem in citrum incidentem gustantibus calidiuscula, et levissime acris ob oleum, quod vehit, et destillata erogat, fragrantissimum stimulando non impar est, valuitque revera non raro a summis Clinicis adhibita in pluribus nervorum affectibus tum infusa, recens a pugillo uno ad duos, atque exsiccata a medio manipulo ad unum, tum in extracto a scriptulo ad drachmam. Raro tamen nunc adhibetur, nec eius Aqua stillatitia simplex viribus herbae dives, atque efficacissima ad aliquot uncias a BOERHAAVIO iudicata, valde nunc usitata nobis est, qui praeterea Aquam Melissae compositam, additis aromatibus, Conservam florum, ac Syrupum nunquam ad medendum recipimus. Nec quidem recipimus Calamintham vulgarem, quae fragrans, arōmatica, leviter amara, et calida Menthae potius, quam Melissae vires referens in stomachi, et pectoris affectibus olim toties laudabatur, quoties stimulando expediret debiles fibras confirmare, ac crassos, lentosque humores discutere. Nec item utimur vel Nepeta, quae Melissae succedanea habita est, vel Calamintha montana, quae ei praestare a quibusdam censetur.

842. Vix quoque nobis non inusitata sunt folia, aut summitates *Hyssopi officinalis*,

seu Hyssopi, quamquam sapor amarus, et calidus, odor fragrans, et oleum valde acre, quod destillatione elicitur, verosimile reddant stimulando, et discutiendo infusum ex herba stomacho robur addere, et catarrhalibus pectoris morbis auxilium afferre posse. Mihi enim, non secus ac CULLENIO accidit, nunquam licuit hyssopo vel pectoris morbis radicitus mederi, vel eadem herba instar fotus imposita effusos, haerentesque in contusis, ac suggillatis partibus humores discutere. Neque experientia doctus pluris ego facio ad discutiendum simili modo impositos flores *Lavendulae spicae* seu Lavendulae, quos tamen amaricantes, calidos, gratum odorem valde fragrantem spirantes, oleo, de Spica nuncupato, odoris gratissimi divites usurpari apud nos iterum vellem, cum in morbis nervorum, in quibus expedit, vires protinus excutere, stimulare, et roborare, unde nervis vigor redeat, sudor interdum moveatur, et humorum congestio discutiatur, non semel viderim, et quidem tutius aliis remediis, quae id nequeunt efficere, quin sanguinis circuitum nimium intendant. Oleum vero destillatum debilibus, torpidis, ac paralyticis membris rarius illinitur, quam alias fieri consueverat.

843. Quatuor vero species Officinis *Origanum* largitur, cuiusmodi sunt *dictamnus* seu Dictamnus creticus, cuius folia aromatica et fragrantia vix ad Theriacam, et Electuarium Dioscoridis recipiuntur, *creticum* seu

Origanum creticum, cuius spicae grate aromaticae ad exoletas stirpes pertinent, *vulgare* seu Origanum vulgare, cuius fragrantia, aromatica, atque acriuscula folia infusa, alibi tamquam Theae succedanea commendata, nunquam hic loci usurpantur, ac demum *maiorana* seu Maiorana, quae valide fragrans, aromatica, leviter amara, atque acriuscula, et oleo suaviter fragrante dives Lavendulae vires aemulatur, etiamsi solummodo probari soleat in pulverem trita, ac naribus attracta, ut passim alibi fieri solet, ad sternutamenta movenda vel per se, vel aliis pulveribus addita. Nec usitata, nisi ad condimenta ciborum *Satureia hortensis* est cum Thymo adhuc debilior appareat. Maxime vero usu probatur duplex *Menthae* species, *crispa* seu Mentha vulgaris, et *piperita* seu Mentha piperis sapore, caeteris nunc neglectis, nempe *sylvestri* utpote quae longe debilior censetur, et *pulegio* seu Pulegio, quia licet aromatica, fragrans, ac leviter acris herba non careat virtute, supervacanea iudicatur, tum reiectis *viridi*, *gentili*, et *sativa*, aliisque.

844. Porro *crispa* valide fragrans, gustui calida, aromatica cum aliqua amaritie ingrata, suas proprietates exsiccatione non exuens, atque oleum copiosum destillata erogans, non solum communes Verticillatis vires habet, verum etiam rite infusa a medio manipulo ad unum, ubi recens, vel a pugillo uno ad manipulum dimidium, ubi exsiccata sit, stomachi vires erigit, robur ei restituit, et

spasmos solvit, sicque etiam ventris dolores, inflationesque discutit, et vomitum a spasmo illatum sedat, uteri fluxum a spastica caussa retentum revocat, aliisque affectibus a nervorum affectione potenter auxiliatur. Quare eius Aqua stillatitia ad semunciam, vel unciam hausta vel per se, vel ad alia excipienda remedia paullo maiori dosi adhibita, efficax est, etsi infusioni non praestet, imo herba externe applicata, vel cataplasmatis instar imposita, aut pro clysmate sumpta egregiam pariter opem stimulando, spasmos solvendo, et resolvendo in adductis casibus praestat. Hinc mihi non inverisimile videtur quod docuit LINNAEUS, Mentham impositam lac in mammis discutere, atque humorum ad eas affluxum aliorsum avocare: quamquam id non satis evictum videatur. Quod vero speciem alteram Menthae respicit, nempe *piperitam* cum copia olei, et fragrantia crispae evidenter praestet, cum gustui acrior sit, initio linguam et fauces valde calfaciens, dein ad sensum grate refrigerans, ac cum veram camphoram ignis ope evolvat, ut GAUBIUS detexit (*a*), facile assequor, cur virtute etiam crispae antecellat, efficacioremque aquam distillationi commissa eroget, oleumque largiatur, quod cum saccharo unitum, vel potius rectificatum (quemadmodum Verticillatarum reliqua olea rectificanda esse Che-

---

(*a*) Advers. var. arg. pag. 100. et seq.

mici recte monent) et alcohole solutum egregii usus sit in spasmis, inflationibusque discutiendis.

845. Validioribus istis propositis vix indicandas duco quasdam alias Verticillatas, ac speciatim *Ocimum* tum *basilicum*, tum *minimum*, utrumque alias in nervorum affectibus commendatum, et nunc solum inter condimenta receptum; *Nepetam catariam* seu Mentham catariam, herbam antispasmodicam, atque emmenagogam quibusdam habitam, nobis plane insuetam; *Betonicam officinalem*, seu Betonicam, ab ea, quam hoc nomine designarunt Veteres, diversam, non multae sane virtutis stirpem, quia eius folia Verticillatis reliquis longe minus aromatica, et parum amara in pulverem trita dum sternutationem movent, ac nares emungunt, nil proprii praestant. Neque ab istis *Marubium vulgare*, seu Marrubium album seiungam; quod sane mirum videbitur reputanti, quae de eiusdem foliorum viribus ad incidendum, atque ad resolvendum aptissimis, praesertim in pulmonum congestionibus, asthmate humido, difficili expectoratione, phthisi ulcerosa, empyemate, obstructionibus abdominalium viscerum, iecinoris scirrho, in ictero, atque in hydropisi a Veteribus, Recentioribusque fidenter prolata sunt. Verum qui animadvertat amaram, et leviter acrem stirpem in illis morbis adhibitam aliis adiunctam tutioribus medicamentis fuisse, ubi profuit, imo plerumque spem frustrasse, tum a me largiter,

diuque datam nullum ex illis morbis sanasse, et nullam pariter in iisdem opem CULLENIO praestitisse, quod ita sentiam desinet mirari.

846. Potius Medici utantur, et quidem fidentius, *Salvia officinali* seu Salvia, neglectis caeteris debilioribus eius speciebus, alias ut succedaneis in Officinas invectis, nempe *sclarea*, *verticillata*, seu Hormino sylvestri, et *hormino* seu Hormino sativo, dummodo tamen illa omnia a Salviae foliis sibi in morbis non polliceatur, quae olim quidam expectanda esse docuerunt. Ab istis enim foliis valide, atque insuaviter odoris, aromaticis, et cum leni adstrictione amaris paralysis, arthritidis, convulsionum, contagis, atque ulcerum, morborumque malignorum sperare remedium vanum est; etsi adversus spasmos, ac putredinem aliquid Salvia possit. Censere cum Aliis eadem folia, quae a pugillo ad medium manipulum infundi, atque in pulvere a scriptulo ad drachmam praescribi solent, Theae chinensi succedanea esse veritati adversatur. Item quibusdam concedere diarrhaeas, et leucorrhaeas sistere, ac febres intermittentes, quas ego sanare nunquam potui, certo submovere, est concedere quod experientiae repugnat. Ad lactis vero secretionem prohibendam, atque ad infantum aphtas praecavendas et sanandas, quanti foliorum decoctus fieri debeat, non satis mihi evictum videtur. Credas igitur in virium languore, in stomachi imbecillitate, aliisque morbis a

debilitate, laxitate, defectu stimuli, et congestione humorum Salviam stimulando, roborando, ac leniter adstringendo proficuam, atque externe etiam instar fomenti utilem, tum speciatim cum SWITENIO, aliisque credas eam nocturnos revera cohibere sudores, qui a fracto robore, et ab anteacto morbo nati vires magis prosternunt, et tabem minitantur. Etsi enim eiusmodi effectum vino potius, quam Salviae malit referre CULLENIUS, aut saltem non satis evictum censeat; demonstratum tamen habemus experientia Ill. QUARINII, qui eandem utilitatem ex Salvia aqua infusa obtinuit. Cuius quidem observationibus proprias etiam una consentientes addere possem si nefas non esset discipulo Summo Praeceptori iam suo, Artis usu, atque auctoritate insigni aliquid addere.

847. Transeo nunc ad eas Stirpes commemorandas, quae ex Verticillatis supersunt, quaeque efficacitate non parum inter se differunt. Etenim *Rosmarinus officinalis*, seu Rosmarinus hortensis odoratissimo oleo, aetate camphoram redolente, abundans in floribus, qui Anthos dicuntur, seu potius in calycibus, atque in foliis, quae usu magis probantur, cum insigni fragrantia saporem habens camphorae, calidum, et acrem cerebrum et nervos afficit, stimulat, roborat, discutit, et putredinem cohibet, ac proinde in nervorum affectibus, atque in iis generatim omnibus prodest, si interne, externeque usurpetur, quibus dixi Salviam opitulari. Quare minus

recte negligitur hic loci, ubi, si externum excipimus usum, solummodo usurpatur Aqua Reginae Hungariae, seu Spiritus Rosmarini, qui languidos, animo linquentes, et syncope correptos, nonmodo olfactus, aut illinitus odore solatur, atque externe discutit, et roborat, verum etiam in convulsivis affectibus ad drachmam unam, vel alteram cum aquae cyatho haustus stimulat, viresque reficit. Herba vero, quam suppeditat *Glechoma hederacea* seu Hedera terrestris succulenta, parum aromatica cum levissima acrimonia, et amaritie in succo ab uncia ad tres, atque in infusu recens a manipulo uno ad duos vel tres, aut exsiccata a manipulo dimidio ad sesquialterum, magnum utique nomen in haemophthisi, in phthisi, in empyemate, vomica, ulcere renum, et vesicae, calculo, atque inveterata cephalalgia consequuta est. Num iure? Mihi sane non videtur. Quae enim curationes eadem absolutae narrantur, non solo hederae usu peractae sunt, at melle, saccharo, lacte, eius sero, aliisque quam plurimis egregiae virtutis medicamentis. Si profecto solam adhibuissent tum sane cognovissent quod ego diutina experientia didici, in allatis casibus abunde diuque datam vix sputum interdum promovere, et urinas paullum augere, nec quidquam aliud boni efficere; quemadmodum eadem nihil efficit recens contusa, atque applicita in ulceribus, fistulis, scrophulis, et haerniis, in quibus fidentissime olim commendabatur.

848. Nec maiorem opem Medentibus afferunt reliquae Verticillatae. Nam quod olim a Medicis quibusdam tradebatur de egregia vi florum, foliorumque *Lamii albi* seu Archangelicae, aut Urticae albae in haemorrhagiis internis, itemque in scrophulis, id plane a Clinicis sapientioribus observationum subsidio falsum habetur. Quod pariter de *Leonuro cardiaca* seu Cardiaca, amara, et leviter foetida herba, quae obsoletis Stirpibus iam erat adscripta, hic loci superioribus annis traditum est, eius scilicet folia in pulverem resoluta et Corticis Peruviani dosi, aut paullo maiori adhibita, vel ex vino infusa, vel decocta febres omnes, quae intermitterent, ac speciatim ab obstructis visceribus, aut a cachexia natas facile et certo sanare, id ego tum propriis periculis, tum aliis quam plurimis a Medicis me auctore alibi susceptis veritati non respondere iamdiu demonstravi. Quod praeterea de *Prunellae vulgaris* seu Prunellae leviter amarae, atque austerae in haemorrhagiis internis, alvi profluviis, faucium inflammationibus, vulneribus, ulceribusque facultate alias tradebatur, quo iure traderetur, cum apud nos in usum haec herba non veniat, non facile dixerim. Quod demum de *Scutellaria galericulata* seu Tertianaria, herba valde amara odore alii vel nuper quidam apud nos protulerunt, eam nempe ad manipulum ex aqua decoctam, vel in pulvere instar Corticis Peruviani usurpatam contra febres intermittentes plurimum valere,

ego non potui post multa exacta pericula confirmare.

849. Hactenus de Verticillatis, quibus ideo addam ex Oleraceis Camphoram quatenus inter eas Stirpes, quae viribus excellunt non minus ab oleo aromatico volatili, quod habent, quam a Camphora, quam pariter continent, vim suam potiorem agnoscunt. Etenim Camphoram multis praeditam facultatibus ad Stimulantia iure optimo pertinere contendo, nec quidquam CULLENII in hac re nimium vanitate hypothesium impulsi, ac perperam omnium fere Clinicorum auctoritatem parvi habentis contrariis rationibus commoveor, ob quas sedantem dumtaxat virtutem huic pharmaco tribuens nullam stimulandi eidem concessit. Porro concrementum illud ex Iapone advectum e *Lauro Camphora* sumptum, cuius originem, et historiam plenissima doctrina MURRAYUS prosequutus est (*a*), in Officinis prostans Camphorae nomine, concrementum, inquam, est album, laeve, solidum, paullo pingue, fragile, tenax, pellucidum, admodum fragrans, halitumque quasi Rorismarini late effundens, gustui aromaticum, atque amaricans, initio fervoris validi, dein frigoris sensum in ore excitans, inflammabile, in auras avolans, aquae innatans, eique saporem odoremque tribuens, quin penitus solvatur, quemadmodum alcohole ad du

(*a*) Appart. Vol. IV. pag. 445. et seq.

duplum ponderis adhibito facile, ac plane solvitur, non secus ac in oleis fixis, et stillatitiis, aliisve liquoribus, ut Chemici docent, solutionem accipit, ac mucilagine, et syrupis subigitur.

850. Huic igitur materiae singularem prope naturam habenti nec satis evolutam, etiamsi quibusdam olei volatilis, aetheris, et resinae proprietatibus non careat, perperam, ut dicebam, stimulandi vim denegat CULLENIUS. Postquam enim stimulantes iudicavit Verticillatas, quae camphoram vehunt, cur non hanc quoque stimulantem habuit, quae rursum oleorum volatilium proprietates habet, nec amaro principio destituitur? Si praeterea cognovit acrimoniam, quam ipsa in ore relinquit, fervoris sensum, quem excitat, dolorem, irritationemque, quam stomacho recepta in superiori eiusdem orificio protinus infert, calefacientem et stimulantem vim ostendere, cur postea eam nulli habendam esse contendit? Si ulceribus admotam calefacere, irritare, et inflammationem evidenter movere cognovit, cur ab ea eiusmodi effectus excitari interne recepta non existimat, imo plane contrarios edere affirmat? Cum praeterea in periculis cum vario Animalium genere ad actionem eruendam Camphorae tum primum a MENGHINIO (*a*),

---

(*a*) Comm. Acad. Bon. T. III. et IV.

tum dein fusius a me ipso (*a*), tum demum ab Ill. MONROO (*b*) institutis manifesta, ac pene innumera phaenomena viderit, quae summam inesse Camphorae stimuli potentiam arguunt, qua ad furorem usque animalia convellit, qua cordis arteriarumque motum intendit, qua, ubi confestim deleto sensu nervorum non illico lethum afferat, partes inflammat, qua insitam carnibus vim insigniter auget, qua post ipsum etiam animantis interitum irritabilitatem adhuc vividam in animalium quorundam corde relinquit, cur stimuli praesentiam studens veritati potuit inficiari? Cur denique, quae in homine ipso ex Camphora assumpta observata a plerisque Medicorum, de viribus scilicet auctis, de concitato pulsuum motu, de inflammationis praesentis incremento, atque ex eius abusu de accersitis inflammationibus, deliriis, aliisque iniuriosam, validamque vim praemonstrantibus signis ita CULLENIUS neglexit, ut ab iisdem nullo modo propriam sententiam infirmari existimaverit?

851. Quia, inquit, Camphora stomacho excepta actionem suam instar vaporis, ut ego demonstravi, diffundens in nervos solummodo stomachi agere videtur, atque per eos ad universum eorum genus propagare

---

(*a*) De Animal. ex Meph. inter. Lib. III. Cap. III. de Camph. pag. 191. et seq.

(*b*) Essays and Obs. phys. and. liber. Vol. III.

vim suam sedantem, qua largiter data digestionem, quod ipse quoque certius in Animalibus evici, impedit. Quia hoc modo in sensorium Camphoram operari ostendit mors Animalium stupore et somno praegressa, tum ostendit propior eiusdem caussa a nerveae facultatis mobilitate deleta. Quia delirium, furor, et convulsivi motus, qui stimulantem vim portenderent a lucta, et renisu virium vitalium, et sedantis potentiae inter se verius pendent. Quia a pharmaco ad viginti grana ab HOFFMANNO, atque a se ipso exhibito, tum ab eodem usque ad semunciam a COLLINIO dato nec corporis calor increvit, nec celerior pulsus evasit. Quia GRIFFINII, atque ALEXANDRI experimenta probant idem remedium magna copia ingestum calorem ad sensum non augere, et pulsuum frequentiam imminuere. Quia ipse pleniori manu hocce medicamento feminae porrecto pulsum, quo ad robur, insigniter infirmatum, et pulsationes rariores factas observavit. Quia observationes ab Ill. QUARINIO, aliisque in contrarium adductas ipse confirmare non potuit, quia phaenomena, quae in Animalibus accidunt multas ob caussas differunt, quia inflammationes in iisdem repertae a Camphora proxime deduci non possunt, quae a renisu iam proposito originem ducunt. Quia denique, quae in nudis ulceribus, vel sensilioribus partibus internis excitat Camphora ab iis dissentiunt, quae aliis admota suscitat.

852. Sed qui ita cum CULLENIO sentiunt animadvertant quaeso horum quaedam ostendere Camphoram nervorum sensum proxime afficere, ac sedantem exerere virtutem, quin tamen eius stimulandi vim excludant. Maxime vero quod, praeter illa, quae iam adduxi (§. 850.) inflammatio in Animalibus, quae non confestim Camphora sustulit, visa generatim fuerit in iis partibus, quas eadem attigerat, nec ab imminuta nervorum facultate vere queat derivari; quod quae in iisdem Animalibus symptomata ostendunt ingens virium incrementum a renisu nervae facultatis laesae, et valde imminutae, ac sedantis potentiae recte explicari non possint; quod ictus arteriarum a Camphora non semper decidere viderint GRIFFINIUS atque ALEXANDER, qui pulsus citatioris facti (*a*), ac sopore praesente ad centum ictus accelerati (*b*) etiam meminerunt; quod acceleratio pulsus a plerisque visa, congestio insignis ad caput, sudor ex ea motus, aliaque calidum stimulum ostendant; quod omnium Clinicorum consensu viribus nondum fractis, vigentibusque cum pulsu pleno, ac valido evidenter Camphora noceat; quod eadem maxime prosit quando in morbis irritabilitas imminuta est, aut in suis motibus segnescit et languet; quod Ill. QUARINII observata in dubium revocari

(*a*) Diss. de Virib. Camph.
(*b*) Op. cit. p. 141.

non possint, eademque cum plurium Clinicorum experimentis conveniant, qui etiam torpentibus viribus, et languidis cordis arteriarumque motibus tutius, rectius, atque utilius eam dari cum BURSERIO tradiderunt; quod nimis saepe viderim, ac mecum viderint, qui me in Valetudinario Aegris quam plurimis medicinam facientem sequebantur, tum superioribus annis, tum hoc ipso, rheumatica morborum constitutione existente, in istis, aliisve morbis acutis, febrilibus, gastricis, atque etiam inflammatoriis manifeste indicatam Camphoram a viginti ad triginta grana partitis vicibus intra diem insumptam et evidenter, et nimium interdum, quam oportebat, calorem auxisse, et pulsum insequente sudore, incitasse; quod sanis, et plethoricis stimulando nocuam vel ipse non diffiteatur COLLINIUS, cui tanti tribuit CULLENIUS, imo moneat ipsis nonnisi vasis sanguine depletis, et congrua nitri quantitate remixtam dandam esse (*a*); quod demum observaverim in ulceribus sordidis putridisque impositam camphoram non irritare solum, et inflammare, (in melius mutata morbi facie, et certa inducta spe sanationis) loca, quibus admovetur, sed irritationem, et irritabilitatis incrementum attulisse in universo systemate, cum eam olim Artis usu, et candore animi insignis Praeceptor BURSERIUS ad antiqua, et dira

(*a*) Camph. vires pag. 148. et seq.

ulcera inferiorum artuum emendanda, et cicatrice implenda cum externo eius usu internum quoque sat copiosum utilissime una institueret, eademque mira prorsus celeritate persanaret.

853. Quae quidem omnia non eo sane animo profero, ut Camphoram sedare denegem, sed, ut vim, quae in eadem pariter praesto est, stimulandi, ac certis sub conditionibus calefaciendi, et incitandi defendam a contrariis argumentis magni Viri, sicuti semper mihi CULLENIUS erit, cuius auctoritas potuisset minus exercitatis, aut Tyronibus dubitationem non levem movere circa vires, et rectam administrationem pharmaci, quod iure usitatissimum, et probatissimum est. Secus enim vel ipse sedantem vim in Camphora admitto, eamque revera nervorum sensum consopientem adeo, ut, eodem ob nimiam ingestam dosim vel protinus, vel paullatim deleto, nunc brevi, nunc tarde Animalia intereant, alibi experientia multiplici doctus ultro admisi (*a*), sed eam etiam cum stimulandi facultate, quae in fibrarum muscularium genere se prodat, coniunctam in Camphora reperiri contendo. Etenim nihil video, quod rationi repugnet in eiusmodi sententia, quae uni pharmaco duplicem potentiam concedit, quarum una in nerveis, alia in carneis fibris se exerat, atque ita qui-

(*a*) Op. cit. pag. 208. et seq.

dem se exerat, ut dum illae, quae irritabiles non sunt, atque a stimulis non paucis infirmantur, mobilitatis, et sensus detrimentum accipiunt, istae, quas natura contractiles effecit, stimulo obtemperantes, et necessario assuetas validius contractae suos motus vividius, et celerius obeant. Si enim idem CULLENIUS non modo absurdum non censuit, sed plane consentaneum veritati in quibusdam pharmacis, tum speciatim in Vino, in Opio, ac maxime in Alcohole sedantem, et stimulantem potentiam coniunctim occurrere, atque alterutram distincte agentem ex effectibus in homine evidenter prospexit, cur ego non potero utramque vim coniunctam in Camphora admittere, quemadmodum iure sibi vindicant quae in sanis et aegris Hominibus, quaeque in vario Animalium genere ex ea eveniunt?

854. Nihil profecto vetat sive a duplici, sive ab uno tantum actionis principio utramque vim derivemus. Sive enim quisquam velit ab eodem stimulo explicare, quomodo eius actio nervis applicita horum sensum sedet, ac leniat, contra vero irritabilitatem muscularibus insitam fibris incitet, et augeat, sive existimet Camphorae medicata quaedam principia nervos, quaedam musculos afficere, mihi perinde est. Nec repugnarem ab eo, qui existimaret Camphoram ita quorundam medicaminum virus habentium agendi rationem aemulari, ut certa dosi, et certis sub conditionibus, certoque modo

adhibita convellat et stimulet, secus sedet, et consopiat. Quemadmodum vero Opium si parcius, quam oporteat sedandi, et compescendi fine detur, stimulat, exagitat, febrim magis accendit, et dolorem potius auget, quam copiosius datum protinus lenit et tollit; nonne pari modo Camphora forte operabitur? Profecto in hanc sententiam facile veniet, qui animadvertat eam quoties protinus una vice, aut intra exiguum temporis spatium largissime data est, eiusdem nempe quatuor drachmis, aut sex, et ultra (non imitanda sane generatim methodo), intra diem insumptis, ut cum Phraeneticis actum est, toties solos fere sedantes, et quidem magnos, effectus edidisse. Tunc enim infirmato protinus sensu nervorum, quid mirum si confestim eius mobilitas insigniter infringatur, dolor cesset, et interdum praesto sint omnia, quae sensuum imminutionem arguunt, et vitae principium in suis motibus deficere significant? Cum vero nervorum imperio arteriarum et cordis motus, ac maxime musculorum nutum obsequentium voluntatis ita obtemperent, ut ab eo moderentur, aut incitentur, praesertim in perfectiori animante ac potissimum in Homine, cur mirum si tunc stimulantes hisce in partibus eiusdem Camphorae effectus exeri non possint, imo harum quoque vires una conspirantes segnescant, atque infirmitatis cerebro et nervis illatae participes evadant?

855. Nec quidquam mihi officiet si

quisquam credat cum MURRAYO (*a*) (cui sane nimis cito litteris et Mater. Med. incrementis abrepto de me, vel paullo ante obitum (*b*), nimis comiter iudicanti voluissem aliud quam lacrumas offerre) ex Camphora „ in brutis, hominibusque obvia phoenomena „ multis momentis congruere cum iis, quae „ Opium excitat: eadem fere utrobivis effe„ctus celeritas, quae impressionis in nervos „ documentum praebet; eadem sub parva „ quoque dosi potestas; eadem in sensu so„piendo, in vi irritabili autem excitanda „ efficacia. Quae tamen duplex vis contrario „ ordine se se conspiciendam dat in Cam„phora, quam in Opio; quippe in hoc lan„guor systematis nervosi excipit irritationem „ praegressam, in ista praecedit languor, „ subsequitur incrementum irritabilis muscu„larium fibrarum virtutis. Nec quidquam officit illi, quam posui, de actione Camphorae sententiae, quod vera, atque intimior caussa actionis perspecta non sit, aut referri debeat eiusdem electricae naturae, ob quam ad Electrica corpora non inferioris ordinis pertinere Ill. VOLTA, aliique demonstrarunt (*c*), quae singulari modo principium illud electricum afficiat ab Ill. GALVANIO in Animalium, Hominumque nervis nuperrime detectum; qua de re experimenta, quae insti-

---

(*a*) Op. cit. Vol. IV. (*b*) Vol. VI. pag. 86.
(*c*) Mur. Vol. IV. loc. cit.

stui, alibi referam. Hoc mihi concedatur satis est, quod nequit denegari, ex iis, quae hactenus protuli, facile intelligi Camphoram sedantes et stimulantes effectus ita edere, ut ad Stimulantia etiam medicamenta suo maxime iure pertineat; ex utroque agendi modo non obscure assequi, cur magno dissensu Medicorum quidam refrigerantem, alii calefacientem eandem Camphoram dixerint; tum demum quanta non minus sagacitate, quam veritate suam olim de eiusmodi pharmaci agendi ratione proferens opinionem Immortalis Praeceptor BURSERIUS, et quidem post innumera in Aegris capta pericula proferens, docuerit Camphoram fibrae muscularis irritabilitatem augere, nerveae vero sensilitatem compescere (*a*).

856. Fidenter itaque potero ad Stimulantia remedia Camphoram quoque revocare, atque eam quibusdam in casibus hoc fine proficuam credere, proindeque caussam intelligere, cur eadem cum caeteris aliis facultatibus coniunctam habens stimulandi vim in quibusdam morbis certius auxilium afferat. Cur siquidem in febrium continuarum vario genere, dum putredinem potenter avertit, aut eiusdem initia tollit, turbasque nervorum consopit, convulsionesque removet, utpote quae antiseptica, sedans, atque antispastica est, vi muscularibus fibris insita provide ex-

---

(*a*) Thes. de Camph., eiusque virib.

cussa earum solutionem adiuvet, et sudores opportune invitet. Cur eadem Camphora in exanthematicis morbis, ubi variolae, morbilli, purpurae, aliaque exanthemata confestim retrocesserint, ea ad cutim revocet, aut lente erumpentibus utilem ac saepe parem eruptioni procurandae stimulum largiatur. Cur in morbis aliis, etiam quibus caussam inflammatio praebuit, et parva dosi, et apto tempore et subinde, si expediat, cum nitro coniuncta innocuo stimulo motus incitet languentes naturae, unde lenti discutiantur humores, haerentes dimoveantur, ac critice per sudorem erumpant qui excretione indigent. Cur in rheumaticis affectibus, qui a subita refrigeratione corporis pendent, saepe auxilio sit. Cur rursus morbis generatim opituletur, in quibus imminuta speciatim irritabilitas, vel inertia eiusdem ad contractiones et motus animadvertitur, sive in universo corpore, sive in aliqua eius particula.

857. Neque minus perspicue ex constituta Camphorae agendi ratione assequi potero, quomodo eadem vel externe adhibita stimulo suo saepe utilissime discutiens remedium tribuat si vel per se, vel aliis admixta medicamentis imponatur aut sacculo, aut malagmate, aut cataplasmate excepta, ut in faucium, proximarumque partium congestionibus fit, caute tamen, ne odore suo, aliisve modis Aegrotantibus officiat. Quomodo praeterea in tumoribus, qui resolutioni resistunt, interdum in ipsis oedematosis, aut per se,

aut aliorum additamento resolutionem afferat, atque in ulceribus antiquis, sordidis, corruptisque vel inspersa, vel alio modo applicita, ubi stimulare, et leviter inflammare putredinem simul corrigendo expediat, summam utilitatem afferat, iisdemque non raro medeatur, praesertim si una interne rite usurpatur. Quomodo demum in eius usu conveniat generatim duorum, vel trium dosi granorum, vel paullo ultra quavis vice eam exhibere, et deinde eius dosim intra diem iustis intervallis caute repetere, neque audacter nimis ad plures drachmas die eam propinare; tum eadem, quae nunc instar boli, nunc fluida forma datur, rectius interdum exhibeatur cum nitrate potassae, aut saccharo, aut gummi, vel cum emulsione, aut mucilagine ex gummi arabico, vel aceto soluta, et syrupo mitigata. Hactenus de Camphora, de qua alibi iterum dicam.

858. Accedam modo ad Umbellatas expendendas Stirpes, non quidem omnes, at eas solum, quae stimulando potissimum inserviunt, aut saltem olim huic usui inservire consueverant. Etenim *Eryngii campestris* seu Eringii radix licet dentibus confecta aliquid aromaticae acrimoniae prodat, nunc neque aphrodysiaca, neque in morbis nervorum stimulando proficua censetur. Nunc quoque semina *Dauci carotae* seu Dauci sylvestris, tum *Tordilii officinalis* seu Seseli cretici, tum *Athamantae cretensis* seu Dauci cretici, tum *Athamantae oreoselini* seu Oreoselini aromatica

fragrantia ex oleo aromatico volatili, quod continent, alias inflationibus ex aere dissipandis, et urinis, calculisque expellendis utilia iudicata, exoleverunt. Prorsus etiam negligitur radix sive *Peucedani officinalis* seu Peucedani, quae fervida, atque insuaviter aromatica spastica affectione, obstructione, et cachexia laborantibus subvenire dicebatur, sive *Laserpitii latifolii* seu Gentianae albae, quae aromatica cum acri amaritie ad roborandum stomachum, et menstrua, urinasque pellendas accommodata, nec quidem sine caussa, iudicabatur, sive *Laserpitii Sileris* seu Sileris montani, quae seminibus odoratissimis magis adhuc fervida stimulando sane par, et ad salivam ciendam ab Alpicolis usitata, nunquam hic adhibetur.

859. Quamquam etiam satis certam habeant vim stimulantem quaedam aliae Umbellatae, nobis tamen inusitatae sunt. Siquidem *Ligusticum levisticum* seu Levisticum, in cuius herba, radice, et seminibus cum odore proprio insuaviter fragrante, et aromatico sapore stimulandi vis ad flatus discutiendos, atque ad sudorem pellendum non desideratur, nunquam praescribitur. Raro vero praescribitur *Angelicae arcangelicae* seu Angelicae sativae radix, quae herba, et seminibus magis fragrans, aromatica, amara, calidior, et acrior, ac proinde medicatior iudicata, in pulvere a medio scriptulo ad drachmam, atque a dimidia drachma ad duas in infusu plurimi alias fieri consuevit, in morbis

omnibus, in quibus stimulare expedit, nec immerito ob gratum, quo donatur, aroma, cui respiciens insigne olim Patriae nostrae decus COSTAEUS eam supparem Costo habuit. Vix autem non obsoleta est radix *Imperatoriae ostruthii* seu Imperatoriae, quae qualitatum, viriumque ratione ab Angelica non differre censetur, imo iuxta quorundam sententiam validius et certius agere creditur.

860. Ad eas vero Stirpes, quarum stimulans facultas dubia est, revoco *Sium ninsi*, seu Ninsi Radicem, quae ex China, et America Septentrionali allata leviter aromatica, et dulcis inter tot Sinensium et Iaponensium praeconia tanti eam facientium, ut ad stimulandum, et roborandum reliquis remediis anteferant, atque eius usum longaevitatem adducere credant, neque istis donata viribus, neque aliis certo praedita nobis censetur. Nec minus dubia, aut pluris facienda videntur nobis quae iidem Sinenses de altera radice tradunt cum Ninsi saepe confusa, et Ginseng nomine cognita, quam sane non ad Umbellatas, sed ad Hederaceas pertinere Stirpes, at vere desumi ex *Panace quinquefolio* in China et Septentrionali America compertum habemus. Quae enim ipsi tradunt de eiusmodi radice, cui Ninsi facultates concedunt, ac praeterea ad vires animi, et corporis protinus excitandas, ad vertiginem, vomitum, et convulsivos affectus removendos, atque ad frigidam venerem excutiendam eximium prorsus, et certum pharmacum habent, eadem sane su-

perstitiosam earum Gentium credulitatem, non radicis praetium ostendere censentur.

861. Rectius igitur Seminibus quarundam Umbellatarum, utpote calidis, aromaticis, fragrantibus, plus minusve amaris, et distillatione iisdem qualitatibus praeditum erogantibus oleum stimulandi potentiam, qua flatus resolvant, qua stomachum roborent, qua hystericas Feminas, atque hyppocondriacos Viros levent, et qua externe adhibita utiliter quoque discutiant, Europae Clinici referunt: Eiusmodi sunt semina, quae *Sison ammi* seu Ammi verum, *Ammi maius* seu Ammi vulgare, *Bubon macedonicum* seu Petroselinum macedonicum, *Cuminum ciminum* seu Cyminum, *Phelandrium aquaticum*, atque *Aethusa meum* seu Meum athamanticum, medicamentariis Officinis suppeditant: quae quidem vix indicanda duxi, quia video eadem apud nos nunquam praescribi. Ex aliis siquidem Umbellatis stimulandi caussa semina, easque radices desumimus, quibus ad medendum utimur. Desumimus quippe ex *Coriandro sativo* semina Coriandri, quae exsiccata suaveolentia, aromatica, amaricantia ad confirmandum stomachum, ad inflationes discutiendas, atque ad incitandum sudorem raro quidem, ut alias fieri consueverat, contusa, atque ad unam alteramve drachmam infusa nunc hauriuntur, sed tamen dupla dosi ad infusionem adhibita crebro, et utiliter ad ventris spasmos, inflationesque ex aere dissipandas in alvum immittuntur. Contra ex *Anetho graveolente* seu

Anetho nunquam fere ad eadem mala probata semina desumimus, et raro pariter ex *Anetho foeniculo* seu Foeniculo semina ad illos usus petimus, eadem potius adhibentes frequenter ad cibos condiendos, atque ad Aquam Foeniculi parandam, quae ad mixturas componendas in adductis casibus non male recipitur. Relinquimus vero aliis Europae Populis semina modice calida, et amara, ac grato aromate praedita *Cari carvi*, seu Carvi, quae nec cibis, nec pani addimus, nec ad spasticas ex flatibus molestias levandas, aliaque mala resolvenda usurpamus. Nec *Pimpinellae* tum *Saxifragae*, seu Pimpinellae albae, tum *magnae* seu Pimpinellae nigrae sive seminibus, sive radicibus alias adhibitis, nec quidem ob aromaticum, quem secum vehunt, stimulum inefficacibus, utimur.

862. Crebro vero utimur *Pimpinellae anisi* seu Anisi vulgaris seminibus praesertim ex Hispania, aut Sicilia allatis quoniam dulci aromatico, et fragranti odore gratissima dum impune stimulant vel mansa, vel una, alterave drachmam infusa et hausta leniter roborant, flatus dissipant, lentos et crassos humores incidunt, ac discutiunt, atque in ore detenta, etiam si saccharo obducta sint, pravum halitum emendant, gratiam remediis invisis, quae in pulvere, aut alia forma sumenda sint, addita conciliant, impediuntque ne inflationes moveant. Lactis etiam secretionem ex laxitate imminutam, non secus ac reliqua Umbellatarum semina, augere dicuntur.

Ero-

Erogant praeterea Aquam stillatitiam aromaticam, atque efficacem si ad aliquot uncias assumitur, tum Oleum stillatitium vix acre, caeteris aromaticis oleis mitius, quod cum saccharo ad aliquot guttas flatus, et inde ortas molestias, et colicas discutit, ac similiter ventri illinitum prodest, tum Sulphuri sublimato additum Balsamum sulphuris anisatum constituit. His vero seminibus cur substituendus sit fructus ex *Illicio anisato* ad Coadunatas Stirpes pertinente sumptus, atque in Officinis Anisi stellati nomine cognitus, et Badian etiam dictus ex Insulis Philippinis allatus ego sane non video. Eius enim capsulae cum seminibus, etsi saporem et halitum referant Anisi vulgaris, viresque aemulent, huic tamen cedunt gratia, cedunt virtute.

863. Cui praeterea bono cum tot alia validiora, tuta, et gustui grata suppetant semina Umbellatarum, de quibus hactenus dixi, retinenda in Officinis adhuc sint *Apii petroselini* seu Petroselini, aut *Apii graveolentis* seu Apii semina, aut *Bupleuri rotundi folii*, seu Perfoliatae ego pariter non intelligo. Nam neque huius semina adhibentur, neque usurpantur Petroselini, et Apii, etsi utraque contra flatus, et congestiones humorum stimulando, atque incidendo prodesse queant, eorum qualitatibus perspectis, atque olim revera usurparentur. Harum quippe Stirpium herbis et radicibus ne quidem stimulandi fine utimur, quae, ut notum est,

atque alibi dixi, condimentorum numerum augent, vel aliis Medicinae usibus suo loco indicandis aliquatenus possunt prospicere.

864. Ad Siliquosas deinde veniens Stirpes, harum pariter pleraeque stimulandi facultate praestant. Stimulum quippe, ut notum est, a principio oleoso aromatico volatili, quod iam ipse odor penetrans indicat, acris sapor ostendit, ac distillatio patefacit, quodque omnibus stirpium partibus haerens, et acrimoniam tribuens exsiccatione, aliisve modis facile perit, ipsae Siliquosae accipiunt. Quae quidem Stirpes propere putrescentes (cum tunc ammoniacum destillatae praebeant alcalescentes vocatae), queunt nihilominus certa ratione fermentescentes acidam naturam assumere, acidumque largiri, imo nonnullae, quae minus acres apparent, et succo magis abundant, non exiguam copiam saccharinae materiae, ut CULLENIUS apposite observat, in se habent, qua etiam scorbutum melius certiusque avertant, et sanent, ne dicam principia alia in quibusdam siliquosis praesto esse non satis adhuc, quo ad omnes proprietates, comperta. Qua quidem in re exemplo sit *Nitras potassae*, quem Cl. MARABELLIUS e *Sisymbrii nasturtii aquatici* succo recenti evaporationi tradito, depurato, ac sibi relicto aliquot ab hinc annis obtinuit.

865. Idem porro *Sisymbrium nasturtium aquaticum* seu Nasturtium aquaticum, quod minus recte alicubi ex *Cardamine pratensi*, utpote debiliori, desumi iam ab aliis animad-

versum est, herbam praebet, quae recens odore proprio contrectantibus volatili, et sapore amaro pungenti donata in acetariis comesta, vel in succo ab uncis duabus usque ad quatuor assumpta, cum aliis modis singulare, quod habet, volatile acre principium exuat, nisi in conservam redacta sit, qua forma diu servatur, ad avertendum, et curandum scorbutum eximia est. Maxime vero si eius succo Acetosae, aliarumve Acidarum stirpium succi admisceantur, atque ille praesertim, qui ex Citro aurantio expressus sit, cui potior, ut compertum est, adversus scorbutum virtus tribuitur. Neque tantum in scorbuto et affectibus, qui ab eiusmodi labe originem ducunt Nasturtium aquaticum egregii usus a Clinicis habetur; verum etiam diu datum in obstructionibus viscerum, et chronicis pectoris, aliarumque partium morbis, in quibus leni stimulo tenuare, ac resolvere conveniat, ab iisdem proficuum censetur.

866. Parvi vero nunc facimus *Erysimi* duplicem speciem, *officinale* seu Erysimum, et *alliariam*, seu Alliariam, quoniam e prioris herba paullo acri incidendi, atque expectorandi caussa in pectoris pituitosis morbis alias multi facta, LOBELIO praesertim auctore, vix expressum succum aliquibus in Insubriae locis adhibent ad conficiendum syrupum de Erysimo Lobelii, qui nisi, ut post GEOFFROYUM animadvertit MURRAYUS, simplici methodo ex succo, et melle,

aut saccharo conficiatur, caeteris reiectis, probari non potest. Semen vero eiusdem Erysimi, quod Sinapi succedaneum dicitur, inusitatum nobis est; quemadmodum usu non venit Alliaria sapore in Allium incidente, et amaritie aliqua non carens, quae et discutiens, et stimulans olim habita intus assumpta, celebrior adhuc ob eiusdem vim a Cl. Medicis adsertam in putridis, malignis, et cancrosis ulceribus, si contusa imponeretur, evasit. Quare eam a BOERHAAVIO, et BAVHINO commendatam iterum vellem a Chirurgis periclitari. Parvi etiam facimus herbam *Cardaminis pratensis* seu Cardaminis, aut Nasturtii pratensis, quae alibi, ut monui, Nasturtii aquatici loco sumitur. Quanti vero habeamus eiusdem Cardaminis flores nuper egregie antispasticos iudicatos proprius alio dicemus.

867. Itaque neglectis ad medendum tum istis, tum plerisque Siliquosis, ac speciatim *Raphano sativo*, *Brassicae* variis speciebus, *Cochlearia armoracea*, et *Thlaspi*, tum *arvensi*, tum *bursa pastoris*, aliisque stirpibus, adhuc maiori ab hinc tempore obsoletis, e Siliquosis solummodo, praeter iam dicta, *Sinapis nigra*, *Lepidium sativum*, et *Cochlearia officinalis* in usum veniunt. Verum cum de Sinapis nigrae semine leniter amaro, fervido, et acri, vereque stimulante, tamquam condimento alibi dixerim, eiusque tum extrinsecus, tum intus adhibiti varii usus alio loco opportunius sint expendendi, de *Lepidio* vero

sativo seu Nasturtio hortensi monendum tantum occurrat, herbam qualitatibus, viribusque consentire cum affinibus Siliquosis, et semen quod acrimonia herbam superare dicitur, nunquam usurpari, de una *Cochlearia officinali* seu hortensi superest ut breviter dicam. Eius enim herba amara, acris, oleoso volatili penetrante principio admodum dives, nec acido carens, virtute reliquis eiusdem Ordinis Stirpibus efficacior, iisdemque in scorbuti curatione praestantior est, sive detur sola, potissimum in succo, sive cum lacte, vel cum succis aliis antiscorbuticis, vel acidis vegetabilibus ex Citro aurantio, aut Limonio, vel ex Acetosa, Acetosella, et similibus, qui dum fervida eius acrimoniam moderantur, vim adversus scorbutum, nisi certiorem, validioremque reddant, non enervant. Cum vero facile penetret volatili principio, atque utiliter stimulum intromittat, quo discutit, resolvit, urinas efficaciter pellit, rheumatismo vago, arthritide, paralysi, cachexia, obstructione viscerum laborantibus, tum febri intermittente ex humorum vitio, aut ex scorbutica labe obnoxiis saepe auxilio esse solet; tum praeterea antiseptica in aliis morbis valet, ac praesertim in scorbuticis oris ulceribus succi modo applicita, potissimum Alumini, aliisve remediis addita, quae in isto ulcerationum genere prosunt. Eius vero C o n s e r v a herbae recentis defectui suppetias affert, quatenus hac forma virtutis satis adhuc retinet, ut efficacitatem suam pro-

dat; tum eiusdem Cochleariae Spiritus efficax est a guttis decem ad triginta, et ultra datus, ac praesertim Spiritus compositus seu Mixtura antiscorbutica DRAWIZII, qui eadem fere dosi, interdum maiori addito syrupo, valde volatilis, et penetrans, non solum in adductis morbis, verum etiam in paralysi, hemiplegia, atque in vitiis digestionis, et vomitionibus a tenaci, corruptaque bile a Summis Clinicis magni habetur.

868. Prolatis istis, quae ad Siliquosas pertinebant, nunc progredi deberem ad Liliaceas Stirpes, cum inter eas plura Genera Officinis non paucas species suppeditent, quae a stimulo, quo pollent, praecipuam suam efficacitatem agnoscunt, tum inter eas occurrat *Allii* genus, cuius dissimiles species ob validum, penetrantem, et plus, minusve acrem stimulum, non solum, ut vidimus (§. 291.), aptum quibusdam condimentum ciborum praebent, sed intus, atque externe in morbis adhibitae quarundam aegritudinum remedium afferunt, nisi ob constitutum dicendi ordinem eiusmodi Stirpium medicatas facultates, et usus alio Capite mallem proponere. Ob eandem caussam hic non exequar, quae tradere potuissem de iis Stirpibus e Coniferis, e Dumosis, e Gruinalibus, atque ex aliis Ordinibus desumptis, quae cum varias partes, ac speciatim olea, balsama, resinas, gummi-resinas, cortices, ligna, radices, aliaque praebeant, quibus sti-

mulandi manifesta virtus inest, quemadmodum in therebintina, in balsamis, et resinis usitatioribus, in Vanilla, in Guaiaco, similibusque medicamentis experimur, sic praebent remedia quae huic capiti a Therapeutices Scriptoribus iure referuntur. Verum cum de istis quoque opportunius dicturus sim alibi, hic potius attingam, quae, si modo praeterirem, minus recte alio traderem loco.

869. Huius generis sunt Aromata ad stimulandum accommodatissima, et passim hoc maxime fine adhibita, quorum alia Oleraceae, alia Hesperideae, alia Piperitae, aliae Scitamineae Stirpes nobis largiuntur. Porro ex Oleraceis *Laurus*, *Myristica*, *Myrthus*, *Canella*, et *Vintera* ea Genera sunt, quarum nonnullae Species aromatica medicamenta suppeditant. Etenim *Laurus cinnamomum* Corticem Cinnamomi nomine largitur, qui ex arbore, quae in Ceylano habitat, praesertim sumptus, flexilis, tenuis, ex rubro et flavo fuscus, dulcescens cum levi, et grata acredine paullum adstringente, non fervens, non valide pungens, non urens, non austerus, non amarus, ut infimae notae esse solet, laevis, paullulum fibrosus, et tenax, ac suavem aromatis halitum effundens princeps aromatum iure censetur, cum caeteris praestet gratia saporis, et suavius ac sapidius condimentum ad cibos afferat, atque utilius, et una innoxius Medentibus auxilium praebeat. Ab oleo siquidem aromatico, seu potius, BOERHAAVIO omnium primum do-

cente (*a*) a volatilibus, quae eidem inhaerent, particulis eam facultatem, illudve stimuli genus accipit, quo nerveas, et musculares fibras excutiendo earum vires, et motus incitet, stomachum confirmet, et roboret, nauseam avertat, inflationes ex aere et laxitate discutiat, calorem excutiat, sanguinis circuitum augeat, sudorem moveat, usque ad uterum actionem suam extendat, atque alvo ob laxitatem fluenti frenum iniiciat, aliaque bona adducat.

870. Ad eiusmodi interim assequendas utilitates raro eius solo utimur pulvere, alias per se a paucis granis ad scriptulum usitato, sed eum admiscemus remediis aliis pulveris maxime forma exhibendis tum ad gratiam odoris saporisve conciliandam, tum ad vim acuendam. Itaque eiusdem Corticis Praeparatis, Compositisque medicamentis magis credimus. Sunt eiusmodi A q u a C i n n a m o m i S t i l l a t i t i a s i m p l e x quae lactescens, atque admodum suavem halitum spirans suas qualitates remediis, quibus additur correctionis praesertim caussa, tribuit, ac per se ad unum, alterumve cochleare ad protinus excitandas vires nervorum languore fractas, atque ad ventris inflationes ex aere discutiendas frequenter hauritur; A q u a C i n n a m o m i S t i l l a t i t i a v i n o s a, et A q u a e i u s d e m s p i r i t u o s a, utraque priori ad stimu-

---

(*a*) Chem. Vol. I. p. 76.

landum, et calfaciendum validior, etsi nobis inusitata plane sit; Oleum essentiale cinnamomi, quod (ubi non adulteratum sit, quemadmodum saepius ob carum, quo venit, praetium, esse solet) corticis vires, a quibus tamen leniter adstrictoriam plerique excipiendam esse arbitrantur, habet, ac fervida, et acri sua insigni qualitate ad excitandum et stimulandum instar elaeo-sacchari assumptum maxime valet, ac gossypio exceptum et denti inditum, vel ossi cuique applicitum cariem, quae in alterutro invaluerit, cohibere dicitur tum putredinem prohibendo, tum corruptum os exedendo; Tinctura Cinnamomi ex sesquiuncia corticis cum Alcoholis aquei libra parata, et dein aquae aromaticae stillatitiae selibrae ad mediam unciam addita, si ad unum cochleare quavis secunda, aut tertia hora, aut crebrius propinetur, in haemorrhagiis uteri ex laxitate, debilitate, languore, et paralysi post SWIETENIUM ab Ill. PLENKIO, aliisque summopere extollitur; et merito quidem, ut vel ipse cognovi, si de adductis speciebus sermo sit. Secus enim nocet, quemadmodum nocet ad partum adiuvandum, nisi ad dolores excitandos, qui ex virium lapsu deficiant, indicetur; denum Syrupus Cinnamomi ad mediam unciam, et ultra acuendis liquidorum medicaminum viribus stimulantibus, et roborantibus, tum iisdem, quo ad saporem, corrigendis inservit.

871. Hic quoque loci expedit meminisse

ad Cinnamomum referri quosdam flores, qui Flores Cassiae dicuntur, quatenus ex Cinnamomi arbore desumi a plerisque censentur, dubitantibus aliis, atque ad eiusdem Corticis sapidas, et odoras qualitates accedere, ac vires aemulari existimantur. Sed in nostras Officinas recepti nondum sunt, nec forte merentur recipi si, ut quorundam est sententia, longe debiliores Cinnamomo, huius etiam non omnes facultates habent. Neque modo alienum erit pariter meminisse, quod de Cinnamomo loquens monendum duxit CULLENIUS, Corticem illum, qui Cassia Lignea, aut Canella Malabarica in Officinis audit, a LINNEO singulari *Lauri* speciei, quam *Cassiam* dixit adscriptus, nunc vero ad *Lauri cinnamomi* Varietatem pertinere iudicatus, nulli sibi proprio usui accommodatum videri, cum longe debilior sit Cinnamomomo, ac magnam vehat mucilaginis copiam sic, ut appareat iure apud nos exolevisse. Neque supervacaneum erit indicasse Malabatri folia, quae adhuc ignoramus e quanam specie, aut varietate *Lauri* desumpta sint, vix non omni odore, et sapore aromatico destituta, ad Theriacam, aliasve Veterum compositiones adhibita, iure in medicamentariis Insubriae Officinis non amplius prostare.

872. Sed cum de *Lauri* Speciebus, et Varietatibus dico silentio praeterire non possum e *Lauri*, ut ferunt, specie nondum determinata desumptum Pichurim, aut

Pichuris, tum Fabam vel Nucleum, tum Corticem, utrumque ex Brasilia, et Panama in Lusitaniam iamdiu advectum in huius Provinciae Officinis desiderari, cum apud Exterarum Gentium Medicos multae auctoritatis non mediocre nomen uterque sibi comparaverit. Neutrum proinde, cuius descriptio a MURRAYO peti poterit, unquam mihi licuit, aut periclitari, aut prae oculis habere: quod doleo si revera tanta sint ab alterutro expectanda, quanta nonnulli pollicentur. Tradunt quippe in Lusitania, et Svecia Pichuris fabam, aut fructum aromaticum, et qualitatibus Nucem Myristicam, aut Sassafras aemulantem in pulvere, praesertim ad mediam drachmam, quae dosis intra diem ter quaterve iteratur, dysenteriam castrensem, praemissis evacuantibus, contumaces phthisicorum fluxus ex alvo, et colicos dolores plerumque sanasse; tum eiusdem Pichuris Corticem Myristica odoratiorem gustui valde stimulantem cum levi adstrictione, et amaritie, atque antiseptica facultate Cortici Peruviano comparandum, in pulvere ea, quam dixi, dosi, vel forma infusionis ex vino datum in dysenteria, maxime sub finem, in ventriculi debilitate, in vomitu contumaciori, in cholera, in febribus quibusdam, atque in albo mulierum fluore egregium remedium suppeditasse.

873. Corticem item alium Culilawan nuncupatum alia Lauri species sistit, nempe *Laurus culilawan*, quem ex Amboina allatum

aromaticum, acrem fere instar Corticis Winterani, leviter adstringentem, et mucilagineum, ac Sassafras odore aemulantem ideo crediderim sine ullo Aegrorum damno apud nos nullibi in Officinis servari, quia apud alias Gentes, quae multo ab hinc tempore inter remedia admiserant, nunc obsolevisse videam, ac fidas observationes apud Clinicos non inveniam, quibus innixus, praeter stimulantem, et roborantem facultatem, ullam aliam eidem propriam, speciatim in colicis doloribus, alvique fluxibus, tuto queam concedere. Ex *Lauro* vero *nobili* seu Lauro vulgari folia aromatica, amara, et adstringentia, licet stimulare, roborare, et resolvere queant, et olim clysmatibus addita, et cocta atque imposita discutiendi caussa adhiberentur, nunc insueta sunt, neque baccae aromaticae, atque intense amarae illis proprietatibus donatae, imo foliis efficaciores, multi usus sunt; neque triplex oleum ex baccis, nempe Oleum destillatum, Oleum laurinum coctum, et Oleum expressum, vel illinitur, vel unguentis ad stimulandum additur, vel ad clysmata discutientia, atque antispasmodica recipitur, quemadmodum frequenter alias fieri consueverat.

874. Consideranda nunc est *Myristica aromatica*, quae arbor in Insulis Moluccis, ac speciatim Banda summa cura a Belgis exculta largitur fructum, cuius nucleus Nux Moschata vocatus, et huius tunica, seu mem-

brana nucem obvelans pulposa, et pinguiuscula Macis appellata ad praestantiora aromata pertinent. Idem quippe nucleus, qui in Europam exsiccatus deportatur, duriusculus, intrinsecus ex cinereo flavicans, atque interspersus inaequaliter fuscis venulis, suaviter fragrans, ubi incisus sit, aut abrasus, dentibus non aegre conficiendus gustui gratum prodit aroma, linguam leniter vellicans, et os non moleste calefaciens, quia pinguisculum una saporem evolvit. Neque diversum, quamquam validiorem odorem, saporemque habet Macis, qui ex luteo sanguineus, aut coccineus exsiccatione evadit. Hic quippe oleum erogat, Oleum destillatum macidis vocatum, volatilius, et paullo acrius eo, quod Nux moschata praebet, e qua, ut notum est, praeter oleum illud, quod destillatione obtinetur, ac dicitur Oleum aethereum, vel destillatum Nucis Moschatae, educitur etiam exprimendo alterum, nempe Oleum expressum Nucis Moschatae seu potius butyrum, quatenus huius densitate praeditum, pingue instar unguinis, gustui aromaticum, odorum, citrinum colorem, vel ex albo rubrum in pallidum aetate convertens, quod aromatis principia omnia habens a sebacea, insipida, atque inodora, ac plane inerti materie irretitur, ac contemperatur. Hinc dum illud stillatitium Nucistae oleum abdomini, et artubus paralyticis illinitur validiori stimuli caussa, hoc solum ad roborandum, et stomachum

confortandum scrobiculo cordis, aut ventri, aut aliis partibus admovetur quando levis tantum stimulus conveniat. Quamquam autem Myristicae nucleus aromatum vires roborantes et stimulantes, atque eas pingui materie mitigatas, eosdemque fere usus in morbis habere queat a debilitate, laxitate, et defectu stimuli profectis, nec levi ebullitione, ut monet CULLENIUS, medicatas suas particulas facile amittat, unde ad quaedam componenda remedia commodat, fere ad solos cibos condiendos, non secus ac Macis usu venit; tum eadem nux iam saccharo condita ad nos advecta in splendidioribus conviviis bellariorum numerum auget. Sed haec quoque prudenter usurpetur, ne copia nimia assumpta, cum nucis non conditae vires servet, eos noxios inferat effectus, quos largiter Nux moschata ingesta ob virus, quod ei inesse videtur, sopiendo, et stimulando ad mortem usque infensum, non semel intulisse a plerisque traditur.

875. Revocantur pariter ad Oleraceas, quae ab aromate vim suam accipiunt, quamquam non sine dubitatione ob non satis constitutum genus, duo alia remedia, scilicet Canella alba, aut Cortex Vinteranus spurius, et Cortex Winteranus, aut Magellanicus. Primum enim probabiliter censent Rei Herbariae Scriptores ad *Canellam albam*, alterum ad *Vinteram aromaticam* pertinere. Quidquid vero de hac opinione sentiendum sit nobis satis erit novisse Canellae albae corticem,

cum Winterano tam saepe confusum, etsi hoc pallidior sit, laxior textura, minusque amarus, aromatica acrimonia, quam in ore excitat, mitiorum aromatum vires ostendere, atque una commonstrare sine ullo Aegrorum damno cortici Winterano, vel errore, vel hoc deficiente, olim suffectum fuisse, tum, ex eo quod proprii nihil habeat, iure a Nuperioribus supervacaneum iudicari. A vero autem Winterano cortice ex freto Magellanico allato in cylindros nunc exiliores, nunc crassiores variae longitudinis, duros, et leviter rugosos convoluto, undique flavescente, nisi aliqua parte cinnamomi colorem aemularet, caryophyllum leviter spirante si comminuitur, atque in ore aromatis acris, diuque persistentis sensum inducente, quem aquae infusio amarum, et adstringentem etiam ostendit, ego nihil quod proprium, aut vere egregium sit cuiquam possum polliceri. Experiundo quippe didici comminutum a paucis granis usque ad scriptulum, iteratis die dosibus, vel infusum ad duas, et ultra drachmas eiusmodi remedium stomachum utique roborare, flatus in hyppocondriacis discutere, ciborum desiderium facere, et fluentem ex imperfecta coctione, aut ex laxitate alvum moderari; quando alia verosimiliter grata aromata, leniter amara, ac paullo adstringentia idem praestitissent. At eiusdem usu nec affectus nervorum, qui graviores essent, sanare, nec sudorem manifeste pellere, nec mesenterii obstructiones resolvere unquam mihi acci-

dit. Num vero istud medicamentum scorbutum sanat? Num paralyticis opitulatur? An aquae dum pravum odorem adimit, eam corruptam integritati restituit? An demum alias maiores, et novas plane vires promittit? Ista mihi nondum experientia innotuerunt.

876. Gradum idcirco faciam ab Oleraceis ad illas Hesperideas, quae Medicis aromatica medicamina praestant. Inter eas spectato, non quidem usu, qui hodie rarus est, sed virtutis praetio primas tenet *Caryophillus aromaticus*. Etenim flores arboris in Insulis Moluccensibus, et Nova Guinea sponte crescentis, ac speciatim in Amboina a Belgis propagatae, tum nuper feliciter a Gallis alibi satae, atque excultae nondum expansi, eorumque calyces una exsiccati caryophyllorum nomine ad nos advecti forma, et eximiis qualitatibus odoris proprii, et suavis, saporisque valide aromatici, fervidi, acriusculi, et lenissime amaricantis cuique notissimi, ab oleo aromatico, quod destillatione eruitur, fervidissimo, fragrantissimo, atque acerrimo tantam stimulandi vim accipiunt, ut ad aromata validiora pertineant. Interim sive ob eiusdem nimis irritantem potentiam, sive ob aliam non satis compertam caussam, Caryophylli ad roborandum, praesertim stomachum, ad pellendum ex utero sanguinem, atque ad nervorum, et musculorum vires erigendas non infrequentis olim usus, nunc solum Electuariis, et Pulveribus ad dentes, et gin-

gingivas apud nos usurpantur, vel odoramentis admiscentur; item Aqua Caryophyllorum stillatitia aromatica et grata in Officinis Insubriae non prostat; atque ipsum Oleum Caryophyllorum destillatum vix in dentem, qui ex carie doleat, gossypio exceptum indimus, neque fixis oleis, ut mitigetur eius acrimonia cutim inflammans, admixtum multiplici fine, sicuti alibi usu venit, extrinsecus admovemus.

877. Referendae huc etiam sunt tres Species *Myrthi*, nempe *communis*, *caryophyllata*, et *pimenta*. E priori seu Myrtho, cui exstimulans ab aromate profecta virtus nequit denegari, neque folia, neque baccas hodie desumimus, neque ad condimenta aromatica recipimus, neque ex iisdem Vinum myrthites, vel Oleum Myrthinum, utrumque Veteribus valde probatum, paramus. Ex altera Corticem Cassiae caryophyllatae nomine cognitum, qualitatum, et virium ratione caryophyllorum aemulum, si non adstringeret, atque efficacior esset, iis relinquimus, qui aromaticos Pulveres ad cibos condiendos parant. Ex tertia vero, quae ex Antillis, ac potissimum ex Iamaica Pimentae, aut Piperis Iamaicensis nomine in Angliam advectae baccae exsiccatae, granis Piperis vulgaris maiores, cum prope miram et gratam praestantiorum aromatum coniunctionem, singillatim gustantibus percipiendam, in ore evolvant, atque oleoso aromatico principio abundent, quin ex eo nimium

dit. Num vero istud medicamentum scorbutum sanat? Num paralyticis opitulatur? An aquae dum pravum odorem adimit, eam corruptam integritati restituit? An demum alias maiores, et novas plane vires promittit? Ista mihi nondum experientia innotuerunt.

876. Gradum idcirco faciam ab Oleraceis ad illas Hesperideas, quae Medicis aromatica medicamina praestant. Inter eas spectato, non quidem usu, qui hodie rarus est, sed virtutis praetio primas tenet *Caryophillus aromaticus*. Etenim flores arboris in Insulis Moluccensibus, et Nova Guinea sponte crescentis, ac speciatim in Amboina a Belgis propagatae, tum nuper feliciter a Gallis alibi satae, atque excultae nondum expansi, eorumque calyces una exsiccati caryophyllorum nomine ad nos advecti forma, et eximiis qualitatibus odoris proprii, et suavis, saporisque valide aromatici, fervidi, acriusculi, et lenissime amaricantis cuique notissimi, ab oleo aromatico, quod destillatione eruitur, fervidissimo, fragrantissimo, atque acerrimo tantam stimulandi vim accipiunt, ut ad aromata validiora pertineant. Interim sive ob eiusdem nimis irritantem potentiam, sive ob aliam non satis compertam caussam, Caryophylli ad roborandum, praesertim stomachum, ad pellendum ex utero sanguinem, atque ad nervorum, et musculorum vires erigendas non infrequentis olim usus, nunc solum Electuariis, et Pulveribus ad dentes, et gin-

gingivas apud nos usurpantur, vel odoramentis admiscentur; item Aqua Caryophyllorum stillatitia aromatica et grata in Officinis Insubriae non prostat; atque ipsum Oleum Caryophyllorum destillatum vix in dentem, qui ex carie doleat, gossypio exceptum indimus, neque fixis oleis, ut mitigetur eius acrimonia cutim inflammans, admixtum multiplici fine, sicuti alibi usu venit, extrinsecus admovemus.

817. Referendae huc etiam sunt tres Species *Myrthi*, nempe *communis*, *caryophyllata*, et *pimenta*. E priori seu Myrtho, cui exstimulans ab aromate profecta virtus nequit denegari, neque folia, neque baccas hodie desumimus, neque ad condimenta aromatica recipimus, neque ex iisdem Vinum myrthites, vel Oleum Myrthinum, utrumque Veteribus valde probatum, paramus. Ex altera Corticem Cassiae caryophyllatae nomine cognitum, qualitatum, et virium ratione caryophyllorum aemulum, si non adstringeret, atque efficacior esset, iis relinquimus, qui aromaticos Pulveres ad cibos condiendos parant. Ex tertia vero, quae ex Antillis, ac potissimum ex Iamaica Pimentae, aut Piperis Iamaicensis nomine in Angliam advectae baccae exsiccatae, granis Piperis vulgaris maiores, cum prope miram et gratam praestantiorum aromatum coniunctionem, singillatim gustantibus percipiendam, in ore evolvant, atque oleoso aromatico principio abundent, quin ex eo nimium

fervoris, aut acrimoniae explicent, in condimentis ciborum ab Anglis magni fiunt, nostras sane animadversiones non exigunt, cum medicamentum nullibi praestent, nec nobis condimento inserviant.

878. Piperitae deinde Stirpes aromatum seriem amplificant. De iis vero, aliisque aromatibus tamquam condimentis, cum alibi satis dixerim (§. 293.), reliquum est, ut modo de iisdem veluti medicamentis disseram. Itaque scire expedit *Piper* e tribus sumptum Speciebus in Officinis occurrere, *nigrum*, *longum*, et *cubebam*. Piper nigrum nil aliud est, quam plantae Indiarum Orientalium, in Sumatra praesertim cultae, fructus, seu bacca, quae ante maturitatem collecta, sphaerulam piso minorem quo ad formam referens, exsiccatione dura, rugosa, et nigra reddita, odore aromatico, atque acrimonia fervida linguae, et faucibus, ubi comminuatur, fere urentis caloris sensum impertitur. Quae quidem Piperis bacca, ubi in aquam prius mersa, dein Solis ardore exsiccata, et manibus affricta extimum corticem exuerit, albida tunc facta Piper illud constituit, quod Album dicitur. Differt autem Piper ideo praesertim ab aliis aromatibus, de quibus hactenus dixi, quod oleum destillatione praebeat pipere aeque odorum, at citra acrimoniam fervidam, suamque proinde potiorem actionem, ut GAUBIUS potissimum evicit (*a*), agnoscat a principio ad-

---

(*a*) Advers. pag. 55. et seq.

modum fixo, seu pingui materie gummi resinosae indolis participe. Hinc facile explicatur cur integrum piper deglutitum longe minus calefaciat contuso, aut comminuto. Dum enim stimulat et discutit una calefacere, et quidem potenter, nemo denegaverit, qui experientiam consulat, atque animadvertat quam infirmis fundamentis innitantur illa, quae ad vim eiusmodi vel denegandam, vel exiguam, aut reliquis aromatibus longe minorem ostendendam a GAUBIO, aliisque adducta sunt.

879. Haec solum probant ob consuetudinis vim, ob peculiare victus genus, atque ob coeli admodum calidi, et humidi naturam Piperis usum vel copiosum, vel quotidianum tum impune, tum utiliter humanum corpus admittere, non vero idem aroma vel refrigerare, vel saltem lenissime calefacere, et stimulare. Quare etsi Piper antiquitus crebro ad medendum adhibitum laxis, et debilibus fibris addito robore, nervorum conditione mutata, lentis et crassis humoribus motis, tenuatisque, et sudore praesertim incitato, in stomachi, atque intestinorum morbis, in arthritide vaga ad ventriculum tendente, in ventris ex aere inflationibus, in cephalalgia, aut vertigine diuturna, atque in chronicis quibusdam pectoris malis profuerit, sive nigrum, sive album, quod mitius creditur, aliquot dosi granorum usque ad scriptulum apte, et caute iteratum, saepe etiam Aegris nimis calefacienti, atque irritanti suo stimulo

graviter obfuit. Pari modo etsi vel per se, vel cum vino ruditer tritum Piper febrim intermittentem, maximeque quartanam, profusis praesertim sudoribus, interdum vicerit, aut eius saltem horrorem, ut tradit CELSUS, sustulerit vel paullo ante accessionem, vel maturius audacter assumptum; saepius tamen nullam opem egit, et quandoque febris indolem deteriorem, contumacioremque reddidit, imo cephalalgiam, delirium, furorem, et ventriculi infiammationem, aliaque gravissimia damna intulit.

880. Quae quidem ex improvido, diutino, aut largiori Piperis usu a Clinicis magni nominis observata a me quoque visa doleo, tum apud Rusticos proximorum montium incolas, quibus cum ad nos descendunt, mos est ad quosdam morbos vincendos, maximeque ad discutiendas quartanas pipere nimis audacter uti, tum etiam apud Cives largiter, diuque pipere superioribus annis usos ex consilio Viri, cui fidebant maxime, qui indiscriminatim chronica passione laborantibus copiose, et quotidie Piper sumendum imperitabat. In istis vero praeter dicta mala quantam etiam possit noxam illius abusus inferre, imo interdum aegre corrigendum, aut plane immedicabile vitium fluidis, solidisque partibus inducere, in duobus maxime Aegris cognovi. Etenim uterque hyppocondriacus, optimi caeterum habitus, aetatis vix ingravescentis, ac firmi roboris ad passionis eiusmodi, maximeque ex flatibus molestias

dissipandas, aut praecavendas, Viro, cuius memini, suadente, quovis mane duas tresve drachmas Piperis ruditer effracti ieiuno stomacho cum assumere consuevisset, atque hoc pharmaco se iam morbum vicisse blandiretur, neque interim ab eo, ne forte molestiae redirent, sibi temperaret, uterque in eam aegritudinem vix aliquot mensibus praeterlapsis incidit, cui a nulla alia caussa, ut pluribus Clinicis visum est, quam a Piperis abusu illatae nullum potuit remedium auxiliari. Nam unus gravi primum renum, et vesicae ardore correptus, ac dein, ob penitus retentas urinas, hydrope, nihil proficiente Medicina, brevi confectus est. Alter vero ad annum usque vitam protraxit, at exedente in utraque sura orto hepete, ac dein tam late diffuso, ut inferiores artus pene omnes ulcus foedaret, etiam pruritu, et dolore infensum, quod internis externisve medicamentis quam plurimis includere, aut cohercere Chirurgia nequivit, inter diras angustias, ac miserandas aerumnas lenta demum febre sublatus est. Utinam vero funesta eiusmodi exempla cautos eos reddant, qui apud nos falso existimantes Piper vel refrigerare, quemadmodum quidam temere censent, vel saltem parum, aut nihil calefacere, eodem aromate in cibis condiendis abutuntur!

881. Mitius quoque non agit ea Piperis Species, quae *Piper longum* dicitur, quod pulpa occlusas baccas, aut grana nigricantia, et dura praebet ex Orientalibus Indiis allata

nigro pipere acriora, et fervidiora, quae vix ad quasdam Veterum Compositiones alicubi recipiuntur, cum nigri vires, imo validiores habere plerisque videantur Medicinae Scriptoribus; quibus tamen non assentitur Cel. VITETUS (*a*), qui id clarius, certiusque experimentis constituendum esse arbitratur. Mitius certe nigro, et longo Pipere agunt *Piperis cubebae* aut Cubebae ex Iava potissimum adductae baccae, Piperis caudati etiam nomine in Officinis indicatae, quatenus minus acres et fervidae sunt, atque in ventriculi debilitate, flatibus, et chronicis e mucosa colluvie natis morbis non minus cum saccharo, quam per se ad pauca grana innocuo stimulo utilia esse dicuntur.

886. Ad Piperitas Stirpes quoque attinent *Acorus calamus*, atque *Arum maculatum*, et quidem iure, si etiam utriusque vires respicimus. Prioris siquidem seu Calami aromatici, aut vulgaris, seu Acori veri Radix, ob aromaticum, pungentem, fervidum, et leniter amarum saporem, ob aromatis halitum, quem secta spirat, atque ob vires stimulantes cum antiseptica facultate coniunctas aromatibus similes, indigenis Aromaticis stirpibus antecellere omnium consensione traditur. Miror proinde cur eam vix unquam adhibeant, praesertim cum laudent in morbis, quibus aromata mitigata subveniunt, eamque ipse

---

(*a*) Op. cit. pag. 204.

pluries a dimidio scriptulo ad mediam drachmam, quae dosis apte iteratur, modo per se, modo pauxillo sacchari admixtam, vel ad duas tresve drachmas aquae infusione digestam ad confortandum stomachum, atque ad mala ex eius debilitate orta removenda aptam viderim, iisque maxime commodam, qui ob mobilitatem, aliasve caussas caetera aromata vel adversantur vel non bene sustinent. Alterius vero, seu Ari Radix, quae sicca solum usui nobis cedit, (neglecta herba, etsi radici praestet, ac reiecta F o e c u l a A r i, utpote viribus fere effoeta), autumno collecta, et clauso vase servata ubi sit, non vetusta, dentibus confecta pungentis, ac dein fervidi, atque urentis saporis sensum in ore excitat, (ac tantum quidem recens, et succulenta ut venenis adnumeretur) quaeque aqua infusa amylum, ac decocta nutrientem gelatinam praebet, licet non minus stimulando, quam instar saponis tenuando, et incidendo, forma praesertim pulveris a medio scriptulo usque ad drachmam dimidiam a plerisque multi habeatur in morbis a debilitate, laxitate, et nimia muci, et glutinis copia et densitate profectis, sive fauces, sive pectus, sive alias partes occupent, ea nihilominus negligitur. Neque eius pulvis ad ulcera mundanda a Chirurgis nunc inspergitur. Neque demum recentissima eius radix, veluti cachecticis maxime proficua a quibusdam alias proposita, a prudenti Medico unquam propinabitur, qui ex Ill. Archtr. Cae-

sar. Com. STÖRKII observatione, et monitu sciverit ab eius interno usu prorsus abstinendum esse cum tormina, et cardialgiam morte interdum excipiendam queat inferre.

883. Inter Scitamineas hic indicandas occurrunt variae Stirpes, quae tamen in officinis Insubriae servatae usui raro inserviunt, nempe *Amomum zingiber* seu Zingiberis communis Radix, quae ex India Orientali, atque ex America secta, atque exsiccata, ac pro vario exsiccationis modo albida, aut fusca (unde Zingiber in album, et nigrum distinguitur) adfertur in frusta divisa, duos fere pollices longa, lobulata, nodosa, utrinque compressa, fragrantia, gustui inter mandendum valde acria cum fervore diu persistente, etsi potenter stimulet, ac discutiat aliis potius Gentibus, quam nobis in morbis, quibus validiora aromata subveniunt, forma pulveris, electuraii, syrupi, vel saccharo condita, vel aliis addita remediis adhibetur, nec ciborum condimentum hic loci ditioribus praestat. *Amomum cardamomum* seu Cardamomum minus, (quo nomine varios fructus in Officinis prostare observat MURRAYUS dum eorum discrimina nititur explicare, eosque propriis notis distinguere), quamquam grate aromaticum stimulare, vires stomachi, nervorumque erigere, aliaque afferre commoda queat, hic loci obsoletum est. Nec *Amomum grannu paradisi* Insubriae Officinis usitata semina, aut Grana paradisi vocata, inodora, instar piperis, si conficiantur, pungenti, acri, diuque durante acrimonia praedita suppeditat.

884. Reliquis etiam Scitamineis non plus tribuimus. Nam etiam si ex eiusdem speciei *Marantae galangae* varietatibus duplex desumpta Radix, quarum una ob diversam magnitudinem Galanga maior, altera Galanga minor dicitur, in Officinis adhuc prostet, atque utraque ex India Orientali allata, (ac praesertim minor aromatico halitu, et acri mordico fervore maiori praestantior) ad aromata, quae magis stimulant, ac calefaciunt, referenda sit, eorumque in morbis vim, atque efficacitatem attingere nequeat denegari; in tanta copia similium vix aliquas fere obsoletas medicaminum aromaticas Compositiones ingreditur. Radicem vero *Curcumae longae*, seu Curcumae longae (a qua Rotundae Curcumae radix figura tantum differt), extus pallide lutescentem, intus obscure flavam, aut croceam, fragrantem, modice amaram cum leni acri fervore ex eo, quod urinae luteum colorem suum tribuat, quidam non solum summa corpus pervadendi vi donari arbitrantur, verum etiam magnas inde vires in morbis expectant. Quas quidem se observasse affirmant in ictero sanando, in calculis biliariis solvendis, in viscerum obstructionibus reserandis, in revocando menstrui sanguinis fluxu, atque in febribus intermittentibus sistendis cum eam contritam in pulvere a scriptulo ad drachmam, vel in extracto paullo minori dosi, vel infusam ad duas drachmas, iteratis die pluries dosibus, exhibuissent. At quaeso videant, ne ista vel

solo corporis beneficio, vel aliorum una adhibitorum medicaminum virtute acciderint. Ego enim ea tot iam adductis modis copiose diuque exhibita nunquam potui illa mala aut sanare, aut insigniter imminuere. Radix autem *Costi arabici*, seu Costo Arabico, qui, reiectis Costo tum Dulci, tum Amaro, in Officinis tantum servatur, licet eadem aromatica sua amaritie, dum leniter stimulat, commode roboret, atque in stomachi nervorumque morbis magnam olim famam sibi comparaverit, ubique locorum usu eviluit. Denique quae e *Kaempferia rotunda* in India Orientali perenni duplex Radix desumpta in Officinis prostat Zedoariae, tum Longae, tum Rotundae nomine odoris in camphoram indentis, et saporis acris, amari, ac fervidi, etsi non minus condita, vel in pulvere saccharo admixta, quam instar extracti, ac praesertim elixirii, dicatur a MURRAYO (*a*), „afferre omnia commoda, quae ab eximio „aromate cum amaritie iuncto expectari pos„sunt„ nunquam fere hic usurpatur.

885. Duo denique sunt e Vegetabilibus sumpta, quae ad Stimulantia proprie pertinere iudicantur, unum e Solanaceis stirpibus, alterum e Multisiliquis. Ex illis siquidem *Capsicum annuum* seu *Capsicum*, aut Piper Indicum cum apud nos abunde etiam cultum fructus proferat fervida, urenti, diuque in ore per-

---

(*a*) App.. Vol. V. pag. 86.

sistente acrimonia piperis nigri aemulos iure quidem validiorum Stimulantium vires sequitur. Fructus istos nihilominus sale, et aceto paratos ad condimenta solummodo recipimus, nec semina ipsa ad medendum usurpamus, ex eo maxime, quod in febribus intermittentibus eorum usum a BERGIO plurimi factum nec tuto, nec utiliter cessisse observaverim. E Mutisiliquis autem *Anemone pratensis* seu Pulsatilla nigricans ideo utilioribus Stimulantibus accenseri debet, quod ex herba vehementer acri, atque urenti confectum extractum, ac dein ita saccharo admixtum, ut illius septem granis huius drachma adiiciatur, invenerit Vir de Materia Medica insigniter meritus Ill. STÖRKIUS tuto ad grana viginti bis, terve die assumi, nec, aucta pedetentim quotidie dosi, largius ingestum officere, summum vero remedium, dum stimulat, discutit, ac resolvit in chronicis, contumacioribusque oculorum morbis, ac speciatim in amaurosi, corneae opacitate, et cataracta, in doloribus, ulceribus, tumoribusque venereis, in ulcerationibus aliis, in melancholia, paralysi, aliisque malis suppeditare. Quod si ex eiusmodi pharmaci usu utilitatem, in oculorum praesertim morbis, experti non sunt Viri, caeterum Summi SCHMUCKERUS BERGIUS, et RICHTERUS, eam tamen Medici et Chirurghi alii perceperunt.

886. Haec, quae hucusque sum exsequutus, illa Vegetabilia sunt, quae magis proprie

ad eiusmodi caput pertinere Materiae medicae Scriptores arbitrantur, quamquam mecum agnoscant inter alios Vegetabilium Ordines, maximeque inter Stirpes Liliaceas, Solanaceas, Campanaceas, Multisiliquas, et Vepreculas multas occurrere, quae acri, atque insigni stimulo, praeditae huius loci essent. Sed cum easdem ad alios potissimum usus, ac speciatim ad varias excretiones incitandas atque augendas, quas proprio stimulo, aliisve rationibus operando movent, Clinici adhibeant, rectius ad alia Capita revocant. Quare ipse quoque ab eiusmodi medicaminum recensione modo abstineam alibi de iisdem singillatim dicturus; ac potius monebo inter Stimulantia magnum praetium, nec minorem usum habere, sicuti cuique notum est, Vinum, eiusque potissimum species, quae multarum sunt virium, atque ex eo destillatione elicitos seu varia ratione praeparatos ex Alcohole Liquores fervidos, et valde excitantes, tum ipsum Alcohol longe fervidius: quibus omnibus quanta stimulandi potentia insit, et quanta, hoc etiam fine si in morbis prudenter adhibeantur, ab iisdem utilitas praesto sit, nemo est, qui ignoret. Sed cum de illis egerim (§. 315. et seq.), de Alcohole vero alio disserere constituerim, modo satis erit haec indicasse.

887. Ob easdem caussas praetereo nunc, quae secus, utpote valida, usitata, atque utilissima Stimulantia, tradenda essent medicamenta e Salium, et Fossilium genere ducta. Praetereo scilicet *Sodam*, *Potassam*, *Carbona-*

tem et *ammoniacalem*, et *potassae*, *Muriatem*, et *Tartritim*, utrumque *ammoniacalem*, *Muriatem sodae*, *Ammoniacam*, *Sulfatem aluminosum*, *cupri*, *zinci*, et *ferri*, *Acidum sulphuricum*, *nitricum*, et *muriaticum*, ac multigena medicamenta sumpta ex *Hydrargiro*, et *Stibio*, a quibus omnibus certa copia, et methodo, atque opportune datis non sedantes, non evacuantes, non alii, quos secus adhibita afferrent, at stimulantes, saltem potiores, plane eximii effectus in morbis praesto sunt; quemadmodum quotidie experimur. Horum quippe vires et usus opportuniori loco tradentur.

888. Quod si quis a me sciscitetur quanam de caussa de Stimulantibus disserens duplex remedium omiserim, quod ex Animalibus sumptum a plerisque Therapeutices Scriptoribus, dum pharmaca stimulo maxime proficua perquirunt, praeteriri non solet, unum, quod praestat *Fel Animalium*, ac speciatim Tauri, alterum *Meloe vesicatoria*, seu Cantharis non minus exterius, quam intrinsecus recte prudenterque adhibita, respondebo de Cantharidibus, utroque sane modo validissime, atque utiliter stimulantibus, me alio esse dicturum, de Felle autem Animalium verbum iniicere mihi plane alienum videri. Si enim concederem amaritie sua stimulando, roborando, et bilis defectui suppetias afferrendo interdum profuisse, esset ne idcirco hocce medicamentum probandum? Cum amara, quae stimulent, et roborent, tam plura, tamque

eximia suppetant, quonam animo possem obsoletum apud nos remedium in usum iterum revocare, quod, dum supervacaneum censetur, vel nomine plerisque invisum est, ac quibusdam stomachum facit?

CAPUT VIII.

De iis, quae rodunt, aut exedunt.

889. Proxima Stimulantibus sunt ea medicamenta, quae extrinsecus adhibita humani corporis partes vel mortuas, vel saltem vivas, quibus imponuntur, rodunt, aut exedunt. Sicuti enim quae inter illa validiorem stimulum habent, non solum intus usurpata nerveas, et carneas fibras potenter exstimulant, verum etiam exterius applicita irritationem, interdum non mediocrem, suscistant; sic ista generatim, antequam rodant, exedant, destruant, atque absumant partes, quas attingunt, eas acri urentique stimulo afficiunt, irritant, ac convellunt. Quamquam autem ob eiusmodi caussam utraque remedia inter se convenire, aut invicem innexa esse videantur; non una tamen ratione ipsa differre censentur. Ex iis enim effectibus, quos utraque edunt, perspicuum videtur non una virtutis efficacitate invicem discriminari. Nam, praeter quam quod proprie Stimulantia in vivas tantum partes actionem suam exerunt, dum Exedentia nonnulla quam in vivo corpore vim habent, eam etiam in eodem mortuo, ostendunt, illa generatim stimulando texturam solidorum non immutant, aut resolvunt, haec vero ita laedunt,

ac destruunt, ut eorum vi cutis particula, quam attigerunt, a proximis innexisque secedens vel per se excidat, vel facile idoneo instrumento postea evellatur.

890. Hoc proinde actionis discrimen cum animadverterent quidam Nuperiores, atque etiam existimarent a maiori stimuli gradu tuto deduci non posse, coniecerunt aliam subesse caussam, ob quam Exedentia efficiant, quae solo stimulo Remedia alia nequirent. Eam autem se invenisse credunt in singulari affinitate compositionis iam alibi a me (§. 568.) indicata, qua particulae horum medicaminum nituntur tanta vi, proclivitate, celeritateque in eas, quae fluidae et solidae cutim componunt, donec, pristinis cohaesionis vinculis solutis, ex intima particularum utriusque generis coniunctione novum corpus nascatur. A vi siquidem, qua invicem accedere, atque una coalescere nituntur Exedentium medicaminum principia cum cutis elementis, et qua revera, dum coalescunt, cutim eorum actioni expositam, atque obnoxiam rodunt, convellunt, dividunt, discerpunt, ac resolvunt, irritationem, calorem, inflammationem, dolorem, ac reliqua explicant, quae applicita eadem Exedentia suscitant. In crusta vero, seu eschara, quae ab eorum actione superest, affirmant, contineri ipsam e principiis remedio, et cuti propriis simul coalitis noviter emersam compositionem, quae singularem et novam penitus naturam exhibeat. Enim vero observant

eam

eam compositionem neutrae indolis esse, non secus ac Salia media, atque in ea efformanda adhibita medicamenta tantum suarum proprietatum, chemicarum virium, ac pristinae efficacitatis impendisse, ut postmodum ad novam inflammationem, atque erosionem excitandam non valeant; proindeque nova, seu nondum adhibita, requirantur, ubi iterum inflammare, exedere, atque absumere conveniat.

891. Qui quidem effectus comparari iis plane solent, quos ex dissimilibus Salibus Chemici in suis operibus exhibent, ut speciatim Ill. FOURCROYUS animadvertit dum opinionem, quam expendimus, conquisitis undique rationum momentis veritati apprime consentaneam studet demonstrare (*a*). Et re quidem vera sive existimandum sit Stimulantia, atque Exsedentia ab eodem principio, seu compositionis affinitate vim suam singula agnoscere, et solo gradu invicem discriminari, quod quibusdam arridet, sive dicendum illa uno stimulo, haec propria potissimum affinitate operari; proposita Chemicorum sententia verosimillima apparet, licet ab omnibus difficultatibus nondum vindicata, nec satis evoluta quibusdam Medicis videatur. Quaerunt siquidem sibi declarari quaenam inter Exedentia *azotum*, quae *carboni-*

(*a*) Elém. d'Hist. Nat., et de Chim. T. I. p. 384.

cum, quae utrumque, quaeque aliud principium e cute secum abripiant: quaerunt rursus certius demonstrari crustae, aut escharae neutram naturam, eamque ex utroque particularum, ut dicebam, genere una intime coniuncto profectam; quaerunt demum utrum a solo eiusdem efficacitatis discrimine, an ab alia potius caussa pendeat cur nonnulla medicamenta, ut *Nitras argenti fusi*, vivas tantum partes rodant, alia vero in mortuas etiam, sicut ex *Potassa*, aut *Soda fusa* in Cadaveribus experimur, ita agant, ut in iisdem escharam relinquant.

892. Quidquid tamen de eiusmodi opinione censendum sit iam satis ex dictis possunt Stimulantia ab Exedentibus distingui; ac tutissime etiam potest constitui duplex eorundem exedentium genus occurrere, quorum unum in vivas tantum partes, alterum in mortuas quoque evidenter operatur. At non una haec est differentia, quam in Exedentibus Therapeutae admittunt. Ea enim, quae extus applicita inflammandi potestatem habent, quaeque generatim Inflammantia vocant, in varia veluti genera, aut plures species secernunt. Etenim cuti applicita medicamenta, quae eam plus, minusve rubore suffundunt Rubefacientia vocant, quae eam extimam in vesicam attollunt Vesicatoria, quae paullatim erosionem inferunt Rodentia, quae escharam relinquunt, Caustica, Catheretica, Escharotica, aut generatim Exedentia; tum postrema in Actualia, et Potentialia,

de quibus solummodo hic loci dicemus caetera alio traditURI, iamdiu distingui, praesertim a Chirurgis, consueverunt.

893. Exedentium, aut Causticorum utriusque generis non alii sunt praecipui effectus, quam ii, qui igni humano corpori applicito proprii habentur, quem porro ignem omnes norunt rarefacere, dilatare, dividere, acriter stimulare, inflammare, magnum inferre dolorem, urere, absumere, atque in iis partibus, quae supersunt, eiusque actioni restiterunt, ambustionis signa, crusta, aut eschara ipsis inducta, relinquere. Hinc nullo negotio assequimur, quomodo illa Artis praesidia vehementer stimulando ea commoda saepe praestent, quae Stimulantia caetera afferre non potuerunt, ac proinde in soporosis, spasticis, et convulsivis capitis morbis, in epilepsia, apoplexia, atque asphyxia, in gravioribus nervorum affectibus a virium imminutione profectis, in paralysi, atque in imbecillitate ad motus obeundos ex irritabilitatis defectu, aut inertia, atque in anchylosi, cui adhuc Medicinae locus sit, magnum auxilium praebeant. Quomodo irritationem, humorumque affluxum ibidem avocando ubi admoventur, revulsione a reliquis facta, congestiones, quae in aliis partibus obtineant, ad resolutionem disponant, ac discutiant, et secretiones excretionesque, levato nimio humorum onere, recto ordini restituant, atque hac etiam ratione contumaciores, gravioresque passiones interdum sanent. Quomodo ipsa

attrahendo, ac vim vitae suscitando in tumoribus, qui vel non debent excidi, vel resolutioni, aut maturationi reluctantur, salutarem suppurationem moveant. Quomodo novam viam humoribus effluxuris parando ad eos morbidos, alicubi haerentes, aut virus quoddam adeptos educendos, quibus incisio nec tutum, nec utilem exitum daret, commodissima sint; ut in quibusdam abscessibus, et apostematibus, quae praesertim contagiosis malis, epidemicis, et malignis supervenerint, non raro experimur, imo in capitis, oculorum, aurium, et artuum rheumaticis inveteratis affectibus saepe videmus. Quomodo quod cuti inditum virus ei inhaesit facile educendo impediant quominus penitiora corporis invadens dira mala, mortemque inferat, ac virus ipsum a rabidorum Animalium morsu infusum subtrahendo futurum aquae pavorem, et rabiem potenter avertant protinus excitata, dummodo inducta ulcera diutissime trahantur, ut post Veteres et Recentiores semel, et iterum vidi; imo instantem iam hydrophobiam prohibeant, (ut rara observatione in Muliere a Cane iam pridem morsa instituta cognovi), ubi nulla interiecta mora locum, qui praegressi vulneris indicia retinet, et tunc plerumque dolet, illico, et profunde inurant. Quomodo inutilem humorem trahendo, atque exsiccando humida, laxaque ulcera ad sanitatem perducant; tum absumendo quod in iisdem vel supercrevit, vel corruptum est, carnes luxuriantes

cohibeant, excrescentias, et callos tollant, atque ulcera a corruptione ita liberent, ut ea sublata queant includi; tum crusta inducta sauciato vasi, cuius vulnus consui nequeat, haemorrhagiam sistant; tum demum urendo ulceri corrupto, proserpenti, et fere cancroso limitem ponant, eiusque pravitatem ita emendent, ut bono orto pure cicatrice obducantur, imo humidae cariei progressus inhibeant, eam partim absumant, ac superstitis secessioni faveant, seu, ut Chirurghi loquuntur, eiusdem exfoliationem promoveant.

894. Haec bona rite, et opportune adhibita praestant Caustica, praesertim quae Actualia diximus, quaeque nudus ignis inurendo loco applicitus praebet: medendi genus, quod ad antiquiora, et praestantiora Artis praesidia pertinet. Ab HIPPOCRATE enim usque ad hanc diem qui Artis usu, et fama apud omnes Gentes inclaruere magni fecerunt, atque in plerisque chronicis morbis, iisque speciatim affectibus, quos proposui, summo Aegrorum commodo usurparunt. Quod si nostra aetate rarioris admodum usus istud praesidium evasit, aliis potius caussis referendum est, ac potissimum Aegrorum mollitiei, atque Artificum praeconceptae falsae opinioni, quam ei vitio vertendum sit. Non defuerunt siquidem vel nostris diebus, nec desunt insignes in Arte Viri, qui eo utilissime, nec infrequenter usi sint, eodemque non pauca mala sustulerint. Non una autem fuit ratio tum apud Veteres, tum

apud nos ignem adhibendi, prout mitiorem, aut validiorem eius vim experiendam existimabant. Ubi enim stimulare, calefacere, attrahere, atque exsiccare potius, quam inurere expediret, tunc ignitos carbones affectis locis, maximeque ulceribus appropinquabant, quin tamen illi cutim, aut ulcus tangerent. Quam quidem ignis utendi methodum Antiquis, et praesertim GALENO receptam nuper in Gallia restitutam, etsi non tanti faciendam esse, quanti prolatum est, ipse etiam didicerim; attamen interdum proficuam, et speciatim eligendam in quibusdam casibus ulcerum, tumorum, et contusionum, quos Illust. FAVRIUS, et RICHTERUS indicarunt, ratio, atque experientia suadent.

895. Si validior vero ignis actio conveniret, quae suppositam partem lente, et sine multo dolore inureret, eschara interim relicta, exedendae cutis particulae fungos, radices, Animalium faeces, linum, atque alia imposita Veteres accendebant, quae ignem facile conciperent, conceptumque ad cutim paullatim deducerent, donec eadem in escharam combureretur. In hunc finem grysea lanugo e foliis tusis, et tritis *Artemisiae vulgaris*, Moxa Iaponica dicta, instar turundae inurendae cutis particulae affixa, atque accensa a Sinarum, atque Iaponis incolis magni habetur, praesertim iterata pluribus turundis adhibitis inustione, tum ad tuendam valetudinem, tum ad restituendam ab arhtriticis, rheumaticis, aliisque chronicis morbis tentatam, aut iam laesam. Linum aliae Gen-

tes Moxae substituunt, nos vero, ubi eiusmodi lentae ustionis genus conveniat, aut aliud validius et promptius Aeger formidet, et respuat, eius loco utimur Gossypio, Aegyptiorum more, qui pyramidis ex eo factae ac linteo lineo convolutae basi inurendae particulae imposita, atque affixa, eiusque apici flamma dein admota, suppositam cutim, igne sensim gossypium depascente, comburunt. Ex hac sane ignis utendi methodo, quam ex Veterum consilio nonnulli ad pus etiam in empyemate sine incisione, aut punctione educendum magnificant, non levem utilitatem variis passionibus allatam cognovimus, ac praesertim quando in recentibus artuum, aliorumque partium cruciatibus ex cohibita cutis emanatione, aut leviori rheumatica caussa cum igne, et sine scarrificationibus impositae, ac saepius die rennovatae Cucurbitulae levandis, et discutiendis, ut solent mature adhibitae, doloribus impares extiterunt.

896. Huic interim administrationi, sive ea ignis actionem minus profunde, quam par est, deducat, sive eius vim non illa, qua interdum expedit, celeritate, et vehementia ad inurenda loca deferat, longe antecellere existimant Proceres Artis, eidemque generatim praeferre solent illam, qua non quidem ustorio speculo, (quamquam eo Cl. PEYRIUS (*a*) utiliter usus sit), vel pulvere pyrio in conum, aut pyramidem humoris ope redacto,

---

(*a*) Hist. de la Soc. de Méd. 1776. p. 296.

at candenti ferramento diversam formam pro vario ustionis modo, et loco habente ignis admovetur, ac subiecta cutis confestim inuritur. Hoc enim ustionis genus Veterum consensione, et usu probatissimum, quod Cauterium actuale vocatur, in iis omnibus casibus, quos iam indicavi (§. 893.), quanti fieri debeat non modo ex eius effectibus cuique pronum est intelligere; verum etiam tuto cognoscere ex fidissimis observatis, quibus insignem eius utilitatem in vario aegritudinum genere a nonnullorum criminationibus Nuperiores quidam vindicarunt. Quare mirari soleo rarissime a Medicis, imo nunquam a quibusdam, istam medendi rationem in contumacioribus chronicis morbis apud nos institui. Maxime vero quod eiusmodi ustione in occipite peracta, Cl. Viro, et dexterrimo Chirurgo PALLETTA referente (*a*), eclampsia idiopatica, et trismo correptos infantes ab horci faucibus saepe vindicaverit Ill. MOSCATUS, quem eximium, et nemini secundum Anatomes, Chirurgiae, atque Artis Obstetriciae Praeceptorem mihi extitisse nunquam obliviscar; quod eiusdem ignis usu Cl., expertissimusque Chirurgus RIBOLUS (*b*), variis paralysis speciebus, rheumaticis doloribus, rheumatismo inveterato, ischiade nervosa, atque imperfecta anchylosi graviter

---

(*a*) ROSENSTEIN delle Malattie dei Bambini. Cap. X. not. pag. 64.

(*b*) Sull' uso del Fuoco ec. Mil. 1787.

detentos Aegros sanaverit; quod eadem denique medendi ratio a me proposita egregie iis profuerit, qui diutina cephalalgia, et antiquis aurium, oculorumque morbis ex rheumatica caussa, aut ex serosa colluvie laborabant, tum paralysi rheumatica detinebantur, imo post irritum aliorum remediorum usum tres saluti reddiderit, quos ischias nervosa detinebat: morbi quidem contumax genus, cuius absolutissima historia, aliisque inventis Ill. COTUNNIUS Italicae Medicinae gloriam plurimum auxit. Curent idcirco qui salutarem Artem profitentur hoc etiam prudenter usurpato praesidio morbos discutere, atque ab Aegrorum animis omnem ex eo formidinem depellere, quod, ut notum est, maiorem metum, quam dolorem incutit.

897. Ad Caustica Potentialia plura referri solent. At cum horum aliqua ad hoc remediorum genus proprie non pertineant, nonnulla minus apta usui sint, et quaedam supervacanea iure habeantur, paucissima supersunt, quae a nobis debeant singillatim expendi. Porro quae huc revocatae fuerunt acres Stirpes, ac speciatim *Apocymum*, tum *androsaemifolium* tum *cannabinum*, *Alisma plantago aquatica*, *Clematis*, sive *flammula*, sive *recta*, *Anemone*, sive *pulsatilla*, sive *nemorosa*, *Helleborus niger*, *Daphne mezereum*, et *thymelaea*, *Anacardium*, sive *occidentale*, sive *orientale*, *Euphorbia*, vel *officinarum*, vel *esula*, aliaeve species, *Ranunculi* item species variae, ac praesertim *acris*, *sceleratus*, *flammula*, *bulbosus*,

ficaria, *thora*, aliarumque folia, radices, fructus, aliaeque partes, aut recentes, aut succi expressi, acres, inquam, eiusmodi Stirpes, quae assumptae, nisi protinus earum veneno vomitio, tepidae potiones, oleosa, mucilaginea, lac, interdum acida vegetabilia occurrant, gravissima mala, mortemque inferunt, si, unquam externe adhibentur, ut quaedam revera mitiores adhibentur, ad rubefaciendam cutim, non ad escharam inducendam imponuntur. Nonnulla vero usui minus apta sunt: quod de *Acidis* fossilibus non dilutis, et puris, *sulphurico*, *nitrico*, et *muriatico*, de quibusdam metallorum solutionibus, itemque de *Ammoniaca*, et *Soda* solutis perhibetur. Cum enim in eorum usu perarduum sit impedire, ne eadem, caeterum validissima, quatenus fluida sunt ad eas quoque partes se effundant, quae attingi non debent; hinc vel non adhibentur, vel solum in usum veniunt quando exedendus locus magnum spatium occupet. Supervacanea vero nonne erunt cum Sapientioribus Chirurgis habenda Caustica quaedam alias caetero usitata, nec a quibusdam neglecta, tum speciatim *Sulfates*, *aluminosus*, *cupri*, *zinci*, et *ferri*, *Oxydum cupri viride*, ac quae ex eo Unguentum Aegyptiacum, aliaque medicamenta parantur?

898. Probent sane qui postrema ista retinenda volunt accuratioribus experimentis, atque iteratis observationibus eadem singulare aliquod commodum afferre, quod ab Exedentibus, Causticisve hodie usitatioribus expe-

ctandum non sit, atque eorum sententiae tunc lubens subscribam. Ob eandem caussam vellem ab iisdem certius evinci *Oxydum arsenici*, seu Arsenicum album, quod potentissimum venenum intrinsecus sumptum aqua tepida, oleo, lacte, mucilagineis, alcalicis, sulphure sublimato, et sulphureto potassae vix enervandum vel exterius ad medendum adhibitum tam saepe gravem noxam intulit, verrucosum revera cancrum, et impune absumere, et prae aliis medicamentis exedentibus ad cicatricem disponere, qua demum firmetur. Vellem pariter ulterius ab ipsis confirmari quod de *Oxydo arsenici sulphurato luteo* seu Auripigmento Ill Rønnowius (*a*) protulit contendens cancrum labiorum, et mammarum non solum sanare in modum lamellae applicitum, sed adversus cancrosum virus vere antidotum largiri remedium, quod efficiat, quae Caustica caetera praestare non possunt. Vellem item ab iisdem, qui eiusdem Arsenici usum tuentur, certe ostendi ad Collyrium Lanfranci praeparandum idem adhibitum, remedium tantae virtutis ad ulcera faucium cancrosa suppeditare, quod non minus tutum sit, quam praestantius reliquis, quae alia Caustica soluta, ubi expediant, Medentibus erogant. Vellem denique aliqua observatione, quae tutissima sit, declarari non minus innoxium, quam aliquo in casu *Oxy-*

(*a*) Schwed. Abhand. 1778.

dum arsenici sulfuratum rubrum, seu Sandaracham mineralem, aut Realgar speciatim proficuum esse.

899. Dum autem in ea sum sententia, ut credam ab externo etiam usu Arsenici abstinendum esse, quia hoc pariter modo a vasculis susceptum, atque ad intimiora traductum teterrima non raro intulit mala, imo interdum perniciem, dispiciant quaeso Chirurghi, utrum mihi pariter assentiendum sit reputanti *Muriatem hydrargiri corrosivum*, seu Sublimatum corrosivum neque ad exedendos tumores, neque ad excrescentes absumendas carnes, neque ad ulcera abstergenda, neque ad eadem sive cancrosam, sive veneream, sive aliam virus habentem naturam adepta coercenda, ac sananda inspersum aut singulare, aut satis innoxium auxilium largiri. Ab eiusmodi quippe remedio sic adhibito quam saepe adducta mala in peius mutata fuerint, atque alia etiam graviora illata ab eius particulis ad intimiora corporis traductis me quidem dolet non minus in Medicorum libris legisse, quam in eorum curationibus observasse, qui nimium tum interno, cum externo Sublimati corrosivi usui favebant. Quod si non desint Chirurghi, qui ex eo paratae Aquae Phagedaenicae instar fotus adhibitae, aut etiam in uretram iniectae in adductis casibus plane innocuam, et medicatissimam vim tribuant; sunt quoque alii, qui eam neque ab omni discrimine vacuam, neque valde egregiam reputant, vel saltem

mecum existimant supervacaneam, cum alia tutiora, efficacioraque praesidia suppetant.

900. Itaque arbitror usui generatim sufficere quatuor tantum Exedentia potentialia, aut Caustica medicamenta, quorum duo in vivas partes operentur, alia etiam ad mortuas actionem suam extendant. Ad haec revoco *Muriatem stibii fumantem* seu Butyrum, vel Causticum Antimonii, et *Potassam fusam*, quae concreta Lapidem Causticum, aut Cauterium Chirurgorum constituit; ad priora *Nitratem argenti fusi* seu Lapidem Infernalem, vel Causticum lunare, atque *Oxydum hydrargiri rubrum acido nitrico confectum* seu Mercurium praecipitatum rubrum. Haec vero medicamina, etsi Caustico actuali non praestare, imo ei cedere non una de caussa iudicentur, iisdem tamen generatim usibus inserviunt, ac magnam saepe opem Chirurgis afferunt. Speciatim autem utuntur Butyro Antimonii, quod acerrimum summa promptitudine cutim erodit admotum, atque in escharam convertit, in callosis, fungosis, ac scrophulosis ulceribus, in corneae staphylomate, et proptosi iridis, in quibus casibus penicilli ope ita admovent, ut vix illinita loca tepido lacte eluant. Usitatior tamen est Lapis Causticus, qui caute diligenterque adhibitus, servatis nempe praeceptis, quae circa rectum modum utendi tradunt Chirurghi, suppositam partem potenter erodens, atque escharam inducens saepe utilissimum praesidium suppeditat. Enim vero, ut quod supercrevit,

et callosum, corruptumque in ulceribus est, absumant, interdum abscessus, interdum bubones, interdum hyrocelen aperiant, excrescentias, polyposque quandoque evellant, fonticulos excitent, atque alia perficiant, quae referre non vacat, Lapide caustico utuntur ii, qui manu medentur. In gonorrhea praeterea virus habente, postquam vis inflammationis deferbuit, Lapidem eiusmodi tanta dilutum aquae copia, ut solutio nimis acrem saporem in lingua non excitet, ac rite, et saepius in uretram idoneo instrumento iniectum non minus nova irritatione, et iam ex morbo praesenti contraria inducta, quam, ut quibusdam videtur, chemica potentia a vi affinitatis orta in ipsum virus operando, quod plane resolvat, atque in aliam innocuam naturam convertat, prodesse, et multis antistare methodis curationis cuique iam compertissimum est. Nec minorem adversus virus Viperarum, atque alia venena animalia ita adhibitum, aut in vulnus immissum, ut venenato humori admisceatur, facultatem polliceri ex iis innotuit, quae iam (§. 600.) attigimus.

901. Lapis infernalis usitatissimus esse solet ad fungosam carnem, et callos ulcerum, ac fistularum exedendos, ad verrucas, aliasve excrescentias erodendas, atque ad fonticulos excitandos; imo aqua dilutus roborandi, atque exsiccandi caussa ex Ill. PLENKII, aliorumque consilio punctis lacrymalibus infusus fistulae lacrymali prodest, quae eius-

modi medendi rationem admittat. In usum denique utilissime venit Mercurius praecipitatus ruber, qui ob maiorem vim Praecipitato albo praefertur, quando ulcera leni erosione abstergenda, vel fungosa exedenda sint, aut reprimenda, ubi eorum labia leviter callosa fiant, ulcerationes syphiliticae coerceri debeant, vel emendari, tum prohibendum sit, ne excisae verrucae, et condylomata, aliaque eiusmodi evulsa repullulent, quibus inspergitur, aut, ubi mitius agere conveniat, unguentis admixtus illinitur.

902. Caeterum qua ratione, quo tempore, quibusve regulis oporteat ista, quae modo proposui, tum Actualia, tum Potentialia medicamenta usurpare, ut nullam noxam inferant proximis partibus, quibus admoventur, atque Artificis expectationem expleant; quae imponenda sint post inustionem, ut eschara facile, et prompte secedat; quibus remediis applicitis moliendum, ut copiosa suppuratio superveniat; quando iteranda inustio sit, ut materies inutilis, arescente iam ulcere, iterum evocetur; quando id alienum sit agere, etsi vitium, cui per haec opitulamur, nondum conquieverit; quamdiu morbo devicto trahenda ulcera sint; quae praestare oporteat, ubi eadem, postquam diu fluxerint, sponte inerescant, aut implenda cicatrice videantur, Chirurgorum officium est speciatim docere.

903. Interea, antequam hoc caput absolvam, non possum non eos, qui manu me-

dentur, excitare, ut accuratis experimentis, observationibusque studeant nobis monstrare quantum utilitatis, et commodi habere queat nova illa ratio Exedentia, aut Caustica administrandi, quam Ill. BARRYUS proposuit, cum suasit summum esse proficuum Causticum nunc acidum, nunc alcalicum alternis impositum. Quamquam enim CULLENIO eiusmodi methodus ex voto non cesserit, vel ipsi nihilominus non aliena visa est; imo quibusdam Chirurgiae Professoribus magnum interdum subsidium allatura videtur. Videant itaque, utrum ei solum coniectura, an etiam experientia respondeat.

CAPUT IX.

De Sedantibus, ac primum de Antispasticis, dein de Sopientibus.

904. Post illa Artis praesidia, quae humani corporis vires morbidarum caussarum vi languentes, imminutas, suisque motibus, qua decet ratione, celeritate, et constantia obeundis impares stimulo nunc miti, nunc valido, nunc vehementiori excitant, erigunt, augent, ac non parum incitant, ad ea sermonem ducimus, quae easdem vires ex dissimili caussarum genere praeter modum affectas, nimium incitatas, excussas, et auctas, earumque inconditos, abnormes, et nimios motus, qui Animales, Vitales, ac Naturales functiones, vel singulas, vel omnes perturbant, ac laedunt, proindeque varias, et graves aegritudines inferunt, opportune, apteque adhibita ita moderantur, compescunt, imminuunt, atque ad naturalem ordinem revocant, ut generatim, et proprie Sedantia a Therapeutis soleant appellari. Haec vero in varia genera distingui consueverunt, quamquam non ab omnibus Medicinae Scriptoribus eodem modo. Nonnulli siquidem Sedantia secernunt in Paregorica, seu quae dolorem mitigant, quin eius caussam tollant, aut quae extrinsecus imposita eum leniunt; in Antispasmodica

quae spasmos, et convulsiones tum avertunt, tum solvunt; in Anodyna, quae interius sumpta sine ullo alio evidenti effectu dolorem discutiunt; in Hypnotica, quae dolorem dum moderantur et removent, levem, placidumque somnum accersunt, vel hoc inducto eum auferunt; atque in Narcotica, quae graviori concitato somno, seu potius citra noxam sopore, dolorem ipsum consopiunt, atque abigunt. Alii vero Sedantia in Antispastica, in Sopientia, seu Narcotica, atque in Refrigerantia mecum seiungunt.

905. De triplici igitur hoc Remediorum genere ita disseram, ut hoc Capite de Antispasticis loquar, ac de Sopientibus, sequenti vero de Refrigerantibus, ea solum persequens, quae ex manifestis eorum effectibus in morbis experientia compertis de ipsis viribus, atque usibus tuto proferri possunt. Si enim penitiorem, primamque eorundem agendi rationem, vel actionis principia vellem intimius cum Nuperioribus quibusdam Medicinae Scriptoribus rimari, oleum sane, ut in proverbio est, atque operam perderem. In ea quippe re tam densis adhuc obruimur tenebris, easque discutere aliqua luce affusa tam vanum adhuc est ob principiorum, e quibus ratio omnis deducenda est, seu omnis actio debet explicari, incertitudinem, aut ignorationem, ut ipsae etiam hypotheses ad probabilem saltem coniecturam constituendam hactenus invectae non aliquam nobis in obscuro versantibus facem praebeant, at solum

irritos plurium sapientium Virorum labores ostendant.

906. Quare missis iis, quae neque coniectura satis assequi possunt, cum primum de Antispasticis dicere constituerim, praestabit singula remedia persequi, quae adversus spasticos, et convulsivos affectus probantur. Quae quidem nec pauca sunt, nec ex uno genere petita, nec iisdem praedita viribus, nec in omni casu utilia, nec eadem agendi modo proficua. Cum enim non una sit caussa, quae nerveas, et carneas fibras ita afficit, ut spasmus, aut convulsio succedat, non unum quoque esse potest auxilii genus, quod aegritudinem eiusmodi compescat, et tollat. Aliud enim opus est si ab aucta virium actione, aliud si ab earum languore, aut defectu, aliud si ab alterno virium, et actionum incitamento, ac collapsu, spasticus motus fiat. Praesertim cum eiusmodi praeterea caussas modo a nervorum insigni debilitate, modo ab eorum nimia tensione, modo ab acri humore iisdem insito, modo ab affectibus, qui sensorium proxime detinent, modo a vitio musculorum, modo ab involucris nervorum laesis, modo ab aliqua proximarum partium labe, duce Ill. TISSOTO (*a*), primitus oriri Pathologi doceant. Hinc absolute Antispastica medicamenta non suppeditat Medicina,

(*a*) Traité des Nerfs Tom. II. P. II. pag. 234.

sed alia, atque alia pro caussarum discrimine usurpat, quae natura, proprietatibus, atque agendi ratione inter se adeo differunt, ut eadem ad certum, ac distinctum Caput a Therapeutis minus recte revocari multorum sit sententia. Hos vero neque probare, neque refellere animus est; cum eorum observatio eos solum afficiat, qui indiscriminatim cuncta veluti Antispastica proposita, uno sermone complectuntur, nec eadem mecum in varia genera seiungunt.

907. Porro Antispastica occurrunt plura, alia Vegetabilia, alia Fossilia, alia Animalia. Priora ex vario Stirpium ordine desumuntur, quae singulari potissimum odore, plerumque gravi, aut foetido antispasticam iam vim praemonstrare videntur. E Compositis desumitur *Artemisia vulgaris*, quam tamen, sicuti ad roborandum parvi feci (§. 794.), non pluris adversus hystericam passionem, et spasmos, quibus egregie opitulari Veteres existimarunt, nunc faciam; desumitur etiam *Tanacetum balsamita* seu Balsamitae maris herba fragrans, atque amara ab iis, qui eius in hysterica affectione, atque in melancholia adhuc dubiis viribus credunt; tum sumitur ab aliis non infimae notae Medicis *Tussilago petasites*, qui ab eius radice graveolente, ubi recens sit, paullo aromatica, acri, et leniter amara, tamquam alexipharmaca, atque antispastica superiori aetate apud nos magni facta, non solum boni aliquid in levioribus convulsivis affectibus iure expectant, sed ab

eadem ad unciam infusa, et quotidie diuque propinata epilepsiae, quod nimium est, curationem pollicentur (*a*); desumitur vero perraro, neglecta iamdiu *Anthemi cotula* seu Cotulae foetidae herba cum floribus, (utpote dubiae in spasticis Mulierum morbis efficacitatis) *Achillea millefolium* seu Achillea, cuius herba cum floribus ex levissime aromatico, et adstrictorio sapore cum prodat adstringentis, et roborantis virtutis indicium, non iniuria a quibusdam Chamomillae dosi commendata olim videtur in haemorrhagiis spasmo copulatis, in cardialgia, flatibus, passione hysterica, atque hypocondriaca, imo in ipsa epilepsia; dum interim ego tantam vim ei non inesse cognoverim, ac revera inefficacem in levioribus etiam casibus esse, suspicans potius *Achilleam ageratum* seu Agerati herbam odoram, atque amaram, nunc exoletam, minus imparem spasticis affectibus levandis futuram.

908. Longe aequiori proinde iure e Compositis Stirpibus Clinici desumunt, ubi antispasticum conveniat remedium, tum *Anthemis nobilis* seu Chamomillae Romanae, tum *Matricariae*, sive *parthenii* seu Matricariae, sive *chamomillae* seu Chamaemeli vulgaris flores, cum praeter reliquas iam expositas (§. 797. et seq.) vires, rite, atque opportune usurpati antispasticam quoque facultatem

(*a*) CRANTZ. Mat. Med. T. 2. p. 162.

exerant. Etsi enim eiusmodi vim traditae eo loco eorum qualitates manifeste indicent, eamque usus luculenter confirmet, non in quovis tamen ventriculi, intestinorum, atque uteri dolore, neque in omni spasticae, et convulsivae affectionis specie ipsam virtutem flores ostendunt. Nisi enim dolor, aut spasmus a flatibus, debilitate, laxitateque, aut stimuli defectu originem ducat, aut acrimonia, inflammationis metus, vel iusto maior irritabilitas absit, eiusmodi flores nec prosunt, nec conveniunt, qui etiam generatim hystericae, aut hypocondriacae passionis insultus saepe levant, ac subinde discutiunt quin generatim morbum radicitus tollant.

909. Validior igitur inter Compositas antispastica virtus *Arnicae montanae*, de qua iam dixi, (§. 799.) floribus tribuitur, sive ea cum quibusdam a resolvendi facultate derivetur, qua in cerebri nervorumque vascula obstructa agat, haerentesque humores discutiat, sive cum COLLINIO a singulari in cerebrum, et nervos actione deducatur. Porro eiusmodi remedium in spasticis, convulsivis, et paralyticis affectibus magni fit datum ea forma, copia, ac prudentia, qua dandum esse indicato loco monebam. Postquam enim IUNKERUS, ESCHENBACHIUS, MARCHIUS, aliique florum infusu potissimum usi plures Aegros a linguae, artuum, et totius lateris paralysi liberassent, COLLINIUS data opera florum vires antispasticas ulterius exploravit. Multis vero in medium prolatis curationum

exemplis summam florum utilitatem in omnibus paralysis speciebus, etiam gravioribus, neque amaurosi excepta, tum in morbis a convulsione, et spasmo profectis, ac speciatim in opisthotano, spasmo cynico, aliisque vehementibus malis. Verum monere oportet apud nos eiusmodi flores spasmos solvendi fine, caute etiam adhibitos, ob eas, quas iam proposui, caussas raro, quamquam indicarentur, Aegris opem praestasse, imo iisdem plerumque offecisse, dum interea adversus paralysim usurpati saepe effectu non caruerunt. Hemiplegiam enim hoc uno medicamento licet admodum gravem ter sustuli, linguae paralysim ex serosa apoplexia cum inde laesa deglutitionis potentia bis discussi, ac semel vesicae paraesim curavi. Caeterum animadverti, ut florum infusus in paralysi certius prosit, quandoque cum interno eius usu externum una esse coniungendum. Binae siquidem Mulieres non multae aetatis, ex hemiplegia paralyticae novem ab hinc annis in Valetudinario degentes cum ab Arnica intus diu assumpta nullam evidentem utilitatem accepissent, ab impositis postmodum floribus pristinum sensum, omnemque motus potestatem recuperarunt.

910. Quae vero ex aliis Stirpium Ordinibus antispastica Vegetabilia vel olim a Medicis peti consueverunt, vel adhuc promuntur, sunt ex Coniferis *Iuniperus sabina*, seu Sabina, cuius folia graviter olida, fervida, atque amara non solum ad menstruum san-

guinem pellendum aptissima olim habebantur ad dimidiam drachmam in pulvere, vel ad unam in infusu; verum etiam nervis affectis adversus spasmos proficua quibusdam visa fuerunt; ex Ascyroideis *Tilia europea* seu Tilia quatenus eius speciatim flores odoris suavitatem, quae tamen exsiccatione perit, late effundentes, ab HOFFMANNO, aliisque in spasmis valde probati, A q u a m f l o r u m T i l i a e Officinis praebent, quae ad mixturas antispasticas parandas crebro a BURSERIO usurpata, ab ipso etiam MURRAYO od vim analepticam, et discutientem flatus non parvi facta est (*a*); e Siliquosis *Cardamine pratensis*, cuius memini (§. 866.), flores utique largitur, qui acri amaritie sua vires spondent, atque eximii revera in convulsivis, et spasticis morbis, si comitialem excipimus, Ill. Viris BAKERO (*b*) et LYSONSIO (*c*) visi sunt, motis subinde sudoribus; sed neque Ill. GREDINGIO in gravioribus casibus, neque mihi in levioribus spasticis affectibus tentanti ex voto cesserunt; e Multisiliquis *Ruta graveolens* seu Ruta, et *Peonia officinalis* seu Peonia, quarum prima acris, fervida, leniter amara, et gravem admodum halitum spirans herba, etsi malignitatis, contagii, ac pestis antidotum a Veteribus perperam habita sit, atque ab

---

(*a*) Op. cit. Vol. III. pag. 527.
(*b*) Med. Trans. V. 1. p. 442.
(*c*) Practical Essays p. 173.

aliis deinde Medicis impensius, quam oportebat, in epilepsia, omnibusque pene morbis nervorum laudata fuerit, nimis tamen a Nuperioribus negligitur, cum stimulans, aromatica, et antiseptica interius in spasticis affectibus exhibita, atque in putridis etiam externis morbis usurpata saepe revera profuerit, et apte adhibita, ut vidi, soleat prodesse: quod quidem affirmare non possum de Peoniae radice, et floribus, quorum vires adversus epilepsiam, et spasmos olim adeo amplificatas post ea, quae speciatim in medium protulit Ill. TISSOTUS (*a*), frustra quidam, ut vel ipse experientia didici, tueri nituntur.

912. Quomodo vero quaedam inter Verticillatas quandoque possint pro varia morbi caussa, atque aegrorum conditione antispasticum largiri remedium, nemo est inter Medicos, qui facile non videat. Neminem pariter fugit ex Oleraceis non solum *Chenopodium* sive *vulvariam*, seu Atriplicem foetidam, aut Olidam, sive *botrytim* seu Botrytim vulgarem, sive *ambrosiodem* seu Botrytim Mexicanam herbas praebere a Medicis in morbis spasticis, ad quos non inutiliter adhibitas legimus, nimis hodie neglectas; verum etiam Camphoram, de qua fuse actum est (§. 849. et seq.) erogare in multiplici spasmorum genere valde proficuam, ac crebro

(*a*) Trait. de l'Epileps. 354.

usitatam, si in eo rerum statu, eo modo, eaque dosi, et prudentia exhibeatur, quam ibidem tradidimus. Antispasticam enim eius saepe egregiam facultatem Medicorum non pauci evicerunt cum ostenderint molestas ventriculi, intestinorumque inflationes, oppressiones hypocondriorum, singultum, asthmaticos insultus, malum hystericum, atque hypocondriacum, et inde ortas multiplices, ac gravissimas molestias, febrium horrorem, melancholiam, quasdam maniae species, aliasque aegritudines, quas spasmus, aut convulsio intulit, vel comitatur, quasque Clinici speciatim determinant, saepe aut mitigasse, aut etiam sustulisse, etsi interdum, Ill. HOMIO animadvertente, breve nimis sit commodum, quod Camphora affert, ac plerumque ad mali redditum inhibendum non valeat (*a*).

913. Quam autem eximium antispasticum remedium vel unum Aggregatarum Stirpium Genus suppeditet, nempe *Valeriana* cum ex *officinali* specie, eiusque potissimum varietate foliis angustioribus distincta, atque in montanis locis obvia praebeat Radicem, quae Martio ineunte, cum caulem nondum emiserit, effossa halitu aromatica, et foetida, ac gustui subdulcis, leviter acris, et amaricans est, quin exsiccata odorem, saporemque exuat, nisi etiam, BERGIO auctore,

(*a*) Clinical. exper. p. 193.

utrumque intensiorem prodat, nemo est qui inter Medicos ignoret. Quamquam enim RUTTYO, aliisque non videatur eiusmodi Valeriana ARAETEI, GALENI, DIOSCORIDIS, aliorumque Veterum *Phù*, atque a quibusdam in dubium revocetur ex ea destillationi tradita oleum essentiale, a SAGARIO praesertim indicatum, cum amara, atque odora aqua prodire (ego enim e tribus radicis unciis humida via distillatis tredecim grana eiusdem olei flavescentis, tenuis, acris, atque aquae innatantis (*a*) obtinui) in eo iam omnes Clinici consentiunt Radicem hanc antispastica facultate multis, ac maioribus morbis opitulari, imo in epilepsia curanda hactenus compertis remediis antecellere. Tot enim epilepsiae curationes a diversis caussis natae, et vim aliorum remediorum eludentis eadem absolutae memorantur a FABIO COLUMNA, PANAROLIO, SCHUCHMANNO, MARCHANTIO SAUVAGESIO, HALLERO, aliisque, tot sunt nuper ab Ill. TISSOTO in aureo eius de Epilepsia tractatu prolatae, ut cum eo existimandum sit, quoties haec radix prae caeteris medendi methodis indicata non prosit, toties declarari nullam amplius curationem morbum admittere, ac vitium nervorum in eorum origine medicaminum potentiam longe superare. Hinc ego pluribus curationibus (quas iam alibi retuli (*b*), et quibus alias

---

(*a*) Op. Therap. pag. 231. (*b*) Op. cit.

postea institutas addere possem) Aegrorum, quos modo idiopatica, modo secundaria, modo sympatica epilepsia detinebat, evidenter cognovi nullum ea praestantius, ac magis generale nobis suppetere dirae huius aegritudinis auxilium, quod iis etiam in casibus, quibus ob impossibilem caussae amotionem a me exhibita Valerianà mederi nequivit, confirmatis nervis, atque irritatione mitigata boni aliquid generatim praestiterit insultus retardando, atque una eorum impetum minuendo.

914. Non ergo audiendi sunt qui Valerianae Sylvestris radicem vel inertem, vel stomacho nocuam, vel non satis experientia contra epilepsiam probatam adhuc praedicant. Eos porro non unam caussam in errorem adduxisse verisimile est. Radicem forte administrarunt aestate collectam quando viribus prorsus expertem usque ad semunciam inutiliter propinari CULLENIUS observavit. Dederunt maiori copia, quam initio conveniat, quod ubi fiat anxietatem aliquam inferre doseos imminutione, vel Macidis additamento facile avertendam Cel. TISSOTUS concedit, nos interim monens stomachi mala quae ex Valeriana interdum visa dicuntur verosimiliter profecta fuisse a radice venenati Ranunculi, quae in quibusdam Officinis cum ea incaute confusa aliquoties occurrit. Valerianam praeterea usurparunt nulla praemissa corporis praeparatione, quam tamen pro varia Aegri conditione dissimilem plerumque

necessariam esse MARCHANTIUS, et TISSOTUS monuerant, qui modo sanguinis missionem, modo antiphlogistica, modo diluentia, modo balnea, modo incidentia, modo purgantia, modo alia praemittere consueverunt. Ipsam forte nimis parva dosi exhibuere, aut non ea, qua magis expedit forma, non scilicet ab uno scriptulo ad drachmam, quae dosis sensim aucta bis, terve etiam die pro re nata praescribitur, aut aliis potius modis quam in pulvere, qua ratione praestare Valerianam experientia mihi monstravit, cum ostenderit salutem hac forma duobus Epilepticis attulisse, qui eam infusam sine ulla fere utilitate diu usurpaverant. Eam quoque praescripserunt non cum scobe ferri, ac potissimum cum Cortice Peruviano, aut cum aliis remediis, quorum coniunctio vires ei non adimit, imo saepe novas addit, sed cum aliis copulatam medicamentis, quae eius indolem invertunt, aut efficacitatem enervant. In eius usu victus opportunam rationem neglexerunt Aegris imperare, ac praesertim a vino abstinentiam, quod non minus morbi naturae favens, quam remedii actioni contrarium adeo observavi, ut inde non raro inutiliter susceptae curationis una caussa extiterit. Remedii usum tamdiu non protraxerunt quamdiu ad curationem, atque ad facilem morbi redditum praecavendum necesse erat, neque subinde, eo relicto, et morbo sublato, saltem intra annum, ut soleo praecipere, ad eum iterum per aliquod tempus redierunt.

Denique ideo inefficax remedium habuerunt, quod non animadverterint ab iis caussis morbum non raro progigni, quas Ars nequit superare, tum in comitiali morbo, etiam quando is Medicinae vires non excedit, spectata dissimilitudine caussarum, summam esse variae, ac multiplicis curationis necessitatem.

915. Haec autem cum ostendant iure Valerianam adversus epilepsiam eximiam iudicari, caussam quoque ostendunt, ob quam aliis etiam convulsivis, et spasticis morbis persaepe medeatur, cum scilicet horum curatio longe minus difficilis habeatur. Sunt eiusmodi cephalalgia, hemicrania, affectiones hysterica, atque hypocondriaca, nimia mobilitas, aut sensilitas partium, stomachi intestinorumque passiones a nervis primario affectis, aliaque mala a simili caussa orta, quae sola Valeriana tum Clinicorum plerique superarunt, tum ego ipse pluries sustuli. Ea scilicet mala radix Valerianae sylvestris sustulit, quae *Valeriana celtica* seu Nardo, aut Spica celtica sanari aeque posse ii existimabant, qui perperam, ut multiplici experimentorum serie demonstsavi (*a*), istam speciem sylvestri supparem esse coniiciebant. Haec vero nisi Celtica Valeriana, saltem radice *Valerianae phù* seu Valerianae maioris; (quae ut saporem, odoremque, sic vires

(*a*) Op. cit. pag. 230. et seq.

attingat sylvestris) tolli pari efficacitate posse, qui arbitrantur, proferant quaeso observationes, quae eorum coniecturae respondeant. Ego enim hisce destituor, quibus possim eiusmodi opinionem vel confirmare, vel refellere.

916. Interea abs re non erit meminisse Valerianae Sylvestris radicem non conditionem nervorum solum immutando adductis morbis mederi, sed etiam excretionem aliquam generatim promovendo. Modo enim sudorem, modo urinam, pro vario Aegrorum discrimine, sollicitat, incitando, roborando, ac discutiendo. Hinc originem duxerunt Valerianae praeconia in paralysi, obstructionibus, et leucophlegmatia: in quibus morbis nisi perpetuo, interdum tamen profuisse verisimile est, ac mihi revera non una observatione compertum. Nuperrime siquidem in Viro epilepsia laborante, cui leucophlegmatia se adiunxerat, consueta Valerianae dosis urinas tam valide, ac crebro excivit, ut hydropisi brevi discussa, copia remedii imminui debuerit, ne nimio, quod adhuc ciebat, urinarum profluvio, vires prosterneret, aliisve modis noceret. Caeterum Valerianae, (quam cum BERGIO vomitum non concitare, atque alvum vix unquam laxare vidi), ad medendum reliquos usus alibi attingam.

916. Nunc ordo postulat, ut ad Umbellatas accedam Stirpes ea negligens Vegetabilia, quae ex aliis Ordinibus sumptas veluti antispasticas quidam nobis minus recte pro-

posuerunt. Quis enim censebit ex Personatis ductam *Verbenam officinalem* seu Verbenam contusam, et capiti impositam spasticae cephalalgiae, sive diutinae, sive vehementi mirifice mederi, etsi ETTMULLERUS, FORESTUS, HAENIUS, aliique tradiderint? Ego sane non credam, licet omni medicata virtute cum quibusdam destitutam vocare non possim Verbenam postquam didici expressum ex ea succum paullatim ad unam, alteramve drachmam, donec aliquot eius unciae insumantur, febri tertiana, interdum duplici, non pravae interim indolis, occupatis pluries salutem attulisse, ac pueris minori copia exhibitum non sine nausea, aut vomitu profuisse; etsi tamen non in omni febrium constitutione, ut perperam Vulgus alicubi existimat, proficiat. Quis rursus e Rhoeadibus flores *Verbasci thapsi* seu Verbasci flores, licet suaviter oleant, antispasticos cum aliis Medicinae Scriptoribus censebit reputans animo eiusmodi vim experientia constitutam non esse? Harum sane Stirpium loco magnam quisque fiduciam iure optimo habebit in Peruviani Corticis usu cum singularis eius in nervosis, spasticis, et convulsivis morbis praestantia, ubi a laxitate orta aegritudine non stimulo iniuriosam potentiam adimere, non irritare, aut valde calefacere, sed fibris robur restituere, atque humoribus naturalem densitatem reddere conveniat, omnibus iam Clinicis compertissima sit. Tunc enim modo per se, modo cum Valerianae radice coniun-

iunctus, modo aliis admixtus remediis, modo cum lacte, aut mucilagineis, quae nimium stomachi sensum retundant, unitus tantam efficacitatem ostendit, ut nulli pharmaco cedat, atque hystericis, hypocondriacis nervosa debilitate, et spasmo diversarum partium laborantibus, epilepticis, ac convulsiva tussi obnoxiis, ac varia convulsionum specie occupatis summum praestet pharmacum, quod malum vel avertat, vel leniat, vel radicitus tollat. Quo vero a Corticis agendi ratione minus recedunt Amara caetera, et Roborantia, quae alibi exposui, eo etiam utilius in nervosis, spasticis, et convulsivis morbis ei suffici solent. Quare facile crediderim Corticem *Swieteniae mahagoni* ex Insulis Caribaeis ad nos nondum allatum in istis quoque morbis Cortici Peruviano persimilem vim habiturum, si qualitates, et reliquas eiusdem vires habeat, quemadmodum quidam nuper tradiderunt (*a*).

917. Iam vero de iis Umbellatis dicam, quae gummi-resinosa medicamenta erogant non mediocris virtutis ad spasmos mitigandos, ac discutiendos, monens interea Umbellatarum Stirpium, de quibus iam dixi, semina, quae sapore, et fragrantia praestant, ipsa quoque, sive agendi ratio spectetur, sive natura morborum, quibus auxilio sunt, ad Antispastica iure revocari. Iam vero e *Ferulae*

(*a*) Murr. op. cit. Vol. VI. p. 132. et seq.

assae foetidae in Persia crescensis radice, non ex caulibus, succus lacteus, et pinguis incisione uberrime distillat, atque interdum arte exprimitur, qui Solis vi album colorem amittens in frusta flavescentia, seu potius, purus ubi sit, pallide rubra, atque albis granis interspersa concrescit; quae ad nos advecta adhuc vehementem, foetidissimum nidorem sibi proprium cum Alii odore coniunctum spirant, acrem, et calidam amaritiem habent, atque aqua, et alcohole soluta plus gummi, quam resinae largiuntur. Quamquam autem dubium sit, an succum istum, ut patet, perperam in Officinis olim gummi vocatum, Veteres Laseris, vel Laserpitii, vel Succi Cyrenaici, aut Syriaci nomine cognoverint, (quem succum ad ciborum usitatissimum condimentum Indi recipiunt), dubium sane non est, eum a paucis granis ad scriptulum, quae dosis iteratur, et sensim augetur, pilularum forma, quae invisas eius qualitates obvelat, assumptum, vel ad quatuor scriptula, vel ultra cum lotione infusum, interdum instar suffitus usurpatum, eximiam antispasticam potentiam ostendere, eamque cum roborante, discutiente, atque antiseptica, aliisque facultatibus consociatam. Doloribus quippe ventriculi, et intestinorum, tympanitidi, hypocondriacis, hystericisque affectibus, a rarescente aere, laxitate, debilitate, et spasmo illatis potenter subvenire, epilepsia obnoxiis, in apoplexiam non sanguineam pronis, asthmate ex pituita, ac praesertim ex spasmo, ac convulsione labo-

rantibus saepe auxiliari, ac tum in morbis generatim nervosis, et spasticis, tum in aliis non paucis, expedita ciborum coctione, mensibus avocatis, sudore incitato, alvo interdum reserata, deturbatis vermibus, ac putredine cohibita, non mediocrem opem afferre Assam foetidam praestantiores Clinici observarunt. Quare mirari subest tam magnum Artis praesidium, quo vel nuper reluctantem diu, multumque remediis aliis asthma spasmodicum bis die redeuntem cum suffocationis metu in Viro, atque in Foemina mira promptitudine curavi, a plerisque Medicorum negligi, praesertim cum innocuum existat, ubi calefacientis remedii usum morbi, aut aegri natura non excludit, atque ad nauseam, et molestiam, quam foetore suo quibusdam parit, avertendam satis est aut mucagine involvere, aut in alvum saltem infundere.

918. Qui vero succus tum sponte, cum incisione e trunco *Bubonis galbani* extillans, ac deinde concretus in grana, vel in massas e Mauritania potissimum, atque ex Persia adfertur, Gummi Galbani nomine, licet gummi-resinosus appareat, mucilagine arabica, aut syrupo commode subigendus, ubi probae notae sit, non arenulis, terra, aliisve alienis rebus admixtus, non fuscus, non durus instar ligni, aut vix odorus, aut vix aliqua praeditus amaritie, at molliusculus, pinguis, tenax, albicans, vel flavescens, foetidus, gravis, ac non sine acri fervore amaricans

stimulando, et resolvendo egregie prodest in morbis spasticis, et convulsivis, atque in pectoris pituitosis affectibus, viscerumque obstructionibus ex laxitate, in quibus tutum, et utile est irritare, ac calefacere. Secus medicamentum, quod non infrequenter video egregie prodesse a medio scriptulo ad unum, vel alterum mucilagine involutum, aut mixturis additum, certo noceret. Hinc declaratur cur intrinsecus sumptum, vel exterius ad bubones, et tumores maturandos, atque ad paralytica membra stimulanda in modum emplastri usurpatum gummi Ammoniaco praeferri soleat, hoc vero ei, utpote minus calefaciens, ac magis resolvens, anteponatur, ubi resolvere conveniat.

919. Vires Galbani aemulari, atque in iisdem casibus sive interius, sive exterius adhibitus eadem dosi prodesse dicitur, (licet debilior revera sit, et rarius per se adhibeatur) succus ille, qui in calidioribus regionibus, ac praesertim in Sicilia, e *Pastinaca opoponace* prope radicem incisa aestivo tempore erumpit gummi-resinosus, et lactescens, dein sponte inspissatus in grana, vel grumos, vel glebas ad nos pervenit, atque Opoponax dicitur. Probatur qui in lacrymas concretus est, aut granatim adhaeret, nitet extrinsecus croceo colore, intus albicat, friabilis est, ac pinguis, graviter olet, et multa, ac persistente pollet amaritie. Reiicitur qui in glebas compactus ob admixtas caulium festucas sordidus est, nigricat, ac minus amarus, atque

una ingratus gustantibus apparet. Huic accensetur concretus pariter succus plus resinae, quam gummi habens *Sagapeni* nomine in Officinis cognitus, quatenus idem ex Persia allatus, auctore MURRAYO, ex Umbellata stirpe erumpere videtur, etsi eiusdem genus adhuc ignoremus. Adfertur nunc in massas, nunc in glebas, nunc in frustula coactus, quae ut figura, magnitudine, mollitie, et puritate; sic etiam colore saepe differunt, qui tamen ad rubrum, quo magis accedit, eo meliorem, purioremque indicare succum dicitur. Hodie vix non obsoletus nobis est, quamquam ex similitudine odoris validi, quam habet cum Assa foetida, ex saporis nauseosi, fervidi, amaricantis, et acris indole, atque ex sententia Medicorum tutissimum sit existimare, ad utiliora Antispastica remedia eum pertinere, ac commode posse Assae foetidae substitui quoties paullo mitius agere oporteat, nec necesse sit, ut ea promptitudine, qua Assa foetida solet, medicamentum operetur.

920. Istis saltem gummi resinosa natura accedunt succi alii concreti, quorum tamen usus, si unum excipimus, apud nos vel eviluit, vel nondum invaluit. Etenim quae in Officinis adhuc occurrit Tacamahaca, perperam gummi vocata, cum resina sit ex *Fagara octandra* in Curacao potissimum obvia, ab inciso cortice extillans, ac concreta in glebas variae magnitudinis viridescentes, sordibus saepe inquinatas, fere pellucidas, tena-

ces, valide fragrantes, halitu instar lavendulae, ac leviter amaras olim egregie antispastica, et discutiens, etiam in suffitu igne resoluta ab hystericis, atque asthmaticis una cum aere inspirata, hodie eviluit adeo, ut vix emplastris addi soleat, utpote quae facile cuti adhaeret. Usus vero apud nos nondum invaluit *Carannae gummi*, seu gummi resinae ex Palma nondum determinatae speciei, inciso cortice, erumpentis, quae in Nova Hispania vel exterius imposita dolores sedare, atque etiam dentium, temporibus applicita dicitur. Neque invaluit usus succi magna ex parte resinosi, odoris gravis, leviter balsamici, ac saporis paullo acris, quem ex America advectum, nec notum genere, nec a me hactenus visum, gummi *Kikekunemalo* dictum, MURRAYUS nuperrime describens (*a*) voluisset minus dubia roborantis, resolventis, discutientis, atque antispasticae virtutis argumenta in morbis praebuisse. Neque usu hic invaluerunt gummi *Galda*, et gummi *Look*, quae duo gummi resinosa corpora ignoti adhuc generis ad medendum proposita, atque in natali loco interdum adhibita idem MURRAYUS recensuit monendo utriusque facultates resolventes, discutientes, atque antispasticas, ac caeteras, quae alterutri tribuuntur, experientia nondum suffultas

(*a*) App. Vol. VI. pag. 207., et seq.

esse (*a*). Unum proinde est gummi *Ammoniacum*, quod a Medicis negligi non debet. Sed cum eiusmodi gummi resinosum corpus hactenus prolatis antispastica virtute longe debilius habeatur, ac magnam potius apud Medicos famam ob resolvendi, ac discutiendi virtutem sibi comparaverit, de eo rectius alibi disseram.

921. Itaque sermonem convertam ad ea Antispastica, quae ex Animalium genere Medicina hodie desumit. Negligam idcirco illa omnia, quae licet adhiberi alias consueverint; attamen non Antispastica esse, at superstitiosa, vana, atque aliena ratio, atque experientia, nostra maxime aetate, monstrarunt. Quisnam *Mytili margaritiferae* calculos, quos Uniones Latini, Perlas, aut Margaritas Medici vocarunt, tum grana Kermes e *Coco ilicis* petita, e quibus succulentis cum saccharo Syrupus alkermes adhuc conficitur, tum e *Coco cachti* sumptam Coccinellam ad ea remedia, quae cephalica, analeptica, cardiaca, atque alexipharmaca dicebantur, pertinere arbitrabitur? Quisnam vero cordatus non risu excipiet, quae de *Unicornu* seu dente e superiori maxilla *Monodonis monoceratis*, Narvhal dicti, prodeunte in scobem redacto, tamquam eximio exanthematici, contagiosi, et maligni cuiusque morbi remedio, atque epilepsiae, omniumque pene cerebri, nervorumque affectuum absolutorio, unde

(*a*) Op. et Vol. cit. pag. 200., et 210.

antispastica Praeparata, et Composita medicamenta ingrederetur, fidenter proferebantur? Quisnam os petrosum *Trichechi manati*, vulgo Lapidem Manatum eximias adversus epilepsiam, et spasmos possidere facultates cum RIVERIO, et HOFFMANNO censebit, aut cum aliis pares vires, *Hippopotami amphibii* dentibus comminutis in pulverem tribuat? Quisnam ex *Elephante maximo* desumptum Ebur in scobem redactum compositis medicamentis adversus convulsiones, et spasmos olim magnifactis addendum suadebit, vel contra epilepsiam, vertiginem, aliasve spasticas, et convulsivas passiones adhibitam *Cervi alcis* seu Alcis sinistri pedis ungulam in pulverem tritam non irridebit, aut vulgo dabit arefactum *Caprae hirci* Sanguinem partim in nervos operando, partim humorum coagulum impediendo mala a metu, et terrore futura praecavere? Quisnam non absurdas arbitrabitur, quae tum pilae e paleis, plantarum recrementis, et terreis particulis ob interpositum gluten natae in ruminantium Animalium, ac speciatim *Caprae rupicaprae*, seu Rupicaprae ventriculis, tum *Aegropilae*, aut calculo e quarto ventriculo sumpto *Caprae bezoarticae*, Bezoar iamdiu vocato, a Medicis caeterum magni nominis tribuebantur, qui utrumque, ac praesertim Bezoar, ut cephalicum, analepticum, cardiacum, antispasticum, alexipharmacum, omniumque pene venenorum antidotum habentes passim ad medendum receperunt? Haec quisque despiciet,

maximeque indignabitur Cranium hominis violenta morte absumpti in tenuem pulverem comminutum antispasticum, cephalicum, atque epilepticis utile quosdam habuisse, ac praesertim spiritum, et sal volatile, utrumque ex eo destillatione consequutum; plerosque adipem in cerebri, nervorumque morbis, ac rheumaticis doloribus illinitum olim probasse, neque Vulgum adhuc adspernari; alios Mummia ex Aegypto allata spasmos, atque epilepsiam solvere tentasse; nec demum Epilepticos horruisse gladiatoris, vel nocentis hominis iugulati calidum sanguinem bibere, ut morbo se liberarent: „ apud quos, inquit „ CELSUS (*a*), miserum auxilium tolerabile „ miserius malum fecit „.

922. Verum si ista, aliaque huius generis ab Arte longe aliena sunt, non desunt tamen (etiam si mittam unguen illud e magno folliculo *Viverrae zibethae* olim petitum singulari valido, atque aromatico halitu donatum, acre, nauseosum Moscho par virtute perperam habitum, atque apud nos obsoletum) duo ex Animalibus sumpta medicamenta Antispastica, quibus rationalis Medicus fideat. Unum *Castor fiber*, alterum *Moschus moschiferus* suppeditat. Primum quod spectat nostra scire interest, in illius animantis binis folliculis ovi gallinacei magnitudinem fere habentibus, iuxta anum, et uretram sitis,

(*a*) Lib. III. pag. 157.

atque a testibus diversis, contineri pinguedinis speciem, instar sebi sensim indurescentem, leviter nigricantem, singulari odore penetrantissimo aromatico, et gravi donatam, gustui amaram, paullo acrem, et nauseantem, inflammabilem, atque e materie compositam, quae partim resinosa est, partim mucilagineo gelatinosa, partim extractiva, ac sale, quem Ill. NYCOLAS *Phosphatem ammoniacalem* declaravit, dum Ill. FOURCROYUS invenit resinam illam aemulari eam, quae ex bile educitur, atque in ipsa omnem vim medicatam delitescere. Eiusmodi materies Castoreum vocatur, quod in multis cellulis secretum, quae duos maiores folliculos componunt, nisi fibris, et membranis intertextum sit, verum, purumque non habetur; quamquam hoc etiam modo adulteratum interdum occurrat sanguine, atque adipe animantis in iisdem folliculis oleosae materiae loco arte immissis. Ex minori interim odore, quem tunc spirat folliculus, fraus detegitur, imo facta solutione cognoscitur, num aliis modis, nempe Ammoniaco, Sagapeno, melle, arenulis, aliisve additis rebus lucri cupido Castoreum corruperit, quod ex Rutheno imperio allatum, utpote odoratissimum, aliunde petito praestantius, et medicatius censetur.

923. Castoreum sane post HIPPOCRATEM, GALENUM, aliosque Veteres communi fere consensu par remedium ubique Medici habuerunt musculorum inordinatis motibus consopiendis, mobilitati nervorum sedandae,

spasticis doloribus ex aere stomacho, atque intestinis vim inferente mitigandis, erigendae cordis, aliarumque partium irritabilitati, aliisque alibi proponendis effectibus praestandis. Verum cum quidam Artis Proceres nostra aetate monuissent, nullam occurrere certam observationem, quae tantas vires demonstret; cum Ill. HOMIUS in adductis casibus inutile, aut parum efficax Castoreum se observasse tradiderit, cum denique neque in Cel. ALEXANDRI periculis (§. 541.) neque in iis, quae ipse institui, audacter a sano homine assumptum vel calorem auxerit, vel pulsum concitaverit, sui nominis plurimum amisit. Caeterum fateor, ut iam monui, (§. 541.) mutata sententia, quam alibi posueram (*a*) sicuti novae observationes me docuerunt, odore praesertim suo, hystericis, ac convulsione leviori detentis non raro subvenire, ubi et simpliciori ratione, et maiori dosi, quam fieri olim consueverat, nempe pilularum forma a decem granis ad scriptulum, iterata etiam dosi, vel alcohole extractum ab octo guttis ad triginta propinetur. Quamquam vero hac ratione proficuum existat, quando tamen validum Antispasticum requiritur Medici expectationi explendae impar est.

924. Sed quae Castoreum in spasticis gravioribus affectibus non explet vota Me-

---

(*a*) Opus. Therap. V. I. pag. 305.

dicorum, explet singularis illa materies Moschus nuncupata, quae in *Moschi moschiferi* folliculo prope genitalia conspicuo collecta per bina foramina hiantia e corpore excernitur. Ea siquidem pinguis, sebacea, gryseo fusca, leviter amara, paullo acris, eminus fragrantissima, et proprium odorem summopere penetrantem, diutissimeque persistentem retinens in iis corporibus, quibus tenuissimas sui particulas, in infinitum pene dividuas, quae undique emanant, vel minima copia tribuerit, in nervosum genus tanta promptitudine, ac potentia operatur, ut dum quibusdam Mulieribus, ac Viris sensilioribus cominus olfacientibus vertiginem, nauseam, animi deliquium, aut convulsionem quandoque infert, avocatque interdum e naribus sanguinem (*a*), tum iisdem, tum caeteris nervosa, convulsiva, et spastica affectione laborantibus si propinetur validissimum, utilissimumque remedium generatim largiatur. Mira siquidem Moschus tenuitate partium donatus, et fugacissimus illico cuncta permeans cerebrum, et nervos proxime afficit, ac nervearum fibrarum, dein muscularium conditione mutata, ac postmodum facile propagata actione ad caeteras partes, cum quibus odorem suum, qui spiritum, urinam, ac sudorem etiam inficiat, evidenter communicat, ad subitos, multiplices, ac magnos edendos effectus accommo-

---

(*a*) TRALL. Diss. de Limit. laud. Moschi. §. 4.

datissimum sane pharmacum est; ubi tamen istud integras suas proprietates retinens odorum maxime sit, neque viribus aetate effoetum, neque alia ratione enervatum, aut etiam alieno additamento corruptum. Qui enim Moschus super candentem laminam impositus non illico flammam concipit, non foetidum, ac leviter urinosum halitum emittit, non in auras fere omnis abripitur, at potius in terream materiem convertitur, quique praeterea ferrugineo colore caret, ac parum odorus percipitur, non purus, non integer, atque optimus est; sed vetustus, non rite servatus, vel sanguine, adipe, aut carne animantis corruptus, terra Iaponica admixtus, aliisque rebus lucri caussa a Mercatoribus adulteratus iudicatur.

925. Unde nam vero tantam Moschus accipit potentiam? Ut eiusdem caussam, seu verum actionis principium patefacerent Therapeutae ad ea, quae cum Moscho olim egerant Chemici, studium revocarunt. At perperam, donec Nuperiorum industria Moschi principiis certius declaratis lumen in obscurissima re nobis affulserit. Postquam enim Moschum componi cognovissent ex materie, alia resinosa, alia gelatinosa, alia extractiva, atque ex quodam sale, quem incognitum natura Cl. MARABELLIUS *Phosphatem ammoniacalem* esse nuper reperit, demonstrarunt deinde odorem resinae, (quae interim copia gelatinae, atque extractivae parti plurimum concedit), ita proprium

esse, ut eadem dempta, e superstite materie odor ipse adimatur, quemadmodum virtus adimitur. Quod si Aqua ex addito Moscho odoratissima quoque sit, nec efficacitate careat; perperam inde quidam concludunt resinae neque odorem, neque virtutis principium adhaerere. Nam, praeterquamquod aquea tinctura Moschi utroque respectu plurimum cedit tincturae alcohole confectae, ideo aqua odorem, et vim a Moscho adiecto, ut experimento innotuit, accipit, quia ipsa resina ob arctum cum aliis principiis, quae aqua solvuntur, nexum in eam quoque partim transit. Et re quidem vera si post resinam eductam quod de Moscho superest aqua solvas, neque illam fragrantiam, neque Moscho propriam vim idem patefaciet. Sed haec fusius alia occasione pertractabo, quando nempe experimenta, atque observata referam, quibus studeo verum in Medicina praetium, atque usum constituere tum Stirpium, quae Moschum redolent, sicuti sunt *Geranium moschatum*, *Malva moschata*, *Lathyrus moschatus*, atque aliae, tum speciatim seminum *Hibisci abelmoschi*, quae istis magis fragrantia, indole, ac vehementia odoris ad Moschum adeo accedunt, ut succedaneum huic remedium erogare posse, atque etiam, ex eo, quod emulsionis forma exhiberi queant, commodissimum MURRAYO (*a*), aliis-

---

(*a*) Op. cit. Vol. III. pag. 376.

que probabili admodum coniectura visum fuerit.

926. Interea mihi licebit ex Moschi resina odoratissima potiorem eiusdem pharmaci vim deducere, qua cuncta pervadens evidenter excitando, nervorumque conditionem mutando torpentes vires excutiat, humorum motui opposita impedimenta removeat, contractiones convulsionesque solvat, perturbatas functiones ad pristinum ordinem revocet, ac sudorem leniter invitet. Qua quidem multiplici actione perspicuum fit quomodo Moschus languidis, debilibus, hystericis, hypocondriacis, melancholicis, ac paralyticis mirifice subveniat; quomodo Aegris, qui detinentur sopore, ac nervosis, et malignis febribus, morbisque exanthematicis, ac variolis ex retropulso exanthemate, aut aegre erumpente, aut ex prava febris non inflammatoriae indole gravioribus laborant egregie auxilietur; ac quomodo denique epilepticis interdum profuerit. Omni siquidem noxa caret, ac summa revera promptitudine, atque efficacitate adducta mala mitigat, et sanat, quando spasmus, et convulsio a languore, et debilitate originem ducunt, aut ab ea nervorum conditione, quam volatile, et penetrans remedium repente mutat, eaque confestim mutata, malum cessat, aut quando Moscho a morbi natura, eiusque caussa indicato neque humores nimio impetu caput subeunt, neque corporis habitus exsuccus est, neque calor excedit, neque nimia irritabilitas, ple-

thora, proclivitas ad inflammationem, aut consuetudo ad haemorrhagiam praesto sunt. Quamquam enim interdum a Clinicis clari nominis animadversum sit in spasticis affectionibus, artuum tremoribus, tendinumque subsultibus, in quibus neque utilis, neque innoxia Camphora extiterat, Moschum exhibitum, etiam pulsu duro existente, non raro profuisse; singulari morborum, caussarum, Aegrorumque naturae id tribuo, cum in ea sim sententia, hoc pharmacum, quo saepe utor, generatim non convenire, quoties vires adhuc vigent, neque a debilitate, aut languente sensu nervorum motus abnormes fiunt.

927. Quare qui in morbis nervorum, ac speciatim in epilepsia, in mania, atque in colica Moschum indiscriminatim praescribunt, videant quid agant. Etsi enim Moschi usu duos Viros epilepticos olim plurimum iuverim, ac Mulierem ex diutino moerore, epilepticam nuper sanaverim, in Adolescente tamen, atque in Virgine observavi comitialem morbum, quoties Moschus datus est, toties crebriores, validioresque insultus accersisse, quia scilicet in illis a debilitate, ut visum est, morbus originem agnoverat, in istis a terrore natus firmas admodum corporis vires nondum fregerat. In maniacis vero, etsi ego nunquam Moschum dederim, ter tamen ad curationem ab aliis adhibitum delirium, et furorem auxisse potius vidi, quam mitigasse. In colica item, quam hystericam

Mo-

Moscho saepe curavi, interdum in alvum infuso, memini eodem remedio audacter dato auctos plurimum fuisse intestinorum cruciatus, quia Artifex sero cognovit cum nervorum affectione instantis inflammationis indicia subesse. Quod si addimus, quae de Moscho Vir summae auctoritatis TISSOTUS docuit, eum (*a*) quandoque instar Opii agere, atque huic certa dosi datum fere suffici posse; quam maiori sane diligentia curandum non erit, ne indiscriminatim in quavis spasticae, et nervosae aegritudinis specie, aut in quovis Aegro adhibeatur?

928. Quam caute profecto eum administrandum esse crediderim ubi podagra ad interiora delata caput, aut stomachum prehendit, ac cephalalgiam, delirium, vel cardialgiam, singultum, aliaque mala suscitat. Quemadmodum enim eiusdem morbi, Aegrorumque differentiis spectatis facile assequor cur non raro Moschus a CULLENIO datus potuerit profuisse; pari modo vereor, ne interdum ad ea lenienda mala, atque ad podagram revocandam non valeat, imo noxam inferat. Non enim semper a debilitate, et spasmo podagra repellitur, nec ab iis, quae excitant, et calefaciunt ad pristina loca tuto revocatur; imo diversam indolem praeseferens, atque ob dissimilem prorsus caussam interiora subiens contrario remediorum genere solum-

(*a*) Traité de l' Epilep. pag. 321.

modo mitigatur, atque ad artus iterum adducitur. Memini revera vomitus ex arhtritica materie in Viro mediae aetatis subinde podagra tentato, imprudenter repulsa, ex Moschi usu tunc a Medico non ignobili instituto crebrioris, ac vehementioris facti, atque iam inflammationem minitantis (remedii partite in pilulas dati duabus drachmis triduo insumptis), nec prius sublati quam relicto eiusmodi pharmaco, detracto bis sanguine, ac lacti sero abunde propinato, aptius curationis genus Artifex elegerit, quod protinus vomitum lenivit, dein sustulit, podagra utrumque pedem denuo invadente.

929. Ob adductas proinde caussas sciant se tutissime non agere qui Sinensium more Moschum, ubi conveniat, ad quadraginta, aut sexaginta etiam grana intra diem impendunt. Quae enim ob crebrum usum iisdem innocua, ac proficua methodus est, apud nos generatim neque impune, neque utiliter admittitur. Qui enim tanta remedii copia eius efficacitati certissime prospici, atque eiusmodi consuetae doseos, quae a paucis granis ad viginti divise exhibendis communiter statuitur, incremento, bonitatis defectum, qui in Moscho persaepe occurrit, apprime compensari putant, ii quidem ignorare videntur, quod plerique observarunt Medicorum, largiter Moschum in convulsivis, spasticisque affectibus assumptum eos plerumque exasperare, aliasve noxas inferre, quodque docuit CULLENIUS Moschum dete

rioris notae, ac parum odorum copiosius datum ea commoda non afferre, quae minori quantitate odoratissimus, optimusque praestat. Qui rursus ad vim Moschi vel mitigandam, vel acuendam, ut singulares indicationes tutius expleant, nitratem potassae, aut saccharum, aut alia remedia ei addunt, aut alcohole solutum propinant, non animadvertunt priori ratione vitium non sine virtutis dispendio detrahi, altera effici, ut tutum interdum non sit ob additi liquoris naturam tantum Moschi praebere quantum oporteret. Quam ob rem in Moscho adhibendo commodissimum mihi perpetuo visum est, eum mucilagine arabica involutum ad duo, vel tria grana quavis hora, aut secunda, aut tertia exhibere, (nisi sex, octo, aut decem eius grana una vice danda esse singularis postulet casus, ut interdum evenit) nec prius intermittere, quam eius actio manifeste se exerat; dein ipsum iterum offerre; atque aptis vicibus ita eum modo relinquere, modo ad eum redire, donec malum prorsus amoveatur. Quo quidem fine quandoque expedit Moschum, ut dixi, (§. 927.) in alvum, ad unum saltem scriptulum, infundere: quod praesertim soleo quoties eum, licet indicetur, deglutire cubans Infirmus renuit, vel ob spasmi vim non potest, aut crassa intestina, proximasque partes, ac speciatim vesicam, et uterum spasmus occupat.

930. Ingreditur demum Moschus plura Officinarum Composita adversus spasmos

probata, ac speciatim recipitur ad conficiendum Pulverem Tunquinensium contra hydrophobiam a rabidorum animalium morsu nascentem magnopere, atque instar antidoti a non paucis celebratum. Insignis quippe virtus in eo dirissimi morbi genere Moscho tribuitur. Sed quid de huius, quidque de illius pulveris efficacitate, et usu in hac aegritudine existimandum sit, opportunius dicam quando de hydrargyro loquens rimabor praecipua medicamenta, quae ad hydrophobiam sive praecavendam, sive curandam hactenus a Clinicis prolata fuerunt. Quam ob rem ea nunc persequar, quae ad spasmos solvendos e Fossilibus peti solent.

931. Ex his varia Praeparata, ac Composita medicamenta in spasticis, ac convulsivis morbis usitata, atque utilia sunt, dum contra parum arte mutata vix aliqua, nec quidem multi usus, aut multae facultatis, remedia ex ipsis ducuntur. Nam *Succinum eletricum*, seu Ambra lutea, vel Succinum, quod in glebas, aut frusta varia magnitudine, et forma praedita ex Borussia praesertim advectum, eo magis probatur, quo minus ex fusco lutescit, ac concretum pellucet, et quo plus aromatici odoris affrictum emittit, validioremque, et suavem igni iniectum cum fumo exhalat, saporemque quodammodo resinae vix nauseantis, atque acris gustatum ostendit, antiquitus roborans, ac d cutiens habitum, dein tamquam egregie antispasticum, et morborum capitis, nervorumque re-

medium ab octo granis ad scriptulum magni factum, per se, nisi suffimentis inserviat, nunquam, utpote hac forma inefficax, hodie praescribitur. Nec *Ambra ambrosiaca*, seu Ambra grysea, quae sicca, fragilis, levis, ex gryseo cinerea, albidis striis notata, exiguo calore facile liquescens, grato praedita aromatico odore, ac paullo acris, etsi initio insipida videatur, ob suavissimam fragrantiam, quam candenti ferramento imposita exhalat, (praesertim si ex Orientalibus Indiis perveniat), plurimi ad medendum olim facta a Clinicis praestantioribus exhibetur. Hi siquidem nesciunt iis subscribere Medicinae Scriptoribus, qui Arabes sequuti, quibus Ambra in pluribus morbis probatissima erat, sine necessario observationum subsidio a quatuor granis usque ad triginta partite sumptam Ambram ad omne nervorum genus in plerisque affectibus convulsivis, et spasticis, maximeque Infantum, excutiendum, et roborandum magnificant. Nec *Bitumen asphaltum*, seu Bitumen Iudaicum, vel Asphaltum, concretum, friabile, fractura lucidum, nigricans, empyreumaticum, acre, et nauseans, olim ad Ambrae pondus vel intrinsecus, vel instar suffitus usurpatum, in passione hypocondriaca, vel hysterica, aut in aliis morbis sive stimulandi, sive discutiendi fine unquam adhibetur. Nec demum *Bitumen petroleum* nisi resolutum in liquorem, qui pro vario Petrolei discrimine vel nigricat, vel rubet,

vel albicat, Naphtam sistat, medicatis usibus inservit.

932. Quod si illa medicamenta ex Fossilibus ducta, maximeque ex Ferro, quae iam veluti eximia Roborantia proposita sunt, (§. 770. et seq.) ad hoc quoque Caput a Therapeutis soleant revocari, et quidem optimo iure, non concludendum est, ut quidam temere faciunt, eadem Antispastica generatim esse. Ut enim tutissima sunt, et reliquis remediis antecellunt, quando morbi nervorum a solidarum partium debilitate, et laxitate, indeque nato fluidarum etiam vitio originem ducunt, aut invalescunt, quemadmodum SYDENHAMII, WERLHOFFII, aliorumque experientia iamdiu innotuit; ita non conveniunt, ac plurimum nocent, Praestantissimo TISSOTO (a) sapienter observante, quando febris lenta, nimius sanguinis motus, insignis tensio vasorum, bilis copia, aut congestio nervis stimulum praebent, eosque irritant. Neque ab eiusmodi agendi ratione, exceptionibusque excludenda esse crediderim ea Fossilia, quae ex Adstringentibus sumpta in convulsivis, spasticisque morbis interdum proficua censentur, ac speciatim *Oxydum zinci sublimatum* seu florem Zinci, et *Cuprum ammoniacum*, quorum vires antispasticae satis superque (§. 765., et 769.) investigatae fuerunt, tum *Muriatem cupri ammoniacum subli-*

(a) Op. cit. T. II. P. II. pag. 311.

matum seu Entem Veneris, alias in spasmis, atque epilepsia probatum, aut remedium illud, cui longe maiores vires nuperrime tribuuntur, nempe *Arseniatem acidulum potassae*, qui a quadragesima grani parte ad vigesimam sine ulla noxa epilepsiam sanasse novissime traditur. Quin neque ipsum *Oxydum bismuthi album acido nitrico confectum* seu Magisterium Bismuthi, quod ab Ill. ODIERIO ad spasticas praesertim stomachi contractiones utiliter adhibitum, in pluribus dein morbis a me iamdiu est exploratum (*a*), non alio videtur modo, quam stimulando, roborando, atque adstringendo operari, atque ideo ad unum, vel alterum granum cum pauxillo sacchari, modo bis, modo quater die, aucta interdum dosi, administratum in dyspepsia, in cephalalgia, vertigine, hypocondriasi, subinde in malo hysterico profuisse, ac spasticis stomachi contractionibus ab eo proxime ob imbecillitatem, ac laxitatem fibrarum affecto excitatis fere semper remedio fuisse.

934. Illa quoque medicamenta ex vario rerum genere a Chemicis varia opera educta, praeparata, aut composita, quae singulari efficacitate caeteris antistare Antispasticis auxiliis, ac propria veluti natura in omni fere convulsiva, et nervosa affectione insignem opem afferre, ac generatim convenire a ple-

(*a*) Op. Therap. V. I. Opus. II.

risque Medicorum censentur, nempe tum illa Salia volatilia, quae uno *Carbonatis ammoniacalis* nomine complectuntur, tum *Olea* sive *volatilia* e triplici naturae regno, sive *empireumatica*, non ita sane Antispastica sunt, ut in omni casu proficiant. Id enim rationi, atque experientiae adeo repugnat, ut quidam cum VIRIDETO, RAULINIO, POMIO, aliisque in morbis nervorum generatim nocua, ac vitanda esse crediderint, sive instar odoramenti naribus admoveantur, sive intrinsecus usurpentur. Utrumque quidem nimium. Enim vero dum experientia suffultus contendo illa medicamenta nec certam perpetuo utilitatem afferre, nec omni semper noxa carere, tutissimum arbitror eorum efficacitatem, atque usum intra eos limites coercere, quos de nervorum morbis omnium optimus Scriptor TISSOTUS invenit, et constituit. Postquam siquidem observasset Volatilia, ac Stimulantia fibrarum actionem augere, atque a Roborantibus ex eo solum discrepare, quod illa dum operantur promptitudine acquirant, ac quodammodo rependant, quod salutaris mutationis effectum protrahendo ista efficiunt, rectissime concludit Spirituosa, ac Volatilia, quando vis nimium aucta, tensio, et caloris incrementum morbum inferant, aliena, et nocua esse, contra vero convenire, ac prompte adhibita saepe prodesse quando sensus, motus, et caloris defectus, aliaque significent malum a debilitate primitus oriri. Cuius quidem sententiae veritas

ex iis etiam ulterius patebit, quae singula illa medicamenta persequens monebo.

935. Porro *Carbonas ammoniacalis* seu Alcali volatile ignis ope, sive ex variis obtineatur Animalibus, eorumque partibus, sive ex Cornubus *Cervi elaphi*, Sal volatile Cornu Cervi nuncupatum, sive e *Colubre bero* seu Vipera, Salis Viperarum nomine cognitum, sive ex *Muriate ammoniacali*, seu ex Sale Ammoniaco, vel Armoniaco, quemadmodum quo ad naturam, ac necessarias proprietates idem semper est, (etsi possit aliquatenus differre Sal tum Cornu Cervi, tum Viperarum ob oleum adhuc unitum, quo in casu magis antispasticum, et nervis amicum a Clinicis censetur), ita pariter aeque irritat, potenter vires incitat nervorum, cordis motum intendit, calefacit, et sudorem movet. Quamquam proinde Sal eiusmodi vehementi halitu, et valida acrimonia donatum vel concretum, vel praesertim fluidum, maximeque si gas acidum carbonicum amiserit, a tribus granis ad scriptulum syrupo, aut mucilagine exceptum, vel in aliquot aquae unciis solutum sopore, et lethargo ex mucosa colluvie detentis, in syncopem lapsis, paralyticis, atque hystericis, vel convulsis ex debilitate subvenire, interdum solummodo olfactum, ac subinde etiam opem aliquam chronica arhtritide, aut podagra, aut syphilide occupatis praestare soleat, ubi virium infirmitati prospiciendum sit, nec prodest, nec sine maiori, aut gravi salutis detrimento iis datur, qui

spasmo, convulsione, nervorumque mobilitate ex dissimilibus caussis laborant.

936. Nec dissimili modo mihi agere videtur, caeterum natura, et forte agendi mechanice dissimilis, *Phosphorus*, quem excitandi, discutiendi, et roborandi caussa olim propositum, atque exterius potius, quam intrinsecus adhibitum in apoplexia, paralysi, epilepsia, aliisque morbis nunc ad unum, vel alterum granum mucilagine, syrupo, aut alio idoneo remedio urentem eius potentiam contemperante involutum, bis, terve die intrinsecus datum in pluribus, quam deceat, casibus veluti summum analepticum, atque antispasticum sudoremque pellens pharmacum quidam nuperrime extollunt. Memini siquidem earum observationum, ut caeteras praeteream, quas sexdecim ab hinc annis cum eodem medicamento instituit Summus Clinicus MOLINARIUS nimis propere Medicinae abreptus, ut mihi tunc Vindobonae versanti ostenderet Phosphorum in nervorum inveteratis, gravioribusque morbis dumtaxat prodesse quando extimulans, vehementer excitans, ac corroborans medicamentum debilitas postulat, atque alia eiusdem generis auxilia ob consuetudinis vim, aliasve caussas irrita, vel non satis efficacia cesserunt.

937. Neque dissimilem agendi rationem patefaciunt, ac diversum usum habent iidem *Carbonates ammoniacales aqua diluti*, qui Spiritus volatilis Cornu Cervi, Spiritus volatilis Viperarum, et Spiritus Salis Ammoniaci tar-

tarisatus in Officinis hactenus dicuntur. Hi siquidem liquores a guttis sex ad viginti, triginta, vel ultra Mixturis, aut medicatis Aquis additi nerveis, et carneis affectis fibris, earumque actione incitata, erectis viribus, et calore, motuque aucto, iisdem morborum speciebus subveniunt, quas paullo ante indicabam. Praestat tamen istis validiori actione *Ammoniaca* seu Alcali volatile causticum, vel Spiritus Salis Ammoniaci caustici, qui generatim in adductis casibus, ubi potentius conveniat remedium, proponitur, ac speciatim ad eos, qui mephitium viru oppressi, submersi, refrigerati, aut aliter laesi asphyxia, aut morte apparenti detinentur, aut paralysi, sopore, aliisve morbis, ubi vehemens stimulus indicetur, laborant, excutiendos, atque excitandos tum naribus admotum, et temporibus, faucibusque illinitum, tum intrinsecus datum magni usus est. Quin imo propria quadam virtute mirifice valere ad hydrophobiam, ad Viperarum, aliorumque Colubrum virus, ad fungorum venenum, ad syphyliticam luem, ad pestem, atque ad multigena toxica enervanda, et corrigenda, tum inde orta mala sananda intus assumptum a plerisque nuper prolatum est. In istis sane casibus quandoque proficuum extitisse, etsi antidotum non recte dicatur, denegari non potest, nec potest denegari vix haustum validissimae suae actionis indicia edere. Sed quaeso animadvertant Medici tam fervidum, acre, et causticum remedii genus, quod nonnisi ma-

gna liquoris copia contemperatur, quam caute, et quam raro, ubi etiam vehemens requiritur stimulus, sit praescribendum.

938. Si igitur minus valide, et tutius agendum videatur, huic recte Clinici substituunt *Saponulum Ammoniacae*, qui Gallis Aqua Luciae, nobis audit Spiritus Salis ammoniaci succinatus. Mitiorem quippe vim ostendit a sex granis ad drachmam, si Spiritus eiusmodi exhibeatur modo saccharo imbutus, modo in aliquot Aquae vel simplicis, vel stillatitiae unciis solutus; unde ad ea mala, quae paullo ante proposui, crebro recipi consuevit, eaque revera saepe mitigat, et removet. Interim apud nos crebrioris usus esse solet, ubi in spasticis affectibus, in convulsionibus, in malo hysterico, in epilepsia, lethargo, et sopore, atque in exanthematicis, rheumaticis, aliisve morbis, expediat stimulare, potenter discutere, corroborare, ac pellere, *Succinas ammoniacalis aqua dilutus*, seu Liquor Cornu Cervi Succinatus. Est enim medicamentum, ut passim experior, accommodatissimum si idoneo liquore commixtum Infantibus detur a guttis quatuor ad decem ad convulsiones removendas, quae difficilem dentitionem praecedunt, et comitantur, aut repulso exanthemati succedunt, tum Feminis a guttis duodecim ad quadraginta, et ultra propinetur ad eas turbas malorum, et molestiarum sedandas, quas ex debilitate saeviens passio hysterica suscitat. Quin imo medicatius revera fit, atque Aegris opportunius istud re-

medii genus, ut magni nominis Clinici iamdiu tradiderant, si nunc *Etheri sulphurico alcoholizato* seu Liquori anodyno Minerali, nunc Laudano liquido varia proportione pro re nata admisceatur. Priori siquidem modo flatibus, syncope, et serosa capitis passione detentis, chronica arhtritide cruciatis, et debilibus, ac paralyticis, altero hystericis certius, et promptius opitulari non sine experimentis traditur. Sive itaque Spiritus Cornu Cervi alcalicus ab Acido Succinico dum saturatur, atque in sal medium convertitur proprii aliquid, quo medicatior fiat, accipiat, sive illud tantum, quod aeque Acidum quodvis vegetabile posset tribuere, quemadmodum CULLENIUS censuit, nostra parum refert quos unum interest novisse, nempe Liquorem Cornu Cervi Succinatum tam commodum, atque utile esse medicamentum, ut iis nequeam assentiri, qui aut parum efficax, aut saltem supervacaneum temere iudicant.

939. Quid autem de altero Volatilium medicaminum genere, quod Olea volatilia, sive Fossilia, sive Animalia, sive Vegetabilia praebent, existimandum sit, nunc breviter dicam. Scire enim expedit inter Fossilia non solum *Petroleum fluidum* aut Oleum petrae, sed ipsam quoque Naphtam, licet repetitis destillationibus limpidissima, et tenuissima evadat, tam ingratum sapore, atque halitu remedium suppeditare, ut, etiam si valido stimulo suo, ac foetido odore antispasticas interdum opportunas vires, et indi-

cet, et revera quandoque ad paucas guttas assumptum ostenderit, Medicina despiciat, ac nunc etiam Vulgus raro apud nos soleat ad enecandos vermes, aliosque usus haurire. Nec ipsum Oleum Succini (quod improprie Fossilibus accenseri Nuperiorum est sententia), utpote extimulando, ac vires incitando antispasticum valde utile a duabus guttis ad duodecim olim habitum iteratis operibus depuratum invisas qualitates ita exuit, aut singularem aliquam virtutem ostendit, ut ab exoletis medicamentis vindicandum mihi videatur.

940. E contrario in omnibus pene morbis convulsivis, et spasticis praestantissimum pharmacum a plerisque censetur Oleum illud, quod e Cornu Cervi, vel ex ossibus reliquorum Animalium, aliisve partibus, vel ab ipso sanguine destillatum, dein tot destillationibus submissum, donec volatile, pellucidum, et tenuissimum fiat, Oleum animale Dippellii nuncupatur. Istud enim oleum, nisi minus diligenter servatum, aut minus caute assumptum ob receptum aerem flavicans, aut fuscum, plus foetidum, et spissum evaserit, ac vehementem summeque penetrantem halitum perdiderit, vim suam prompte diffundere, intimiora quaeque pervadere, omne fibrarum genus, maximeque nerveas valide afficere, earum conditionem mutare, atque actionem tum proprio stimulo, tum alia etiam non satis comperta ratione intendere, et sudorem movere a guttis sex ad quindecim, viginti, triginta, et ultra

partite, et aucta pedetentim, apteque iterata dosi assumptum, modo cum Aqua stillatitia, modo cum Saccharo, modo cum *Ethere*, modo cum eo *sulphurico alcoholizato*, imo exterius affrictum stimulare, discutere, solvere, atque ad interiora etiam hac via deductum alios suae virtutis effectus edere Medicorum non pauci perhibent. Quod quidem ideo fidentius tradunt, quod in omni spasmo, in quavis convulsione, in qualibet nervosa aegritudine, (neque epilepsia, atque hydrophobia exceptis) in quovis arhtritidis, aut podagrae dolore, atque in quacumque paralysi idem Oleum, ubi sanguinis nimia copia, aut inflammatio abesset, aut insigne levamen, aut salutem attulisse vel ipsi testentur, vel aliis credant.

941. Tanta ne uno pharmaco virtus? Eam profecto admittant qui volunt, dummodo mihi liberum sit fateri, ipsam neque rationi, neque propriae observationi respondere. Dissimilitudo siquidem caussarum, quae nervorum affectus, spasmos, convulsionesque movent, dissimilis quoque curationis necessitatem evidenter arguit. Observatio vero me docuit, ubi excitare, roborare, ac sanguinis motum intendere oporteat, commodum utique, atque innoxium esse auxilium, interdum praestans, quae alia praesidia non potuerunt; sed eiusmodi interim esse, quod non raro fallat, aut exiguam opem, et parum duraturam afferat, ubi etiam apprime idoneum videtur, et curatio non perardua

iudicatur. Superioribus siquidem annis pluries in Aegris eiusmodi Olei rite praeparati vires mihi exploranti eius usus parum auspicato cessit, quoniam hystericas molestias mitigavit, passionem non sustulit, spasticos capitis, et stomachi dolores, vertiginesque non prohibuit, etsi mitiores interdum reddidisset; ab epilepsia sanavit neminem, ac raro novos eiusdem insultus retardavit; nec arhtriticos dolores discussit; nec paralysim unquam vicit, quamquam animi aegritudo, reprimentia eiusdem pathemata, ac corporis debilitas, et laxitas morbum attulissent, nec quidem solutu impossibilem. Aliorum quippe Roborantium, et Stimulantium medicaminum vis ea mala prorsus abstersit.

942. Quae cum ita sint prudentis Medici erit in aestimandis viribus, atque usibus Olei animalis intra modum se continere, neque, ubi tamquam penetrans excitans, extimulans, ac corroborans medicameutum conveniat, eiusdem olei virtutem nullis terminis circumscriptam credere. Utrum vero quod istud praestat aeque efficiat Oleum empyreumaticum quodcumque e Vegetabilibus pari ratione, iteratis scilicet destillationibus, purum, tenuissimumque factum, sicuti testatur CULLENIUS, id nondum a Clinicis aliis confirmatum est. Hoc nihilominus verisimile cuique videbitur reputanti Medicos non minus Oleis empyreumaticis animalibus, ac speciatim Oleo Cornu Cervi, et Viperarum, quam iisdem e Vegetabilibus destillatione conse-

quutis, ac nominatim Oleo fuliginis, et Oleo Buxi e scobe ligni *Buxi sempervirentis* destillato fere easdem, etsi debiliores, facultates olim tribuisse, quae oleo Animali Dippellii competere dicuntur. Ista nihilominus, ac caetera item empyreumatica Olea, cuiusque generis sint, vix interdum vulgus apud nos adhibet, ac nemo fere Medicorum intrinsecus sumenda ad aliquot guttas praescribit, aut illinienda suadet. Nec multi usus in Insubria iam esse incipit e *Fuligine* (quam in passione hysterica rusticae Mulieres nunc perraro assumunt, nec amplius adversus tineam, scabiem, atque ulcera usurpant), inter destillandum liquor descendens, quem ab oleo seiunctum, atque iterum destillatum Spiritum Fuliginis Medici dicunt, atque *Acidum pyro-lignosum cum pauca ammoniaca* Chemici nominant. Ad spasticas siquidem, et convulsivas affectiones curandas, neque ii solent eiusmodi Spiritum administrare, qui in chronicis pituitosis pectoris morbis, aliisque, ut discutiant, vires incitent, et sudorem proliciant, a paucis guttis ad scriptulum eum subinde praescribunt.

943. Quando vero inter Antispasmodica innoxium, atque una commodum locum habere queant Olea Volatilia, quae essentialia appellantur, ex iis, quae hinc illinc de Stirpibus, Seminibusque disserens, e quibus destillationis subsidio promuntur, alibi indicavi, tum de Stimulantium, et Calefacientium usu in spasticis, et convulsivis affecti-

bus saepius hoc Capite monui, tam perspicue arbitror innotuisse, ut modo supervacaneum censeam Olea singillatim persequi Anethi, Cumini, Anisi, Melissae, Menthae, Rutae, et similium in Officinis prostantia, aut de Oleo Terebinthinae, alibi expendendo, disserere. Praesertim vero cum haec, quae solum stimulando, et calefaciendo prodesse possunt, raro admodum conveniant; tum iisdem longe antecellere unum Medici existiment, ad quod expendendum protinus accedo. Illud quippe Oleum, quod ex *Melaleucae leucadendri* Indiarum Orientalium arboris diversis partibus, ac potissimum e foliis exsiccatis destillatum a Belgis in Europam advehitur nomine Olei Cajeput, cum oleo Cardamomi, cui simile videtur, perperam confusum, aquae innatans, atque in auras facile avolans ad praestantiora Antispastica pertinere censetur ubi nullo additamento corruptum, purumque sit. Optimum porro iudicatur pellucidum, leviter flavum, admodum tenue, fugacissimum, halitu vehementi, nares vellicante, non ingrato praeditum, ac sapore aromatico proprio donatum; quamquam eiusmodi rarissime occurrat. Cum enim caro admodum praetio venire soleat, saepe adulteratum ad nos usque adfertur.

944. Quare, ne quisquam Mercatorum fraude deceptus in eiusdem Olei administratione spe excedat, sciat necesse est, non solum illa, qnae ad stillatitii cuiusque Olei adulterationem detegendam generatim valent, sed

etiam quae in hoc speciatim oleo animadversionem exigunt. Si enim Oleum Caieputi vehementem Cardamomi odorem spiret, atque una viridem habeat colorem ex Cardamomo potius, quam e Leucodendro sumptum fuisse suspicaberis; si ex coeruleo viridem colorem referat, atque interim pelluceat, tuto existimabis Cupri aliquid inesse, sive e vasis ad destillationem, quae in Insula Banda suscipitur, adhibitis, sive a cupreis phialis, quibus interdum inclusum in Europam advehitur, profectum, quod certius Chemicis notissimis operibus declaratur; si vix pellucidum intensiorem, et fuscum virorem exhibeat, resinam Millefolii additam coniicies, quam destillatione, atque alcohole, Cl. SANDIO auctore, deteges; si ex odore, aliisve notis Terebinthinae Oleo admixtum credas, suspecti olei guttula imbutam chartam ex Cl. BIDERMANII conslio ignis calori admove, ut percipias, an validus Terebinthinae halitus erumpat; si cum viredine odorem Rorismarini exhalare sentias, non iniuria huius oleum, ut saepe fit, continere arbitraberis; si denique ex fragrantia Camphorae propria, atque huic persimili sapore, qui etiam in ore fervoris sensum initio excitet, dein frigoris, additam Oleo camphoram metuas, istud, Ill. HAHNEMANO monente, Saccharo admixtum aqua solve, et tunc eam secerni videbis.

945. Cum autem tot modis, ac tam saepe Oleum Caieputi corrumpi soleat, cave, ne inde concludas quoties non prosit adhibi-

tum, toties ob alienam indolem non profuisse. Ita quidem fidenter decernunt qui Oleum istud ad penetrandum, ad stimulandum, ad calefaciendum, atque ad sudorem etiam movendum ob auctos solidarum, fluidarumque partium motus revera aptissimum, tam propriam, tamque insignem antispasticam possidere facultatem existimant, ut in omni pene spasmi, convulsionis, et doloris specie etiam graviori, aut diuturna quae vel omne corpus, vel caput, pectus, aut stomachum, ipsum ventrem, ipsosque artus invadat, et occupet, summum praestare remedium credant, quod ipsis pronde epilepticis, chorea S. Viti affectis, catalepticis, colica laborantibus, hystericis, hypocondriacis, arhtriticis, et paralyticis, atque amaurosi, ac cataracta detentis datum insigne confestim levamen, ac dein salutem afferat. Sed quam vanum saepe sit istud ex medicamenti adulteratione desumptum perfugium tum horum morborum dissimiles caussae, tum in Aegris instituta experimenta luculenter demonstrant. Ubi enim virium actio nimium excussa, fibrarum tensio, humorum copia, fervor, et nimius motus, ab acri humore irritatio, atque alia spasmo, convulsioni, et dolori, caussam praebuerint, Oleum istud et alienum, et valde nocuum futurum quis denegaverit?

946. Ex eo vero quod a me adhibitum optimae notae Oleum, quando maxime convenire censebam, et adhuc existimo, (ubi

stomachi, intestinorumque affectio a laxitate, debilitateque nata molestas inflationes, dolores, aliasve spasticas, et convulsivas turbas vel in istis partibus, vel ex consensus lege in caeteris suscitabat) raro malum radicitus sustulerit, etsi plerumque caloris aucti, inductaeque mutationis manifestum praebens indicium, ac subitum levamen afferens integram morbi curationem polliceretur; non possum sane in remedii adulteratione caussam perpetuo quaerere, ob quam ipsum interdum meam, aliorumque fiduciam fefellerit. Praesertim cum in morbis nervorum, qui caput primario afficiunt, atque in epilepsia malum potius augere, quam sedare, aut tollere observaverim, quamquam istud medendi genus convenire videretur, atque Oleum ad quatuor vel octo guttas, bis, terve, aut pluries die, interdum una vice maiori dosi, datum fuisset, et quam diligenter assumptum, nunc cum aqua stillatitia, nunc forma eloeosacchari. Quare illud etiam arbitror ubi eiusmodi Oleum vel exterius usurpatur, ut rheumaticos, et arhtriticos dolores tollat, atque eosdem affectus resolvat, vel denti carioso inditur, ut cruciatum auferat, vel in aures ad surditatem tollendam demittitur, vel alias ad curandam ophtalmiam oculis admovetur, vel paralyticis illinitur membris, vel cum unguentis, aut emplastris additum suffusis, et suggillatis locis, varicibus, et caecis haemorrhoidibus imponitur, non modo prudentissime in omni casu, qui eiusdem usui appri-

me faveat, esse tentandum, sed eo praeterea animo adhibendum, ut Artifex non existimet tam validum, et tutum suppeditare praesidium, ut quidam temere tradiderunt.

947. Quid quod? ipse *Ether*, quo volatilius, quo tenuius, quo penetrabilius, quo ad agendum promptius nullum hactenus pharmacum innotuit, arctioribus, quam quibusdam visum est, limitibus circumscriptam antispasticam facultatem exhibet. Etenim *Ether sulphuricus* seu Naphta Vitrioli, aut Ether Vitriolicus, qui *nitrico*, *muriatico*, atque *acetico* usitatior hactenus esse consuevit, nervorum, musculorumque vires promptissime excitando, non ita in convulsivis, et spasticis morbis, ac speciatim, qui stomachum, innexasque partes potissimum detinent, vel in iisdem caussam, et sedem habent, tutissimum, utilissimumque auxilium existit, ut etiam in caeteris plane innoxium, ac proficuum sit, qui a nimia irritabilitate fiunt, qui inflammationi praesertim interaneorum tentatos, vel ea detentos corripiunt, vel ex iis caussis proficiscuntur, quae remedii etiam leviter irritantis, et calefacientis usum non permittunt. Temere siquidem quosdam contendere, in ipsis inflammationibus, ubi spasmus superveniat, Etheris usum utiliter, ac citra omne discrimen generatim institui, satis experientia evicit, ideo etiam, quod monstraverit rite administratum modo cum Saccharo, modo cum idoneo liquore a guttis sex ad quindecim, aut viginti, iterata deinde

prudenter dosi, in iis maxime casibus prodesse, quibus ob mali speciem, et caussam, atque ob Aegri naturam illa auxilio sunt, quae revera paullo stimulant, virium actionem intendunt, ac leviter calefaciunt.

948. Et re quidem vera Ether potissimum prodest in soporosis morbis, in paralysi, in cephalalgia, atque hemicrania, in singultu, vomitu, et colica, in hystericis, atque hypocondriacis affectibus, in arhtritide et podagra, in putridis, et nervosis febribus, aliisque aegritudinibus, in quibus spasmus, aut convulsio, aut dolor, aut quodvis mali genus a seri copia, ab humorum lentore, e fibrarum laxitate, a stomachi, aliarumque partium debilitate, ab aere subito, et valide rarescente, atque a putrida caussa oritur. Quod rursus ostendit ex frigoris sensu, quem in lingua, dum hauritur, Ether suscitat non tuto quosdam concludere in omni casu actionem sensilium, atque irritabilium fibrarum sedare, atque imminuere, neque unquam stimulare, ac calefacere. Nam praeter quam quod eiusmodi phaenomenon in stomacho Ether, cum intus haerentem aerem, gasticum suum fluidum evolvens, foras propellit, fortasse non edit, caloris quoque sensum dein inducit, roborat, cutis exhalationem suscitat, et promovet, imo observante Ill. VITETO nimis audacter ingestum omne fibrarum genus convellit, os, et fauces exsiccat, spasticam epigastrii contractionem infert, ac quamdam, plus, minus duraturam, temu-

lentiae speciem accersit. Cui observationi si addimus, quod idem Auctor animadvertit, quodque alii Clinici monent mediocri dosi saepius haustum, diuque continuatum Etherem stomacho, ac digestioni officere, atque irritationi magis obnoxios nervos reddere; tum mobilitate, irritabilitateque exquisita donatis molestiam generatim afferre; saepe ut anodynum, atque antispasticum ideo optime egisse, quod apposite fuerat cum Laudano liquido, vel cum Oleo animali, aut Liquore Cornu Cervi Succinato coniunctus, denti carioso cum gossypio applicitum interdum quidem, non perpetuo sedare dolores; atque utilissimas, quas suscitat, apte usurpatus mutationes in longum non protrahi, ac plerumque citius evanescere, quam accidat ex Camphora (cui ob indolem, proprietates, atque agendi mechanicen Ether non parum accedit) non sine ratione fatebimur verum esse, quod initio dicebamus, istud Artis praesidium, quamquam eximium, commodissimumque sit, suae actionis, ac virtutis limites habere quosdam, extra quos nec proficuum, nec tutum, nec plane innocuum sit.

949. Utrum vero ob dissimilitudinem Acidi, quod cum alcohole intime consociatur ad varias Etheris species consequendas, quae inde emergunt medicatis viribus invicem differant, anxie adhuc qui Materiam medicam exponunt a Clinicis sciscitantur. Apud istos siquidem nondum eas inveniunt observationes, quarum subsidio queant certo

decernere, num iis potius assentiri oporteat, qui a quovis Ethere, sive *aceticus*, sive *nitricus*, sive *muriaticus* sit, eosdem in morbis effectus, quos *sulphuricus* edit, an reliquis Medicis, qui praeter generalem vim cuique Etheri inesse aliam, sibi propriam, atque ad singularem effectum in humano corpore praestandum accommodatam, vel probabili coniectura, vel certo tradunt. Quamobrem aegre fero in hac opinionum ambiguitate, neque mihi hactenus suppetere, post varia suscepta pericula, eam observationum seriem, quae ad rem tantam certo constituendam valeat. Quae enim adhuc observavi, mihi nondum sufficiunt, ut queam cum nonnullis censere *Etherem aceticum*, seu Naphtam acetosam in acutis, malignis, atque exanthematicis febribus, in alvi profluviis, aliisque morbis, in quibus putridus fomes adest, spasmos ac convulsiones sedare, ac putredini adversari longe potentius Ethere sulphurico; vel possim cum quibusdam arbitrari *Etherem nitricum*, seu Naphtam nitrosam huic ideo antistare, quod nullo modo calefaciat, atque urinas, dum spasmos aufert, evidenter proliciat; vel debeam cum aliis credere *Etherem muriaticum* seu Naphtam muriaticam praestare cuique etheri, ubi putredo corrigenda est, atque ex ea profectos spasmos, convulsionesque solvere oporteat.

950. Donec igitur ista discrimina, quorum aliqua cum ipsa experientia consentire iam mihi videntur, melius, et clarius sive

ab aliis, sive a me constituantur, nunc satis erit monuisse *Etherem sulphuricum alcoholizatum* seu Liquorem Anodynum Mineralem HOFFMANII rite paratum a guttis octo ad viginti, sive idoneo solutum liquore, sive saccharo imbutum, sive mixturis, sive medicamentis (§. 948.) iam indicatis adiunctum, usitatissimum apud nos remedium esse. Cum Ethere quippe communes vires habens iisdem usibus non solum inservit, verum etiam ei praefertur, quando illius stimulum Clinici metuunt, ac magis anodynum, et sedans remedium volunt experiri. Caeterum hoc etiam in casu consentiunt Proceres Artis non ultra propositam dosim quavis vice, nec pluries nimis, ut a quibusdam fieri solet, eam die iterandam esse, quoniam secus potius irritat, inopportune excutit, atque aestum infert, quam sedet, aut consopiat. Hinc quidam novissime proponunt tamquam certius, et validius sedans medicamentum huius liquoris loco Liquorem anodynum aquosum. Verum ei, qui apud nos aliquam famam obtinere coepit nullum ego singulare praetium tribuo, quia observavi efficere, quod ex Liquore anodyno vulgari aqua diluto accidit, quin caeteras eiusdem vires ostendat. Crediderim proinde Etheri sulphurico alcoholizato illum rectius in adductis casibus substitui, quem ex Ethere nitrico confectum, Liquorem anodynum nitrosum vocatum ei commodissime suffici, ac plurimum sedandi, temperandi, at-

que urinam movendi facultate antecellere Celeb. LASSONIUS et CORNETTUS monuerunt. Hi quippe in iis nervosis, spasticisque affectionibus, in quibus Liquor ex Ethere sulphurico acri stimulo, calore aucto, et urinarum fluxu imminuto, aut cohibito exagitare, non consopire apparebat, alterum ex Ethere nitrico confectum liquorem sopiendo, atque urinam ex spasmo morantem, aut cohibitam ciendo profuisse observarunt.

951. Sed hoc quoque discrimen certius Clinici constituant, accuratioribusque periculis explorent quando in morbis istis, qui nervos, et musculos afficiunt, atque in aliis aegrotationibus accommodare speciatim queant Ether aceti aquosus, Liquor anodynus vegetabilis, vel anodynus martialis, vel anodynus volatilis, Spiritus Mindereri, et Spiritus dulcis sive Vitrioli, sive Nitri, sive Salis; quando Haustus antiemeticus RIVERII dum adhuc effervescit assumptus, non solum ad vomitionem cohibendam, sed ad spasticas affectiones, quae stomachum, vel alias partes detineant, removendas istis anteponendus sit; quando Guttae analepticae, anthystericae, atque antispasticae magis conveniant; quando istis rectius anteponantur Aquae stillatitiae fragrantes, tum speciatim Nanphae, Menthae piperitidis, et similium; quando frigus excitandi caussa, vel alio fine exterius Ether sive purus, sive alcoholizatus tuto,

atque utiliter illiniri queat; ac quando ad excitandum, atque exhilarandum sine ulla noxa, imo utiliter queant naribus admoveri prae ipso etiam Aceto (quod generatim sufficit, et tutum est), Aqua Hungarica, Aqua Melissae Composita, Aceta medicata, aliaque medicamenta, diversaeque res, quae vel gratum, et penetrantem, vel pravum, foetidumque halitum exhalant.

952. Decernant etiam Artis medicae Proceres num Elixiria, Essentiae, seu potius Tincturae, Confectiones, aliaque genera compositorum medicaminum in nervorum morbis utilia habita, atque etiam ad Antispastica relata, ideo solum profutura iudicans, quod stomachum confirment, roborent, viresque restaurent, sicque caussa sublata, spasmum, aut convulsionem avertant, recte quidem iudicem. Tum videant speciatim num id affirmandum sit de Elixirio Lamotii, Acido Halleri seu Aqua Rabelii, Gari, Proprietatis, et Stomachico Molinelii, ut caetera nobis inusitata praeteream; tum de Tincturis Corticum Aurantiorum, Menthae piperitidis, Antispasmodica, atque Absynthii composita, ne Tincturas reliquas, aut Essentias hic obsoletas commemorem; tum de Electuariis, Pilulis, Speciebus, Pulveribus, aliisque medicamentis, quae veluti spastica, et stomachica Pharmaceutici Codices describunt, ac prae caeteris plenissima doctrina

III. Reussius (a) singillatim prosequutus est.

953. Nimius porro essem, si haec singula vellem rimari, aut speciatim persequi ea medicamenta, quae cum mihi videantur aut plane inconcinna, aut prorsus supervacanea, aut spasmis solvendis imparia, de Antisepticis disserens consulto praetereo. Cui enim bono commemorabo veluti antispasticam, atque analepticam a quibusdam adhuc Medicis probatissimam Confectionem alkermes, quae si correcta est, solum a Cinnamomo vires habet, si vero nondum a vanis, atque invicem pugnantibus rebus repurgata sit, absurda plane compositio existit? Cur expendam vires antispasticas, ac speciatim antiepilepticas olim famigeratissimas Pulveris de Gutteta, et Pulveris Antiepileptici Marchionis, cum utrumque ob farraginem, oppositam indolem, atque exiguam componentium vim, ratio, atque experientia exulare iusserint? Cur in viribus, atque usibus expendendis immorabor Pulveris anodyni, Pulveris antispasmodici, aut Sedativi Rosensteinii, Pulveris paregorici, et similium, quos superfluos ideo iudico, quod vim, aut saltem potissimam, ab Opio agnoscant?

955. Quantum praeterea temporis non absumerem si vellem, praeter Composita

---

(a) Dispensat. Univ. Argent. 1791.

medicamenta, quae omittenda duxi, ea rursus singillatim expendere, quae e simplicibus petita remediis Antispastica perquirens non sine caussa in medium non protuli? Profecto in hanc rem nimium temporis oporteret exiguo admodum fructu impendere. Interea ne inconsideratissimus alicui fortasse videar silentii caussas, saltem quo ad nonnulla medicamenta, e vestigio indicabo. Itaque ex Antispasticis Fossilibus sustuli *Sulphuretum hydrargiri rubrum* tum *nativum*, tum *artificiale* seu Cinnabarim nativam, aut factitiam, quam CRATO epilepsiae magnetem vocavit, aliique summe antispasticam, atque in hydrophobia praesentissimam dixerunt, quia certe scio istis plane viribus destitui. Nullam mentionem inieci Stirpes antispasticas enumerans *Violae ipecacuanhae* seu Ipecacuanhae radicis, quae quidem exiguissimis dosibus subinde data magnum quibusdam in casibus antispasticum remedium, tum aliis, tum mihi saepissime largita est, quia eiusdem radicis veluti antispasticae usum alibi opportunius expendere constitui. Ideo vero non memini ligni ex *Visco albo*, ac speciatim quercui adnato, desumpti seu Ligni Visci quercini, magnopere facti adversus epilepsiam, aliosque spasticos, et convulsivos affectus, quia pluries tentatum lignum istud non solum hisce vincendis malis impar apparuit, sed neque par iisdem mitigandis, etiam si, saltem ut roborans, convenire videretur. Ex eo item non attigi *Citri aurantii* folia a non paucis

in epilepsia, spasmis, convulsionibusque veluti eximiam, ac pene certam opem afferrent, summopere commendata, quia satis eadem alibi probavi, ut mobilitati, ac debilitati contraria (§. 807.), eademque tunc solum epilepticis, et convulsis proficua ipse viderim, quando alia potius, quam singulari in nervos virtute egerunt, nempe vermes, caussam malorum, deturbarunt. Si praeterea de aliis, quae spasmis, convulsionibusque pro re nata medentur silui, ideo accidit, quod credam latere neminem vel leviter in Medicina versatum ob multiplicem dissimilium caussarum ea mala inferentium varietatem tuta, optima, ac necessaria Autispastica fieri, morbi caussa sublata, modo, ut iam dixi, Adstringentia, et Roborantia, modo Stimulantia, modo Emollientia aut Relaxantia oleosa alibi indicata, sive ore sumpta, sive exterius applicita, sive in alvum infusa, modo Balnea praesertim frigida, modo quae extrinsecus imposita stimulant, et rodunt, modo quae refrigerant, et temperant, aut nocuam humorum copiam imminuunt, modo qnae excutiunt, et resolvunt, modo quae ex lacte ducuntur, aut plenius alunt, modo denique alia, ne dicam singula, genera auxiliorum, quibus Medicina ditatur.

955. Nonne demum otio abutentis fuisset speciatim referre, quae ad Magnetismi Animalis usum in morbis ex nimia sensilitate, atque irritabilitate, aliisque caussis ortis sive admittendum, sive vituperandum nostra

maxime aetate prolata sunt? Principia sane narrare, quibus, duce MESMERO, quidam studuerunt, vis eiusmodi Magneticae actionem in homine demonstrare; varios aperire modos, quibus contendebant materiam Magneticam cum humano corpore communicari, ac per ipsum excitari, deducique vario commotionis, succussionis, aut mutationis genere; instrumentorum huic administrationi inservientium apparatum describere; ac singula, quae ad hanc rem pertinent, rimari nonne ineptientis hominis esset? Ita cuique videbitur reputanti, quae contra eiusmodi genus praestigii, non remedii dicam, a plerisque animadversa sunt, ne ipsum a quorundam caliditate, novandi desiderio, ac lucri cupidine invectum, seu potius e tenebris revocatum, credulos, leves, ignavos, et rudes ulterius deciperet. Post ea siquidem, quae a Clarioribus Medicis tradita sunt de Magnetismo animali, quae ad fraudes demonstrandas indicavit MURRAYUS (*a*), quaeque praesertim R. Societ. Med. Paris. decrevit rationalem Medicum plurimum dedeceret aliquam in eiusdem usu fiduciam collocare. Haec siquidem octo ab hinc annis sancivit, referentibus Celeber. Viris POISSONERIO, MANDUYTIO, CAILLIO, et ANDRYO, totam hanc Magnetismi animalis hypothesim nullo

---

(*a*) De Laud. Magnetis. Animal. ambig. Götting. 1789.

fundamento inniti, principii, cui actio tribuitur, existentiam nullo argumento firmari, a pressione, ac frictionibus, quae sub ipso opere instituuntur, atque ab immaginatione laesa, graviterque perculsa non levia mala impendere, ac proinde omne istud artificii genus severe proscribendum esse (*a*).

956. Missis igitur istis unum superesset expendendum et egregiae virtutis, et crebri usus antispasticum remedium, Opium scilicet, nisi tamquam Narcoticorum princeps rectius ad illud Sedantium genus Therapeutae referrent, quod Sopientia constituunt. Eius igitur antispasticas vires postmodum expendam. Nunc siquidem ad Sopientia, aut Narcotica tradenda accedens non prius de Opio dicam, quam reliqua, aut saltem praecipua, ad idem remediorum genus a Medicis revocata breviter exposuero. Sunt porro bene multa, quae sensilitatem nervorum, irritabilitatemque musculorum minuendo, potentias, quae, praeter cordis actionem, motus omnes praestant, pariter imminuunt, ac cerebrum et nervos ita afficiunt, eosque maxime, quibus proxime admoventur, ut dolores consopiant, quietem adducant, somnum accersant, secretiones imminuant, atque excretiones, excepta quae per cutim fit, cui admodum favent, morentur, ac supprimant. Neque in-

---

(*a*) Hist. de la Sociét. de Méd. 1785. p. 257. 258.

tra hosce limites sedans, et consopiens, nervorumque potentiam imminuens eorum vis continetur, quoniam eo usque a Narcoticorum largiori, quam deceat, copia intenditur adeo, ut fatuitatem, languorem, soporem, lethargum, paralysim, apoplexiam, viriumque omnimodam exsolutionem morte finiendam inferat, vel febrim, temulentiam, delirium, congestiones in cerebro, inflammationes, spasmos, distentionesque nervorum, quae vitam absumant.

957. Quamquam idcirco principia, caussas, et modos, quibus ista pharmaca agunt non satis simus assequuti, nec rationem perspicuam, et certam reddere hactenus possimus, ob quam dum motrices vires reliquas imminuunt, cordis actionem non laedant, nisi exitio iam sint, imo eam generatim incitent, atque augeant; scimus nihilominus apta dosi, et opportune exhibita omni noxa carere, ac summum nobis afferre praesidium in doloribus, vigiliis, convulsionibus, spasmis, aliisve nervorum effectibus, immodicisque fluxibus alvi, sive caussam mali tollant, sive effectus mitigent, atque avertant; quoties interim ad haec praestanda nervorum potentiam, musculorumque irritabilitatem oporteat imminuere. Secus enim si plethora, si insigne vitium humorum, si debilitas, inflammatio, valida febris, nimius humorum impetus ad caput, aut congestio, aliaque huius generis, dolorem, vigiliam, convulsionem, aut delirium, aliaque mala inferant sine ullo emolumento, imo

gravi damno, atque interdum Aegri pernicie propinantur; quemadmodum eadem non conveniunt, et nocent utili excretioni obnoxiis, ad crisim dispositis, quae ad cutim non tendit, sicco corporis habitu praeditis, in syncopem pronis, emaciatis, debilibus, aliisque, qui ob varias caussas, quas Clinici indicant, vel ob singularem proprietatem hoc medicamenti genus non sustinent: quae quidem, ut dixi, audacter exhibita cuique etiam sanissimo ob virus, quod tunc exerunt, non satis natura compertum, summopere infensa, atque exitiosa existunt. Nisi enim protinus inde nascentibus malis occurramus validioribus emeticis, oleosis, lactariis, acidis, alcalicisve, enematibus, radice Ipecacuanhae, infusu ex Coffeae seminibus, aut aliis remediis, deplentibus Chirurgicis, caeterisve rationibus pro re nata dissimilibus, iam inductis noxis medeamur, gravissimum morbum, aut certam perniciem afferunt.

958 Interea cum Vegetabilia, quae ad Sopientia, aut Narcotica pertinent, viderint Therapeutae actione ita differre, ut quaedam viroso tantum principio agant, quaedam vero etiam acri una coniuncto, nos iamdiu monuerunt eadem in Narcotica, et Narcotico-acria esse distinguenda; quos etiam Ill. PLENKIUS probavit (*a*). Quamobrem in Sopientibus recensendis ipse quoque ab eius-

(*a*) Toxicolog.

modi ordine non recedam orsus ab iis, quae Narcotica acria dicuntur. De istis tamen loquens praeteream *Hippomanes* sive *mancinellae*, sive *biglandulosae* fructus, quia medicatis usibus non inserviunt, *Menispermi cocculi* seu Cocculi indicae nuces, quia ad stupefaciendos pisces, capiendosque adhibentur; omittam quoque *Strychnos nucis vomicae*, et *Ignatiae amarae* vires, et usus, quia satis de utraque iam dixi (§. 805.); tum ideo reticebo quae de *Nicotiana tabaco*, ac de *Bryonia alba* tradere possem, quia utriusque facultates alio loco praestabit expendere. Quare de *Atropa belladonna*, de *Chaerophyllo sylvestri*, de *Conio maculato*, ac de *Cicuta virosa* solummodo disseram.

959. Quod porro respicit *Atropam belladonnam* seu Solanum furiosum, aut Belladonnam, dirum venenum habentem aqua frigida, et lacte praesertim enervandum, vellem sane eius folia tam exterius applicita, quam intus assumpta ad granum unum cum saccharo in pulvere, vel ad duo grana forma infusus, aut decocti (quae dosis bis, terve die prudentissime iteratur) in labiorum, mammarum, aliarumque partium scirrhis, et cancris utiliora; tum eius radicem, quae ad sex grana Infantibus, ad decem Adultis exhiberi posse traditur, ad praecavendam hydrophobiam ex rabidis animalibus praestantius, certiusque praesidium afferre. Nam post Cel. Viros Acrelium, Haenium, Schmuckerum, aliosque in scirrhis, et cancrosis ulcerationibus frustra Chi-

rurgos usurpasse vidi, ac duos pariter vidi a cane demorsos post diu usurpatam Belladonnae radicem inter praefocantes angustias rabie confectos. Vellem pariter *Chaerophylli sylvestris* seu Cicutariae herbam paullo foetidam, amaram, et nauseantem suam melius utilitatem comprobasse tum gangraenis impositam, tum intus in morbis adhibitam, quibus *Conium maculatum* auxiliatur. Vellem rursus de *Cicutae virosae* seu Cicutae aquaticae radice valde acri, et venenata, cuius succo, Opio, aliisve admixto celebrem illam potionem sine dolore mortiferam confecisse Graecos, quae Cives non paucos, ipsumque SOCRATEM nefarie peremit, verisimillimum mihi videtur, vellem, inquam, certiora de eius in Medicina usu mihi suppetere. Etenim dum animadverto BERGIUM (*a*) testantem succum inspissatum a minima dosi ad tres usque drachmas pedetentim exhibitum Feminae, ac decoctum herbae exsiccatae saturatum intra exiguum temporis spatium ad sex libras per errorem assumptum nullum evidentem effectum edidisse, monentem contra audio MURRAYUM nemini suadendum esse, ut hanc stirpem, quae toties, observante VEPFERO (*b*), hominibus lethum attulit, interius praescribat (*c*).

960. Acquiescendum proinde nobis est in usu *Conii Maculati* seu Cicutae, quam

---

(*a*) Mat. Med. V. I. pag. 114. (*b*) Hist. Cicut. aq. (*c*) App. Med. V. 1, pag. 275.

murinum, foetidum, et paullo virosum exhalantem halitum, gustui acrem, et nauseantem, atque iamdiu ob Hominum, brutorumque Animalium necem infamem, nostra tamen aetate pauca admodum dosi usurpatam etiam interius impune, utilissimeque in pluribus, ac fere conclamatis aegritudinibus non mediocri ausu, atque Aegrorum utilitate Ill. Archiatr. Caesar. Comes STÖRKIUS exhibuit. Temere siquidem nonnulli eius vim ad paucissima, ac mitiora mala limitant, alii inefficacem habent, alii innocuam nunquam esse volunt, aut eam veluti alienam, ac perniciosam reiciendam esse adhuc decernunt. Etsi enim post ANDREI, LANGII, HAENII, SCHMUKERI, HAARII, HILLII, WHYTTII, ACRELII, aliorumque experimenta Cicuta ancipitis usus plerisque visa fuerit; suam tamen famam recepit periculis, observationibusque, quas LUDWIGIUS, TISSOTUS, LOCHERUS, RUTTYUS, NICHOLSONIUS, CUDDENIUS, QUARINIUS, MOLINARIUS, aliique auspicatius susceperunt. Ex his enim compertum fuit Cicutam potenter resolvere, pus movere, vitia quaedam corrigere humorum, urinas, aut sudorem leniter elicere, atque in cancro ita prodesse, ut, etiamsi nec certo medeatur, nec semper utilis sit, occulti tamen, atque ulcerati progressus quandoque retardet, eius foeditatem emendet, atque ubi recens, et medicabilis est, interdum in eam naturam convertat, quae integram curationem non respuat.

961. Pluries proinde una adhibita Cicuta mihi accidit non solum antiquis, et malignis, ulceribus mederi, interdum venereis, hydrargyri vim medicatricem in syphiliticis inveteratis affectibus acuere, scrophulas pertinaciores solvere, aut adeo immutare, ut ulceratae, bono orto pure, cicatrice occluderentur, obstructionesque alias glandularum, et viscerum discutere; verum etiam antiquos, et scirrhosos illos tumores dissipare, ac radicitus saepissime tollere, qui ex laxitate, cachexia, pravo victu, ac febris intermittentis diuturnitate, vel male acta curatione in rusticis maxime Viris, et Feminis apud nos lien crebro occupant. Qui quidem tumores praegrandes, elati, et duri, nisi cedant Cicutae, modo per se, modo cum Mercurio dulci adhibitae, sicuti passim experior, nulli alio plerumque remedio obtemperant, paullatim sanum corporis habitum depravant, et lethali hydropisi viam sternunt.

962. Ex Cicuta Extractum, Conserva, Syrupus, Pulvis, Aqua, Oleum, Infusum, et Decoctum parari possunt: quibus tamen multum praestare cognovi diutina observatione Extractum ea methodo confectum, quam Cel. STÖRKIUS indicavit. Huius dosis vix ad duo, vel tria grana initio extenditur, dein augetur pedetentim, donec drachma eius una, vel altera, imo semuncia, aut paullo ultra, quotidie partite insumatur. Maiori etiam copia et impune, et utilissime assuetis tum ab aliis, tum

a me ipso interdum exhibita est. Generatim tamen tutius esse observavi, si curatio in longum trahenda videatur, una vel altera potius die Cicutam intermittere, (ne ob consuetudinis vim inefficax fiat), ac dein iterum usurpare, quam unciatim ipsam Aegris nostratibus praebere, quibus tanta pharmaci vis interdum vel e naribus, vel e pulmone, vel ab ipso stomacho sanguinem prolicit. Datur quoque in pulvere a granis tribus, aucta paullatim dosi, usque ad drachmam dimidiam, quem etiam Extracto praestare censet CULLENIUS, cui ob adductam caussam nequeo assentiri; tum praescribitur, minori sane commodo, in infusu a scriptulo ad drachmam. Tandem ulceribus, et cancris vel forma pulveris inspergitur, vel istis, aliisve partibus instar cataplasmatis, emplastri, aut fomenti imponitur, eo utilius, quo eodem tempore interius una usurpatur. Haec de Cicuta; maiora STÖRKIUS inprimis docebit.

963. Sermonem proinde converto ad alterum Sopientium genus, quod Stirpes quaedam non acre, at narcoticum solummodo virus habentes constituunt. Ex istis autem omissis *Lolio temulento*, *Lathyro cicera*, *Ervo ervilia* (§. 165.) *Chelidonio glauco*, et *hybrido*, *Taxo baccata*, *Physali somnifera*, *Daturae*, et *Solani* variis speciebus, aliisque Stirpibus ad medicos usus nondum receptis, praeteritisque *Pruno lauroceraso*, de quo satis iam dixi (§. 806.) ac *Lactuca virosa*, et *Solano dulcamara*, de quibus alibi loquar,

quae huius potissimum loci sunt breviter indicabo. Iure enim huc referri debet *Solanum nigrum*, cum eius folia, in cutis morbis, inflammationibus, atque ambustis a Veteribus imposita, in cancrosis ulceribus non raro profuerint, et mihi in sopiendis rheumaticis doloribus interdum successerint, ac succum praebeant, quem pauca dosi innoxium, ac proficuum in spasticis morbis quidam iudicant, atque ego experimentis dignum arbitror Clinicorum. Huc quoque pertinet *Atropa mandragora*, cum eius radicis nimium hodie neglectae in pulverem tritae grana duo cum gummi arabico, dosi prudenter iterata, sine ulla noxa dolores spasticos, atque arthriticos sedare, et vigilias removere instar Opii interdum observaverim, ac sciam Antiquos, duce HIPPOCRATE, in nervosis, et convulsivis affectibus magni fecisse, ac Nuperiorum testimonio radicis pulverem melle exceptam, aut folia cum lacte cocta indurationes, tumores, et scrophulas, si diu imponantur, interdum emollire, ac resolvere. Prae caeteris vero Solanaceis *Daturam stramonium*, seu Stramonium, et *Hyosciamum nigrum* seu Hyoscyamum indicari oportere quis non fatebitur post ea, quae de utriusque viribus Ill. STÖRKIUS nos docuit (*a*)? Ab eius sane medicaminum suppelectilis augendae utilissimo studio accepimus tum Extractum ex herba Stramonii

---

(*a*) De Stramon., Hyosciamo, ec. lib.

ab uno grano ad duo, vel tria pedetentim bis, terve, aut pluries die exhibitum epilepsia, convulsione, spasmo, et mania obnoxiis saepe opitulari, quoties Sopientia conveniant, tum Extractum e foliis Hyoscyami in iisdem casibus non minus esse proficuum eadem dosi propinatum, imo praestare Opio, cum alvum non sistat, quando consopire oporteat quin ipsa cohibeatur; ne dicam eiusdem Hyoscyami folia, ut non raro vidi, sive per se concisa, sive cum lacte exterius applicita duros emollire tumores, congestiones discutere, ac spasticos dolores, atque inveteratae arhtritidis cruciatus lenire.

964. Praesentissimum tamen omnium ad sopiendum pharmacum communi consensione Opium est, quod ad praestantiora, atque usitatiora Artis auxilia pertinens ea speciatim efficit assumptum, exteriusve applicitum, quae exigua, mediocri, aut magna copia usurpata sive in Homine, sive in Animalibus iam dixi Narcotica generatim efficere. Sciunt enim iamdiu Medici validissimam eius in nervorum sensu imminuendo, usque dum is cum irritabilitate pereat, potentiam a singulari, nec satis cognito soporifero viru profectam ita Aegrorum, morborumque conditionibus, proprietatibus, naturis, et caussis accommodare, ut sine ullo aut salutis, aut vitae discrimine, quod secus brevi afferret, summam praestet Infirmis opem, non paucis malis mira promptitudine, et securitate mitigatis, aut discussis. Opium autem Hippo-

CRATI, eumque sequutis Medicis notum potius, quam usitatum pharmacum, dein Empiricis, Arabibus, et Chemicis acceptissimum, dicitur succus, qui in Persia, Arabia, atque Aegypto erumpit e peramplis capsulis fere maturis *Papaveris somniferi* sive nigri, sive albi, idoneo instrumento incisis, ac vespere per dies aliquot iterum vulneratis. Qui quidem succus, non absimilis illi, quem in variis Europae Regionibus, atque in ipsa Insubria ex eadem Papaveris specie (licet ob capitulorum exiguitatem paucissimus prodeat) eductum fuisse scimus, albidus, aut lacteus, dein ex albo lutescens (qui purissimus, praestantissimusque ditioribus Incolis servatur), aut ex rubro fuscus e capsulis, quibus accrevit, abstersus Solis ardori in vasculo exponitur, et spatha lignea permixtus, ac subinde motus tamdiu inspissatur, donec in tenaces, laeves, variam figuram, et pondus habentes, rubro fuscas, atque uniformes, nisi interius salinis splendentibus particulis interspergerentur, placentas nova exsiccatione concrescat.

965. Hac forma concretus succus extractivis resinosis partibus cum oleo volatili, et sale compositus, Alcohole aqueo penitus solubilis, etsi ob arctum principiorum nexum Aquae non parum resinae, Alcoholi puro non exiguam gummi copiam tribuat, si probae notae sit, seu, ut dicunt, electus, alias Thebaicus nuncupatus, si illico flammam concipiat, si liquorem, quo solvitur, obscure rubrum efficiat, si suppetat non alienis re-

bus, aut Narcoticarum quarundam Stirpium succis adulteratus, non sordibus corruptus, non ignis vi inter exsiccandum adustus, vel aetate, aliisve modis effoetus, qui eius proprietates, et vires enervent, aut immutent, gravem, virosum, ac diu olfacientibus soporiferum odorem emittit, eamque explicat amaritiem, quae gustantibus primo nauseam, dein sensum affert caloris pungentis, et acris. Ex quo sane fervore non illico evanescente totum os molestiam sentit, saliva elicitur, ipsaeque nares ad sternutamenta moventur, orto in iisdem pruritu, quem cuti admotum ipsum Opium creare, atque una psilothrum esse, discutiens, suppurans, atque in parte tenera exulcerans apposite observat RUTTYUS (*u*), ut concludat ista frigidae qualitati a Veteribus ei falso adscriptae adversari.

966. Cui quidem opinioni refragantur magis quae ex Opio sive in os indito, sive in alvum infuso, sive in vulnus immisso, aut exterius applicito in Animalibus brutis, atque in humano corpore accidunt. Porro sive ea reputo in Animalibus pericula, quae suscepit HALLERUS (*b*), quae ipse egi adversus WHYTTIUM, et WIRTENSOHNIUM (*c*), quaeque Magnus ille Vir probavit (*d*), censuitque MURRAYUS novum fulcrum eius sen-

---

(*a*) Mat. Med. pag. 566. (*b*) Elem. Physiol. T. 5. p. 609. (*c*) De Animal. ex Meph. ec. interit. L. III. Cap. 1. pag. 132. 138. (*d*) Corp. hum. Fab. V. II. pag. 392.

tentiae addere (*a*), sive considero effectus Opii in vasorum sanguineorum genere, quos in frigidis Animalibus, postulante HALLERO, microscopio olim scrutatus sum, sive animadverto phaenomena, quae in bene valentibus Hominibus voluptatis caussa Opium largiter ob consuetudinis vim usurpatum excitat, sive ea perpendo, quae in Aegris idem pharmacum sumentibus HALLERUS, YOUNGIUS (*b*), TRALLESIUS (*c*), aliique plures observarunt; non possum non verissimum iudicare, quod iam pridem cum eodem HALLERO tradidi, Opium sub halitus specie suam vim sine ullo fere sui ponderis decremento diffundens, cuncta facile pervadens, et suo etiam odore humores inficiens cordis motum excitare dum sensum nervorum infirmat, irritabilitatemque infringit, qua caeterae musculares fibrae donantur. „ Quod vero „ tot alii, inquit apposite MURRAYUS (*d*), „ languescere numero, et vi cordis motus „ statuant, vel inde provenit, quod palparent arteriam, quum iam deferbuisset cor„ dis impetus, huncque solitus eiusdem lan„ guor excepisset, qui ipse tanto intensior sit „ necesse est, quo maior copia Opii antea „ corpus intraverit „.

967. Quae quidem cum evincant Opium

(*a*) App. Vol. II. pag. 232. (*b*) Treatise on Opium. (*c*) Disquis. de Vi Opii Cardiaca. (*d*) Op. cit. p. 237.

cerebri nervorumque sensum, et voluntarios motus potenter sedare, imo largius ingestum insigniter imminuere, ac delere, atque interim cordis, arteriarumque actiones conservare, et augere, calefacere, stimulare, vasa expandere, ac movere sudorem, tum copia maiori sumptum, aut improvide datum ebrietatem, audaciam, delirium, et furorem concitare; evincunt quoque antispasticas, anodynas, ac sopientes eiusdem facultates, quas hic speciatim expendo, caeteras alibi traditurus, extra quosdam limites non extendi. Hos enim ponunt dissimiles caussae, quae spasmum, dolorem, et vigilias pariunt, morborum complicationes, singulares Aegrorum proprietates, ac doseos discrimen non facile constituendum. Nam etsi Medici generatim doceant Opium parva dosi sumptum pulsum celeriorem, validioremque efficere, alcritatemque afferre, et stimulare, ac maiori dosi vitales vires aut imminuere, aut saltem non intendere, et tunc protinus sedare, et consopire (praeter quamquod id non semper verum est) accidit saepe, ut uni Aegro exigua sit Opii quantitas, quae alteri nimia est, ac vicissim. Quam ob rem prudentissime in Opio administrando se gerunt qui eum, ubi conveniat, nemini, cuius natura circa Opii effectus nondum innotuit, nec tuto erui ex morbo potest futura eiusdem actio, initio praebent a quarta parte grani ad granum dimidium, vel, si res urgeat, non ultra granum unum.

968. Ideo autem Opium cautius dandum est, quia etsi interdum inassueto homini nec quietem intulerit ad quatuor grana exhibitum, necem alteri certo attulit (*a*); quia ab eius usu crebriore, aut nimium intra diem iterato, vel diutius protracto ea mala post se relinquat quibus obnoxii fiunt Orientales Populi, qui Opio in secunda valetudine abutuntur, maciem nempe, languorem, sensuum habetudinem, oblivionem, ac praecocem interitum; quia ii morbi, qui speciatim exigunt Opium ad plura grana, et crebris intervallis intra diem porrectum, ut mitigari, ac tolli possint, cuiusmodi sunt tetanos, eius differentiae, et trismus, nec tantam interdum pharmaci copiam requirant, nec semper hoc curationis genere discutiantur; quia Opium eodem tempore sedans, atque exstimulans remedium stimulando impar non semper fit, sicuti nonnulli tradunt, ubi illico audacter propinatum insigniter, et protinus cerebri, nervorumque actionem infirmaverit; quia eiusdem stimuli effectus venae sectio, emollientia, et demulcentia non satis avertunt; quia si in alvum cum apta lotione infunditur, quemadmodum, Ill. COTUNNIO (*b*) praesertim auctore, commodissime fit sive eo ad unum alterumve granum indito, sive Laudani liquidi guttis quindecim ad viginti, quadraginta,

(*a*) HALL. Elem. Phys. T. 5. p. 612.
(*b*) Comm. de Ischiad. Nerv. §. 42.

vel ultra usurpatis, ubi a stomacho non feratur, aut a bile, quam avocat, enervetur, aut tenesmus, alvi fluxus tabidorum, ischiadis nervosae cruciatus, spastica uteri, atque intestinorum passio, et stranguria praesto sunt et stimulum adhuc retinet, et virus, quo potuit ad grana quatuor lethum afferre (*a*); quia exterius etiam adhibitum anceps saepe pharmacum est, utpote quod interdum dolorem non consopit, interdum exasperat, et nervis, ulceribusque applicitum non parum irritat, atque alias cuti impositum noxas infert similes illis, quas intus assumptum, quando extat infensum, parit; quia illae rationes hactenus propositae ad Opium corrigendum eiusmodi sunt, quae ei aut virus non omne adimunt, aut si adimant stimulandi vim non tollunt, vel saltem id cum insigni sedantis facultatis detrimento efficiunt.

969. Post ea quidem, quae passim a Medicis de variis ex Opio praeparatis, compositisque medicamentis animadversa sunt, quaeque ipse speciatim in Animalibus, atque in Aegris nuper praestiti ad praetium constituendum eorum, quae Opio corrigendo paria habebantur (*b*), quisque difficillime illas rationes tanti faciet quanti alias factae sunt. Porro, ut mittam Extractum Opii, sive Cydoniatum, sive Citratum

(*a*) GAUBII Meth. concin. form. p. 420.
(*b*) Op. Therap. V. I. Opus. VI.

tum, utrumque apud nos exoletum, quoniam Acidis Opium debilitatur, non corrigitur, ut praeteream Extractum Opii per fermentationem aequiori adhuc iure neglectum, quisnam ignorat Extractum Opii Spirituosum, et Laudanum Opiatum ideo amplius ad medendum non recipi, quia unum ob alcohol, alterum ob additorum naturam ipso etiam opio stimulantius, et calefacientius est? Quisnam, etsi de Theriaca Andromachi, Mitridatio Damocratis, Philonio Romano, atque Electuario Diascordio Fracastorii vim praecipuam ex Opio habentibus modo non loquar, (quibus adhuc maior ex aliis additis rebus stimulandi, et calefaciendi virtus inest, ut alibi dicam), quisnam, inquam, non existimabit Opiatum illud medicamentum, quod a guttis duabus ad quatuor Infantibus, a senis ad quindecim, ad viginti, et ultra Adultis propinatum saccharo, aut liquore idoneo exceptum prae caeteris usitatius nobis est, nempe Laudanum Liquidum Sydehamii ipsomet Opio puro validius stimulare, et calefacere, tum Anglorum simpliciori methodo ope alcoholis aquei confectum, quod nunc Opium Purificatum vocant, alias Extractum Thebaicum, tum maxime compositum ex vino hispanico cum Croco, Cinnamomo, et Caryophyllis, sicuti in Insubria generatim usu venit? Quisnam est qui hodie Pilulis vel de Cynoglossa, vel de Styrace, quarum primae a granis duo-

bus ad quinque, alterae a quatuor ad octo, Opio anteponi consueverunt, ubi sine ullo stimulo sedare oporteat, non ideo substituet Syrupos Papaveris albi, et de Meconio, seu Diacodio, quia compertum est, illas pilulas ea aromatica, et calefacientia recipere, quae intendere, non retundere Opii stimulum possunt? Quisnam non usurpabit Syrupum Papaveris albi, qui a media uncia ad sesquiunciam a decoctis Capsulis Papaveris (quae etiam sola coqui solent ad lotiones pro clysteriis parandas) anodynam admodum lenem vim accipit, utpote quae seminibus magis contemperatur, aut Syrupum Meconii, qui iisdem carens ad aliquot drachmas Infantibus, a media vero uncia ad sesquialteram Adultis exhibitus magis sedat, atque Opio longe minus stimulat, ac calefacit?

970. Neque aliis modis Opio sive virus, sive stimulus et satis, et sine reliquarum virium dispendio adimitur sola superstite sedandi virtute. Nam, ut ex iis innotuit, quae alio loco exposui (*a*), quaeque deinceps egi, Castoreum ad Opium corrigendum magni factum soporam eius facultatem aliquatenus infringit, aut saltem eiusmodi virosae qualitatis effectibus paullo adversatur, quin caetera ei vitia adimat. Virus illud magis adhuc enervat Camphora, atque hac ipsa etiam poten-

(*a*) Op. Therap. Opus. VI.

tius aggreditur, et destruit Coffeae Infusio, tum addita Radix Ipecacuanhae (*a*), ut fit in Doweri Pulvere, cuius vires, atque usus alibi tradam, et nihilominus ista principium, quo Opium stimulat, cordis actionem intendit, excitat, calefacit, et sudorem movet, aut non attingunt, aut etiam efficacius reddunt. Stimulandi quoque, et cordis actionem incitandi proprietatem Opio non aufert, nisi etiam intendat Moschus, quem una usurpatum spasmo graviter detentis maiori efficacitate, et promptitudine subvenire Clariss. Viri, ac speciatim HYLARYUS, atque HUCKIUS, observante MURRAYO (*b*), iamdiu tradiderunt. Quod si eo duplici praeparationis genere, quo Extractum Opii confecerunt Illustr. Viri BAUMEUS, et LASSONIUS (*c*) Opium omni nocendi facultate privari, atque una stimulandi, atque interim medicatius, atque ad sedandum potentius effici nonnulli existiment; ego quidem iis non assentior, quia utraque ratione quaedam ex Opio incommoda praecaventur, quin utiles vires, ac praesertim anodynae, magis evolvantur, atque incrementum suscipiant. Non una siquidem adductus observatione tutum arbitror iudicium, quod in hanc rem alias protuli (*d*) Opium scilicet halituosis, volatilibus, oleosis, salinis, et resinosis partibus spoliare, idem

---

(*a*) ibid. (*b*) Op. cit. Vol. II. p. 268.
(*c*) Opusc. cit. p. 313. (*d*) loc. cit. p. 316.

esse ac pharmacum debilius reddere, non corrigere.

971. Hinc prudentis, et periti Artificis erit maiorem adhuc curam in Opii administratione adhibere, ac generatim, nisi singularis casus aliter postulet, ut alia occasione monebo, ipsum purum, nullisve immutatum medicamentis propinare, ne secus minus efficax, atque opportunius evadat in iis morbis, quibus maxime opitulatur. Porro Opium speciatim convenit, ac magnam opem praestat dolorem sedando, convulsionem, et spasmum removendo, vigilias discutiendo, atque excretiones, excepto sudore, moderando quando morbi indoles, et caussae, atque Aegri natura medicamentum requirunt, quod nimium sensum nervorum, nimiamque vim irritabilitatis, quae in voluntariis musculis est, prompte, atque efficaciter queat sedare, ac pristinae conditioni restituere. Hinc cum alterutrum, vel utrumque in passione hypocondriaca, atque hysterica, affinibusque affectibus, atque in iis cruciatibus, quos calculus, ulcus, cancer, aliaque chronica mala, quae radicitus tolli non possunt, praestare utplurimum expediat, ideo plerumque Opium par extat iisdem discutiendis, aut mitigandis. Neque ob dissimilem caussam tam saepe in spasticis intestinorum doloribus, in Ileo, atque in colica Pictonum modo per se, modo oleo unitum, modo alvum ducentibus additum idem Opium mirifice prodest; tum non raro eximie subvenit trismo, tetano, emprosthotano, simili-

busque malis occupatis primo pedetentim, dein audacter datum, atque adeo crebris intervallis, ut tertia, secunda, aut quavis hora, imo dimidia, eius dosis propinetur, vel in alvum infundatur, atque alterutro, vel utroque modo plura eius grana intra diem usurpentur.

972. Contra vero Opium in epilepsia, atque in mania tam raro proficuum, quin nocuum evadere ideo conquesti sunt plerique Clinicorum, quia utrumque malum minus saepe ab illis caussis iam indicatis proficiscitur, quae eius usum requirant, tum insuper eos frequenter aggreditur, quorum natura, temperies, atque aliae proprietates eiusdem administrationi adversantur, aut aegre eam sustinent. In febribus item, quae intermittunt, ob eandem rationem perraro idem medicamentum, sive ad mitigandum accessionis impetum, sive ad symptomata lenienda, sive ad ipsam arcendam febrim valet, ac generatim, ut post Ill. STÖRKIUM (*a*) susceptis experimentis observavi, eam exasperat, aut novis illatis incommodis molestiorem efficit, etiamsi interdum ab animi pathemate originem agnoscat, quo in casu Ill. TRALLESIUS convenire censuit (*b*). Similiter ab eodem principio non obscure deducitur, cur Opium ob sui actionem, qua stimulat, circuitum

(*a*) Ann. Med. 1. p. 77. et seq.
(*b*) De Opio Sect. 2. p. 70.

humorum incitat, congestiones parit, calefacit, corruptioni favet, nervorum sensum infirmat, sudorem pellit, alvum cohibet, coctioni officit, ac crisim per alvum non futuram perturbat, tum ob naturam, et caussas acutarum febrium, atque inflammationum, generatim in hisce non conveniat, imo adhibitum non parum noceat, nisi vigilia, dolor, atque ipse morbus a spastica, et nervosa caussa originem ducat, aut foveatur.

973. Sed in hoc etiam rerum statu studiosissime Clinici animadvertant, ne Opium officiat potius quam prosit. Raro enim ille stimulus, qui movet inflammationem, aut eam sequitur, eiusmodi est qui a sola, et primaria nervorum affectione nascatur, atque uno Opio queat obtundi. Rarius adhuc, quam nonnulli protulere, pectoris, aliorumque viscerum inflammationes eiusmodi fuerunt, ut eodem discuti potuerint, cum certum sit in exemplis, quae solent adduci, curationem incohatam, absolutamque fuisse, etsi Opium adhiberetur, iis usurpatis praesidiis, quibus passim inflammatoriis morbis medemur. Curent rursus Clinici, ne in variolis indiscriminatim eiusmodi pharmacum praebeant, neve in secundaria praesertim febre usurpent. Neque existiment Opio adhibito rheumatismi, arhtritidis, aut podagrae cruciatus et saepe, et tuto mitigari, vel eodem remedio tussim incipientem, quae a catarrho oritur, aut quae phthisim praenunciat certo tolli, quoniam per se Opium plerumque non sufficere, atque

interdum nocere visum est. Nunquam vero obliviscantur neque in hisce morbis, neque in vigiliis, spasmis, convulsionibus, doloribusque, neque in caeteris affectibus Opium convenire, sive purum, sive mixturis, emulsionibus, saccharo, gummi, aliisve additum, aut varia ratione praeparatum exhibeatur, quando sanguinis copia, aestus, febris valida, inflammationis metus, humorum congestio, ac corruptio, ac sordes intestinorum occurrunt.

974. Itaque prudens Medicus Opium ita semper exhibeat, sive in adductis casibus dandum sit, sive administrandum, ut inhibeantur singularis gangraenae progressus, erumpat sudor, dysenteria, aut diarrhoea reprimatur, aut hydrophobis, et syphiliticis auxilietur, (quos omnes Opii usus suis locis perquiram) semper, inquam, exhibeat, ut sciat se uti pharmaco, quod ubi morbi, aut Aegri naturae repugnet, aut nimia copia detur, non solum noxam, sed hanc quoque gravissimam affert, ex qua non minus laborantis vita, quam ipsius Artificis fama periclitetur.

CAPUT X.

De Refrigerantibus.

975. Ad Sedantia illa quoque pertinere censentur Artis auxilia, quae cito, opportune, et dissimiliter humano corpori admota huius calorem, sive naturalem, aut sano cuique proprium tam manifeste imminuunt, sive eius saltem insolitum incrementum a quacumque morbi caussa illatum ita moderantur, et tollunt, ut, pristina restituta temperie, irritationes, molestiae, omniaque mala ab aestu profecta mitescant, ac cessent. Hinc summopere utilia, ac persaepe Aegris necessaria praesidia ista quavis aetate Medici habuerunt, etsi circa modum, quo refrigerent, inter se adhuc dissentiant. Denegant quippe nonnulli ea nobis ad medendum suppetere, quae humani corporis tum sani, tum aegri temperiem eo unquam modo imminuant, vero inducto frigore, quo ipsam revera imminuunt attactu suo res illae omnes applicitae, quae minori caloris gradu, quo ad hominem, donantur; proindeque volunt omnia Refrigerantia solum sublata caloris praeternaturalis caussa, huius decrementum inferre, utilem inde mutationem praestare, ac refrigerii sensum parere. Contra vero alii diversam opinionem amplexi praeter caussae amotionem, illo quoque mo-

do nonnulla refrigerare contendunt, atque ex ipsis phaenomenis arguunt, quae in sano etiam homine a frigidis liquoribus, sive exterius admotis, sive haustis, a salibus neutrae indolis ingestis, ut in Celebr. BROCKLESFY, ALEXANDRI, aliorumque experimentis visum est, atque a quibusdam medicamentis assumptis solent evenire. Haec siquidem dum ostendunt calorem naturalem, thermometro indice, ad aliquot gradus imminutum, et motum humorum, pulsu explorato, tardiorem factum, satis quoque ipsis Auctoribus videntur ostendere, corpora quaedam, praeter calorem ex morbo auctum, eum etiam, qui bene valenti proprius est, posse imminuere, atque eo quidem pacto, quo frigus, eius sensum, atque effectus excitant admota, quae sanorum hominum temperiem non attingunt.

976. Verum nostra quid interest ob unam potius, quam ob aliam caussam caloris imminutionem perfici, ex qua aestui refrigerium succedant? Quid refert si Therapeutae intimiorem Refrigerantium actionem, eiusdemque principia nondum e tenebris eduxerint, praesertim quia caussae, quae humanum calorem propignunt, atque evolvunt, neque omnes innotescant, neque iam compertae satis extricatae sint? Quid si nonnulli acriter defendant Refrigerantia solidas partes proxime, ac potissimum afficere, atque in fluidas secundario tantum, et parum agere, dum alii volunt primariam, ac potiorem mutationem in istis, vel saltem in utroque partium genere aeque

quaerendam esse? Parum sane nostra interesse arbitror si ista vel adhuc lateant, vel uno potius, quam alio modo se habeant, quando scimus apta ad refrigerandum non pauca suppetere; eorum effectus satis evidentes, ac salutares esse; interdum mutationes, quas inferunt, iis similes videri, quas frigida corpora exerunt; non desiderari varia Refrigerantium genera, quae pro vario caussarum aestum concitantium discrimine conveniant, iisdemque sublatis, aut cohibitis ad naturalem temperiem infirmum corpus restituant; tum denique, quae occurrunt varia Refrigerantium genera, non solum accommodatissima ideo esse, quod ob dissimilem eorum virtutem, queant contra diversas, ac multiplices caloris morbosi caussas pugnare, iisdemque tamdiu, aut tam valide obsistere, ac reluctari, donec eas abigant, aut earum potentiam prorsus infringant, verum etiam ex eo utiliora existere, quod, praeter vim refrigerandi, possideant facultates, quae alios effectus, aliasque utilitates opportune afferant.

977. Multa quidem in Refrigerantibus, quo ad eorum originem, indolem, agendi rationem, ac singulares vires, atque effectus discrimina occurrunt. Etsi enim provide usurpata, singula queant refrigerare, ex diverso tamen rerum genere promanant, natura principiorum, ac necessariis proprietatibus quaedam invicem discrepant; nonnulla nervos speciatim afficere videntur, dum alia nullam satis manifestam mutationem in iisdem

inductam exhibent; quaedam frigoris instar stimulantem potentiam aut in stomacho, aut in aliis partibus exerunt, et tamen refrigerandi vim explicant, atque ad universum corpus deducunt, dum alia hanc produnt in stomacho, aut in singulis corporis locis, illam vero in renibus, aut in vesica, in cute, aut alibi ostendunt; item nonnulla affectis maxime solidis partibus refrigerare non obscure significant, dum alia id praestare ex eo speciatim videntur, quod vel physica, vel potius chemica quadam vi non satis evoluta non exiguam mutationem humoribus tribuant. Licet praeterea haec remedia generatim calorem imminuant, motus cordis, arteriarumque moderentur, humorum aestum cohibeant, eosdemque aliter corrigant, sitim sedent, atque e nimio calore ortas irritationes removeant, et quietem adducant; inter ea tamen ob dissimilem naturam praesto sunt, quae rursus alia speciatim efficiant. Quae scilicet rarescentiam humorum prohibeant, quae una adstringant, quae putredini adversentur, quae sanguinis fluxus sistant, quae bilem resolvant, atque ad exitum sollicitent, quae acrem materiem involvant, ac varium stimuli genus retundant, quae stomachi viribus actionibusque prospiciant, quae humorum copiam ad renes avocent, horum actionem excutiant, atque urinam sollicitent, uberioremque reddant, aut diversis sub conditionibus varias exaninitiones invitent, quaeque demum alia commoda afferant.

978. Ex hac autem virium coniunctione, tum dissimili virtute, quae in quovis Refrigerantium genere, praeter communem refrigerandi, et temperandi inest, accidit, ut eadem generatim in morbis adhibita eos effectus valde salutares edant, qui a solo, quod inducunt, refrigerio non satis deduci possent, tum, si apta, et variis morbi caussis opportuniora eligantur, eas omnes facile superent, quas secus una tantum generali virtute donata vel inertes reddere, vel tollere singulas nequirent. Hinc in morbis inflammatoriis maximum afferunt auxilium, praesertim si circa aeris usum, cibum, et potum, corporis quietem, sensuum curam, atque animi motus illa non negligantur praecepta, quae in eo aegritudinum genere perpetuo servanda esse ad omnem iniuriosam irritationem removendam monui cum disserens de iisdem rebus ad Diaetetica praesidia relatis eas proposui tamquam praecipuas, quae ad Regimen Antiphlogisticum, ut Medici passim loquuntur, pertinent. Ob eandem caussam Refrigerantia prosunt valde in plerisque acutis aegrotationibus, in biliosis, putridis, atque exanthematicis morbis; conveniunt in hemophthisi, aliisque haemorrhagiis, ac cruentis alvi profluviis; tum aliis malis prospiciunt, quae singula Refrigerantium genera expendenti se illico offerunt.

979. Inter haec duo occurrere omnium simplicia, atque interim summopere ad refrigerandum idonea, Aerem nempe frigidiu-

sculum saepe renovatum, atque Aquam frigidam, sive haustam, sive exterius applicitam nemo est qui ignoret. Quare utriusque effectus atque usus supervacaneum nunc censeo rimari post ea maxime, quae de utriusque auxilii administratione non minus in secunda, quam in adversa valetudine, refrigerii potissimum caussa instituta, variis iam locis (§. 79. 301. et seq.) tradita fuerunt. Istis quam proximum Refrigerantium genus praebent Aquae illae medicatae, quae sive naturales sint, sive arte praeparatae gas acidum carbonicum habent, atque *Acidulae frigidae* vocantur; quarum usus tunc praesertim purae Aquae anteponitur quando sedare, et temperare refrigeranti remedio expedit, atque una tutum est, et iuvat ea simul commoda Aegris impertiri, quae a gastici illius principii stimulo, natura, atque agendi ratione, ut alibi exposui, generatim eveniunt.

980. Aliud deinde genus remediorum, quae sedent refrigerando, aut temperando afferre dicuntur Semina quaedam Cerealia, mucilaginea, aut oleosa, aliud variae Stirpes, aliud quidam Fructus. E cerealibus porro semina *Hordei vulgaris*, et *Avenae sativae*, quorum iam memini, (§. 155. 158.) tenues ptisanae, aut decocta ad refrigerandum opportuniora praebere censentur, quia prae caeteris acorem ocyus concipiunt, a quo refrigerans eorum virtus deducitur, quae tamen Aceto, aliisve remediis additis, (§. 324.) generatim acuitur. Quae vero praecipuam vim

suam a mucilagine agnoscunt, ea hodie refrigerando per se imparia iudicantur, ac proinde neque alibi proposita huius generis Semina solent hoc fine praescribi, neque speciatim usurpari semina *Plantaginis psyllii* seu Psyllii, e quibus eductam mucilaginem ob refrigerandi vim a corticibus acceptam adversus inflammationes assumptam, impositamve magni factam, ideo etiam Nuperiores despiciunt, quia alii acrem habent, alii non plane innocuam. De eorum autem Seminum, quae ob oleum, quod habent, mucilagine coniunctum Aquam in emulsiouem convertunt, usu ad refrigerandum, varia est Medicorum sententia. Nonnulli siquidem Emulsiones ex Seminibus quatuor frigidis maioribus (§. 324) nempe *Cucumeris*, vel *Sativi* seu Cucumeris, vel *melonis* seu Melonis, et *Cucurbitae*, vel *lagenariae* seu Cucurbitae, vel *Citrulli* seu Citrulli praeparatas, itemque confectas e Seminibus quatuor frigidis minoribus, nunc veluti superflua, exoletis, nempe *Lactucae sativae* seu Lactucae, *Cichorii*, vel *intybi* seu Cichoreae, vel *endiviae* seu Endiviae, ac *Portulacae oleraceae* seu Portulacae eximie refrigerare contendunt, quod alii denegant. Inter hasce sententias, quae media quodammodo est, omnem disputationi locum praecludere, ac veritati consentire mihi videtur, dum constituit emulsiones illas per se utique refrigerantes non esse, at nihilominus, quatenus facile acescunt, mitissima sua indole demulcent, acria

leniter involvunt, et paullo laxant, eiusmodi evadere, ut irritationibus cohibitis, aliisque insoliti, ac nimii caloris caussis sublatis, queant, ubi haec praestanda sint, proprie Refrigerantia aemulari, ac proinde pristinam restituere temperiem, sitim compescere, vigiliam prohibere, humorum componere motus, ac quietem adducere.

981. E Stirpibus plura olim tamquam singulari aliqua refrigerandi facultate pollerent a Medicis praescribi consueverant, quae tamen hodie, paucissimis exceptis, prorsus negliguntur. Nec quidem iniuria. Ea enim generatim cedunt virtute illis Oleribus, quae cum nutriendi vi temperantem quoque possidere monui (§. 178.), ac praesertim *Lactucae sativae*, tum potissimum foliis *Oxalis acetosellae* seu Acetosellae, *Rumicis acetosae* seu Acetosae quae iusculis, acetariis, et cibis variis addita, aut in succo usurpata *acido oxalico* suo egregie refrigerant; quemadmodum Sal ex iisdem eductum nempe *Acidulum oxalicum* refrigerat. Porro inter ea Vegetabilia speciatim ad refrigerandum proposita arbitror minus vere ad id proponi folia *Chenopodii boni henrici* seu Boni Henrici, quae potius recentia cuti applicita oedematasos interdum discutere tumores, ac contusa, imposita, apteque renovata, antiqua, rebellia, et sordida ex herpete, scabie, tinea, aut lepra orta ulcera, copioso moto pure, saepe emendare, atque implere vel novissime dicuntur. Num vero imposita adstringens herba *Geranii robertiani*

in erysipelate prosit refrigerando potius, quam discntiendo, non facile dixerim, cum eam contusam in cancrosis dumtaxat ulceribus, quae sanare dicebatur, incassum tentaverim. Nullam vim refrigandi tribuo tum fungo *Pezizae auriculae* seu Auriculae Iudae, qui etiam una adstringendo in faucium, et oculorum inflammationibus aqua solutus gargarizari, aut imponi alias consueverat; tum *Bixae orellanae* faeculae, quae ex America advecta Terra Orleana in Officinis vocatur, cuius quoque vires rhabarbari aemulae nondum confirmatae sunt. A *Nymphaea* autem *alba* seu Nymphaea nullam utilitatem cum mihi ad medendum pollicear, nullam quoque ab eius radice facultatem expecto ad extinguendam veneream tentiginem, nullamque ex floribus, atque inde praeparatis Aqua, Conserva, et Syrupo ad refrigerandum, ad dolores consopiendos, atque ad vigilias discutiendas.

982. Pari iure *Violae odoratae* seu Violae flores cum non duxerim enumerandos inter Antispastica, atque Anodyna remedia, non eos pariter probabo tamquam refrigerantes, tum praesertim Conservae, aut forma Syrupi usurpatos, quo quidem modo temperare, et maius refrigerium afferre Medici arbitrati sunt, quia ipsi mucilaginei sive antispasticae, sive refrigerantis virtutis satis manifesta indicia nunquam mihi praebuerunt. Emolumentum vero, quod nonnulli a foliis mucilaginem copiosam habentibus *Cacti opuntiae* seu Opuntiae instar cataplasmatis impositis se accepis-

cepisse affirmant in pleuritide, in doloribus ventris ex dysenteria aut ex inflammatione, in rheumatismo, atque in ischiade cur refrigeranti facultati tribuam, non emollienti, quae dicam, cum MURRAYO (a), fibras constrictas relaxet, ac dolores hac ratione consopiat? Cur demum *Sedi telephii* seu Telephii, aut Fabariae, sive folia, sive radices proponam, si contusae imponantur, adversus ambusta, haemorrhoides, aliaque mala, cum incertum sit adhuc, num vere refrigerans iisdem virtus competat, et quae certius refrigerant, ac simul paullo adstringunt, atque egregie abstergunt, folia scilicet *Sempervivi tectorum* seu Sedi maioris, in illis morbis vix interdum Vulgus trita imponere, aut clavis pedum applicare soleat, neque Medici nostrates aphtis Infantum succum eius illiniant, neque ad scissas in Nutricibus papillas curandas adhibeant, etsi utrique morbo mederi SWIETENII, ROSENSTEINII, aliorumque testimonio innotuerit?

983. Ad Fructus autem, quibus, sive alimenti, sive medicamenti caussa ipsa recipiantur, refrigerandi facultas inest, pertinent ii grate aciduli, ex acido dulces, ac praesertim aqueo-dulces, quos alio iam loco singillatim recensui (§. 185. et seq.), eorum etiam tum indicatis principiis, tum usibus propositis

---

(a) Op. cit. Vol. III. pag. 342.

(§. 396. et seq.). Quare sufficiet eorum iterum meminisse, iisdemque vere probatissimis ad refrigerium humano corpori impertiendum, aut ad caloris insoliti evolutionem arcendam addere nonnulla, quae nondum exposita cum ipsis quodammodo convenire censentur. Scire itaque expedit a Septentrionalibus Gentibus baccas grato acore praeditas *Vaccinii vitis ideae* seu Vitis Idaeae, e quibus rob, syrupum, potionesque conficiunt ad refrigerandum, fallendam sitim, ac coruptionem inhibendam, multi fieri; neque baccas saccharo probe conditas ad nimium moderandum acorem *Vaccinii oxycocci* seu Oxycocci ad eosdem usus negligi; neque item baccas ex dulci acidas *Vaccinii myrtilli* seu Myrtilli, ubi in alvi profluviis, et faucium morbis refrigerare, atque una adstringere conveniat, inutiles iudicari. Nec illae Gentes negligunt in adductis casibus, tum speciatim in Scorbuto, baccas acidulas *Rubi chamaemori* seu Chamaemori, dum apud nos neque ipsae ad medendum probantur baccae *Mori nigrae*, etiamsi refrigerantes, atque antisepticae existimari, avideque ab Agricolis comedi communiter soleant.

984. Nec Medici nostrates sola refrigerandi caussa multum hodie favent usui pulpae e siliqua *Cassiae fistulae* seu Cassiae eductae, (quam alibi rectius expendam), etsi alias creberrime in morbis inflammatoriis, et biliosis adhiberetur, ac revera refrigeret, temperet, et putredini adversetur. Ei enim,

ut bona ista consequantur, plerumque substituunt pulpam, de qua pariter alio loco opportunius dicam, *Tamarindi indicae* seu Tamarindi, quoniam haec copiose etiam deglutita nec nauseam, nec inflationes, aliasve molestias instar Cassiae movet, atque interim egregie temperat, bilem corrigit, ac putredinem emendat, proindeque adversus putridas, et biliosas febres, phthisim, et varia item mala plurimi fit tum per se, tum praesertim lactis Sero commixta. Non potest siquidem Serum non vim eius acuere, cum ipsum sive dulce, sive acidum ob suam indolem, maximeque ob *Acidum lacticum*, oxydemque sacchari ad temperandum aptissimum sit, ac pluribus in morbis usitatissimum potionis, et remedii genus, aliis praeterea viribus praeditum, largiatur: quemadmodum (§. 325. et seq.) traditum est.

985. Sicuti vero ista ab Acido *oxalico*, vel *malico*, vel *pyro-mucoso*, vel *lactico*, quod habent aliis particulis admixtum, vim refrigerandi agnoscunt; sic maiorem habere censentur ipsa Acida, quae mucilaginis, aliarumve rerum compedibus minus irretita, aut prorsus libera suppetunt, vel arte parantur. Haec siquidem aqua diluta, atque ita modis aliis contemperata, ut nullum molestiae sensum, imo grati acoris gustantibus afferant, calorem, atque aestum efficaciter moderantur, eo quidem certius, atque utilius cum inter refrigerandum sitim sedent, bilem acrem demulceant, ac putredini occurrant, aut po-

tenter resistant. Hinc magni usus in acutis aegrotationibus esse solent, nec minoris utilitatis in chronicis morbis existunt, in quibus illa oportet commoda Aegris afferre.

986. Quare evenit, ut *Acidum citricum* sive e *Citro medica*, sive e *Citro aurantio* expressum sit, quod ad scorbutum praecavendum, ac curandum caeteris antecellit praesidiis, ob modo indicatas vires, atque ob eximiam gratiam saporis vel cum saccharo aqua solutum, vel in modum syrupi, ut fit in Syrupo acetositatis Citri, poculentis additum creberrime usurpetur. Evenit similiter ut *Acidum acetosum*, seu Acetum (§. 89. 751.) ob non diversas proprietates iisdem modis adhibitum vel per se aqua remixtum, vel cum melle aut saccharo (unde Oxycratum, Oxymellites, et Syrupus Aceti emergant) potionibus, et mixturis additum, nisi refrigerando praestet reliquis Vegetabilibus acidis, sicuti communior est Clinicorum opinio, saltem istis usitatius, sit, vere eximium refrigerans, sedans, aliisque modis utilissimum medicamentum. Evenit demum, ob eandem virium coniunctionem, ut ex Acidis Fossilibus aliis indicationibus explendis idoneis (§. 753.) *Acidum sulphuricum* seu Acidum Vitrioli, quo fere solo ad refrigerandum utuntur Medici, quoties aqua copiosissima dilutum, aut dulcibus, mucilagineis, aliisve mitigatum rebus palato amicum, atque irritando impar evaserit, toties probetur maxime, et prae caeteris quo-

tidiano Aegrorum potui adiiciatur, quando sedare, et refrigerare non solum expedit, sed putredini potentius, qnam caetera Acida soleant, ac promptius obsistere. Sed de istis, nisi satis alibi (§. 323. 324.) dictum sit, dicetur in posterum.

987. Ultimum proinde Refrigerantium genus expendendum est, quod Salia mediam indolem habentia constituunt. In eo enim iam consentiunt Medici eiusmodi Salia, si excipiantur, quae ex *Soda*, atque *Acido muriatico* emergunt, plus minus singula apte exhibita refrigerare, atque eo maxime modo, nempe exigua copia, et partite propinata, ac rite soluta, et diluta, quo possint omnem, quam possident, sedandi vim explicare, ac simul alteram, quam pariter habent, stimulandi facultatem vel exuere, vel sine illius detrimento in uno, aut altero corporis loco exerere. Quamquam autem istis refrigerandi potentiam concedant, ipsis tamen adeo praeferri communiter solet *Nitras potassae*, seu Nitrum, ut missis caeteris alibi indicandis, (quemadmodum iam neglexi de Sale sedativo vel *Acido boracico* dicere, cum antispasticas, narcoticas, ac praestantiores reliquis refrigerantes vires ei nequam tribuere) de eo solum hic dixisse commodum videatur. Non enim ex praeconcepta, nec tuta opinione, ut CULLENIUS, aliique putant Clari Medicinae Scriptores, Nitrum ad refrigerandum aptius habent, ac crebrius usurpant; at experimentis, observationibusque innixi ipsum caeteris

praeferunt. Quae enim cum eo Ill. Viri ALEXANDER, BROCKLESBYUS, SMITHIUS, aliique egerunt, quaeque passim de eius effectibus Clinici tradidere optimum, praestantissimumque refrigerans Nitrum declarant, quamquam modus, quo refrigeret, hactenus lateat. Declarant quippe a sex, vel octo granis ad scriptulum, vel ad drachmam dimidiam opportuna aquae quantitate solutum, additumve potionibus, aut mixturis, subinde maiori dosi clysteriis cum lotione infusum, in morbis inflammatoriis aestum compescere, sitim sedare, calorem efficaciter moderari, urinarum ardorem temperare, easque ciere, aliisve modis prodesse, dummodo inflammatio urinae vias non obsideat, quo in casu a Salibus sapientiores Clinici abstinent. Qui quidem non ignorant, ubi validius refrigerandum sit, iterato, iustis intervallis, eoque praesertim momento, quo dissolvitur, rectissime Nitrum propinari, ne secus parcius datum nimis breve sit levamen, ac refrigerium, quod affert, neve una vice largius assumptum anxietate, cardialgia, atque animi deliquio accersitis, ut ALEXANDER observavit, vel inflammatione stomachi, ut semel vidi, inducta, gravissime noceat.

988. Caetero, sive Nitrum, sive aliud quodcumque remedium refrigerandi caussa Medici recipiant, sedulo curent, ne vel pleniori, quam deceat, dosi, aut diutius exhibendo ea mala accersant, quae Refrigerantia generatim suscitant quando vel intempestive,

vel largiter nimis in exanthematicis morbis propinantur, vel inconsulto ad alias indicationes explendas ab iis sumuntur, quorum corpora, nisi caloris defectu, languore tamen virium laborant, laxi ac debilis habitus sunt, obstructionibus tentantur, atque in hydropem inclinant. Neque haec minori studio caveant Chirurghi, quando Posca, Oxycrate, aut frigida Aqua, aliisve auxiliis exterius adhibitis utile, et tutum credunt refrigerare, ne istis temere impositis eas noxas adducant, quae improvide usurpata Reprimentia medicamenta facile inferunt magno saepe Aegrorum detrimento.

CAPUT XI.

De iis, quae corrigunt vitia humorum.

989. Dixi de iis, quae solidis partibus laesis opitulantur, aut ipsis potissimum affectis, ac mutatis prosunt; nunc ad ea veniam medicamentorum auxilia, quae speciatim humores, qui vitium egestione aliqua non removendum conceperunt, provide emendant, ac corrigunt. Eorum quippe vitia, etiamsi reiciantur, quae ex vanis hypothesibus antiquitus constituta, vel in nostram usque aetatem de variis acrimoniae speciebus prolata fuere; satis manifesta, ac multiplicia occurrunt. Quamquam enim nullum vitium iam ob aliquam functionum laesionem conspicuum in fluidis admittant Sapientiores Pathologi (§. 12.) sine aliqua mutatione, aut labe solidorum, ac similiter doceant Therapeutae nullum praesto esse medicamentum, quod eo tempore, quo in fluida agit, non simul solida afficiat; censent nihilominus certa nobis suppetere medicaminum genera, quae speciatim humorum vitiis prospiciant. Illa siquidem, quae vim potiorem, manifestioremque in fluidis exerunt, ea sunt, quae propius eorum vitiis mederi arbitrantur. Praesertim cum morbosae humorum conditiones, licet per se non existant, aut solae non pro-

deant, satis pateant, ac propriam, et praecipuam curationem desiderent, qua amissas proprietates recuperent. Quaecumque enim sit ratio, ob quam Physicarum, Chemicarumque virium actione a naturali indole desiscant, atque ubi desciverint apposito remediorum usu ad pristinum redeant modum, generatim Medici admittunt, humores, praeterquamquod interdum copia, interdum nimia ad putrescendum proclivitate laborant, vitium contrahere ex nimia spissitudine, tenuitate, atque ex dissimili labe, quae vario acrimoniae, non satis proprio, nomine designatur; vitia eiusmodi peculiaribus signis se prodere; eadem quoque inter se complicari, eorumque coniunctionem probabili coniectura nos assequi; ac singula demum, ut corrigantur, singulare remediorum genus requirere.

990. Quae cum ita sint, potiora eiusmodi genera persequar orsus ab eo, quod spissitudini medetur. Id praestant Auxilia, quae Attenuantia vocata iuxta magis receptam opinionem Medicorum in Diluentia, et Resolventia dividi solent. Illa dicuntur fluida omnia, quae Animalium liquorum moleculis admixta fluidiores eas efficere censentur, quin tamen, quo ad indolem, compositionem, proprietatesque immutent, aut ipsa suam fluiditatem amittant. Altera vero audiunt quaecumque medicamenta humores iam praeter naturam coalitos, vel adhuc in circuitum ductos, vel alicubi haerentes, ita dividunt, nunc mechanica, nunc Chemica,

nunc utraque simul potentia, ut pristinae rationi rediti ad propria iterum munia obeunda aptissimi evadant.

991. Diluentia autem conveniunt in omnibus pene acutis aegrotationibus, et chronicis plerisque, quoniam tam saepe expedit ardorem moderari, aestum compescere, acria temperare, fluorem humoribus inducere, nimiam sensilitatem retundere, atque in sanguine Aquae rationem augere. Nullum porro, praeter Aquam, suppetit vere diluens remedium, quemadmodum de eius medicatis viribus disserens (§. 295.) proposui. Huc interea referuntur tenues Ptisanae, Emulsiones, Potus varii ex blandis, demulcentibusque Sirpibus parati, Serum lactis dulce, et acidum; atque aliae poculentorum Species suo iam loco fuse expositae (§. 324.), in quibus vis praecipua ab Aqua sit, nec eius diluendi facultatem addita quaecumque infringant, nisi etiam eo potius tendant, ut aquosae particulae in sanguinem ocyus influant, atque ipsius moleculis intimius admisceantur.

992. Quoties vero Diluentia ad fluiditatem sanguineo latici restituendam per se non valeant, sicuti in nimia humorum spissitudine, eorumque motu imminuto accidit; toties aliis opus est medicamentis, quae vel interpositione suarum particularum inter cohaerentes globulos, vel attritu per actionem vasorum stimulo excussam opportune aucto, vel utroque modo, vel singulari vi affinitatis, vel aliis nondum compertis rationibus cohae-

rentia dividant, seu resolvant. Quae vero eiusmodi effectus adducant, proprie Attenuantia, aut Resolventia vocata, multigena esse Therapeutae existimant; nec quidem iniuria, cum ad eos assequendos modo oporteat copiam humorum imminuere, modo eosdem irruentes aliorsum revellere, aut derivare, modo eos diversa, ac multiplici ratione afficere, prout ex nimia copia, nimio aestu, inflammatione, aliisve caussis nocuam spissitudinem ipsi contraxerunt.

993. Licet profecto actio horum medicaminum densis adhuc obducatur tenebris, tantum tamen lucis experientia iisdem offudit, quantum expedit, ut quisquam tuto concludat perperam nonnullos ab uno actionis principio omnem eorum efficacitatem deduxisse. Qui enim resolutionem omnem, quam praestant medicamenta, ab aucta ad putrescendum proclivitate, quam naturaliter habent humores, explicant, ii non animadvertunt generatim Resolventia sceptica non esse, imo pleraque putredini prorsus contraria, ac quae revera sceptica dicunt, veluti alcalica Salia, eadem huius generis plerumque non evadere, tum non eo in sensu resolutionem, medendi caussa, perfici, ut eam putredinis evolutio excipiat, aut illa cum hac solo gradu distincta, natura conveniat. Qui vero spissos humores tantum tenuari posse concipiunt a singulari aliqua vi solvente quibusdam remediis propria, ac praesertim salibus, sive eductis, sive illis adhuc inhaerenti-

bus, eamque, nisi sceptica sit, a chemica affinitate derivandam coniiciunt, id fidenter nimis assumunt; temere quod in suis operibus praestant Chemici cum aliquid solvunt, ad humanum corpus traducunt; nec vident bene multa ideo Resolventia fieri, quod in solida primum operentur. Qui praeterea, ut reliquorum medicaminum, sic Attenuantium, aut Resolventium actionem perpetuo explicandam esse ducunt a manifesto, aut abdito quodam stimulo, ii pariter quod de uno Auxiliorum genere verum est, id de omnibus Resolventibus perperam affirmant. Nam, ut mittam in nonnullis morbis, qui ad humorum spissitudinem referuntur, et speciatim desiderant, quae ad Stimulantia pertinent, morbosam densitatem non adesse, et quae prosunt, non eam corrigendo, sed alias salutares mutationes, alios effectus, atque alia commoda afferendo prodesse, quorum caussa in attenuatione quaerenda non est, si quandoque oportet, ut spissi tenuentur humores, coaliti resolvantur, et alicubi haerentes, atque impacti discuti queant, ad eadem Stimulantia confugere, quae solidorum viribus, actionibus, motibusque incitatis, et auctis ista perficiant, nonne alias, ut resolutionem consequamur, oportet iis uti auxiliis, quae praeternaturalem stimulum removeant, aut ei omnem irritandi potentiam multimodis adimant?

994. Cum itaque non una sit ratio, qua resolvi possunt humores, nec unum proinde

sit Resolventium genus, ea singula persequi nostrum est, quemadmodum Clinicorum erit speciatim tradere quando unum potius, quam alterum pro morborum, caussarumque discrimine, ac pro dissimili ratione, qua spissitudinem humores contraxerunt, eligendum sit. Ut vero in hac re aliquis ordo sequatur commodum mihi videtur eum sequi, quem Ill. FOURCROEUS admisit, Resolventia in tria genera secernens (*a*), quamquam ista non satis certis limitibus circumscripta videantur. Verum ubi tuto determinata, atque evidenter evicta non suppetunt, quid prohibet quominus, quae magna ex parte vera sunt, amplectamur, atque eam rationem, ubi manifesta nequit haberi, quae minus dubia, ac verosimilior iudicatur, sectemur? Equidem ita arbitror, ac proinde animadverto Resolventia FOURCROEUM distinguere in Aperientia, Incidentia, ac lympham Attenuantia, seu quae eandem liquant. Ad prima revocat Resolventia, quae caeteris minus efficacia lenius attenuant, leviores ex spissitudine natas congestiones discutiunt, atque ad primas vias, et organa urinarum suam praesertim actionem dirigunt. Ad secunda refert, quae paullo efficaciora validius quoque fluidas moleculas dividunt, atque ita solvunt, ut viscerum, praesertim, quae abdomine continentur, obstructiones removeant; unde Deobstruentium

---

(*a*) Op. cit. Vol. 2. pag. 101. et seq.

nomen accipiant. Ad tertia denique pertinere censet, quae istis adhuc validiora non solum horum effectus maiori efficacitate edere existimat, verum etiam lympham speciatim aggredi, eandemque inspissatam, viscosam, et concretam solvere, ac liquare.

995. Si itaque volumus iuxta eiusmodi divisionis methodum singula tradere, quae resolutioni idonea communiter iudicantur oportebit eadem ita inter se dispertire, ut cum Cel. FOURCROEO ad primum genus revocemus mitiora illa Resolventia, quae toties indicata, ac proficua esse solent, quoties in stomachi, intestinorumque vitiis, in viscerum, quae in abdomine sunt, levibus obstructionibus, in hypocondriacis ac melancolicis insultibus, in cutis affectibus, atque in aliis incipientibus chronicis malis sufficit, crassos, et tenaces humores, qui morbo caussam praebent, lenium remediorum actione tenuare, ac dimovere. Huius generis censentur e Salibus *Sulphas potassae* seu Tartarum Vitriolatum, vel Sal Polychrestum, *Nitras potassae* seu Nitrum, *Nitras potassae cum sulphate potassae* seu Sal Prunellae, *Tartritis potassae* seu Sal vegetabile, *Tartritis acidulus potassae* seu Cremor Tartari, *Tartritis Sodae* seu Sal Segnetti, ac *Murias sodae* seu Sal marinum. Salia siquidem ista, a granis decem ad scriptulum, vel ad dimidiam, aut unam drachmam, (quae etiam dosis subinde iteratur) egregie tenuant, ac resolvunt. Hinc modo per se, modo Mixturis, decoctisque addita

crebro usurpantur, modo inspissatis, aut recentibus Vegetabilium succis, vel extractis unita, (ut fit cum Robe ex baccis Sambuci, quod grate acidulum ad aliquot drachmas partite sumptum egregie resolvit) saepe consulto adhibentur. Istis quippe modis usurpata, probeque soluta apprime commodant quando in morbis etiam inflammatoriis, aegritudinis impetu iam fracto, atque ad exitum tendente expedit eius solutionem mitissimis Resolventibus, quae Antiphlogistica ideo dicuntur, opportune adiuvare. Quo quidem in casu quam utiliter, et tuto resolvant Saccharum, et Mel, ac quae ex iisdem parantur Syrupi, Hydromel, Oxymel Potionibus, et Mixturis adiuncta cuique compertum est.

996. E medicatis Aquis probantur speciatim *Aquae ferrugineo-gaseosae* rite, apteque usurpatae, sive naturales, cuiusmodi sunt Spadanae, tum Insubriae propiores e fontibus Ricobarii, et S. Mauritii, tum aliae non paucae in Italiae Provinciis non infrequentes, sive factitiae, quibus nos non sine evidenti utilitate crebro utimur. E Vegetabilibus vero praeter alia non pauca hinc illinc proposita, ac praeter Filices, qui plus minus omnes aliquatenus attenuare censentur, maiorem apud Medicos famam sunt consequutae Radices quinque Aperientes tum maiores, cum minores. Maiores audiunt Radices *Apii graveolentis* seu Apii, *Apii petroselini* seu Petroselini, *Anethi foeniculi* seu Foeniculi, *Rusci*

aculeati seu Rusci, et *Asparagi officinalis* seu Asparagi; minores autem sunt radices *Rubiae tinctorum* seu Rubiae, *Tritici repentis* seu Graminis, *Ononidis spinosae* seu Ononidis, *Eryngii campestris* seu Eryngii, et *Capparidis spinosae* seu Capparidis. Quid vero valeant speciatim decocta, aut apozemata ex iisdem parata, quae de ipsis iam variis locis tradita sunt satis superque docebunt.

997. Praestat enim vero ad Incidentia modo accedere, quae maiori praedita resolvendi virtute promptius, validiusque inspissatis, et coactis humoribus resolutis, dimotis, et discussis, eo quidem efficacius, quo solidorum actionem manifestius excutiunt, atque augent, non mediocre Medentibus auxilium largiuntur. Partim enim solvendo, partim stimulando, suamque vim exerendo non modo in stomachum, atque intestina, verum etiam in vasa cuiusque generis, aptissima sunt ad validas mutationes praestandas, ac praesertim ad efficaciter resolvendum. Hinc in omnibus casibus, quibus Aperientia opitulantur, quod ista interdum non potuerunt, facile praestant; prae ipsis in gravioribus viscerum, glandularumque obstructionibus conveniunt; in tumoribus prosunt; atque in aliis morbis opportuna sunt, qui a viscoso, crassiori, inerti, ac stagnante quovis humore nati in solidis partibus debilitatem patefaciunt, nullamque, vel insignem acrimoniam, vel pronam ad inflammationem indolem in fluidis praeseferunt. Secus enim nocerent, quemad-

mo-

modum vel non satis caute administrata, vel nimis audacter, diuque data ob nimiam irritationem, solutionemve inductam non parum nocent.

998. Huc porro revocantur a FOURCROEO, praeter *Aquam calcis*, de qua deinceps occasio erit dicendi, *Carbonas potassae* seu Alkali fixum vegetabile, *Carbonas sodae* seu Alkali fixum minerale, *Sulphas sodae* seu Sal Glauberianum, *Sulphas magnesiae* seu Sal Epsomense, *Murias ammoniacae* seu Sal Ammoniacum, atque *Acetis*, tum *potassae*, tum *sodae* seu Terra foliata, vel Tartari, vel Mineralis. Haec revera Salia, quorum dosis resolvendi caussa statuitur, si de alcalicis loquimur a quatuor granis ad scriptulum, vel dimidiam drachmam, si de caeteris a medio scriptulo ad duas usque drachmas, apta liquoris copia soluta, modo per se, modo aliis coniuncta remediis adhibita, ac pro re nata repetito intra diem data potenter incidunt, atque una ob alias una coniunctas vires, variis iam locis indicatas, eximios saepe effectus edunt. Nec simili carent virtute nonnulla Salia in Officinis medicamentariis nondum prostantia, atque ad medendum nuper a Celeber. Viris LE ROI, FOURCROEO, et PEARSONIO proposita, tum a me ipso aliquot institutis experimentis explorata. Profecto *Muriatem* sive *magnesiae* seu Sal marinum magnesiacum, sive *Calcis*, seu Sal marinum calcareum, ac *Phosphatem sodae* seu Alcali minerale phosphoratum, et *Phosphatem barytae* exiguis dosibus ubi exhibeantur,

ut alio potius, quam evacuandi modo agant tutum, ac proficuum erogare incidens, et tenuans remedium iam satis cognovimus.

999. Istis addo duo e Salibus ducta remedia nempe *Acetitim ammoniacalem* seu Spiritum Mindereri, atque Haustum, seu *Mixturam salinam* RIVERII, quae ex acido citrico, et alcali fixo Vegetabilium emergit. Huius quippe egregie tenuantes, et resolventes vires aliis etiam facultatibus coniunctas, ut opportuniori loco dicetur, nemo est inter Medicos qui ignoret, quemadmodum tenuare pariter Spiritum Mindereri peritus quilibet Artifex non inficiabitur. Etenim revera ipsum utiliter resolvere, partim stimulo suo, partim alia ratione operando, neque denegant, qui apposite observant famigeratas nimis fuisse olim eiusdem facultates a Scotiae praesertim Medicis, et nimium adhuc iisdem nonnullos credere. Sane qui valde efficax suppeditare auxilium hunc Spiritum existimant, videntur ignorare ad paucas drachmas intra diem usurpatum nulla sat manifesta suae virtutis indicia edere, tum largius, atque unciatim sumptum validos, aut singulares effectus generatim non ostendere. Quae quidem cum propria experientia didicisset Clinicus summus CULLENIUS (*a*), cum observasset interdum intra exiguum temporis spatium ad octo uncias haustum sine ullo effectu fuisse, atque una animadvertisset proprii nihil in se habere

---

(*a*) Op. cit. Part. II. Cap. VII.

eiusmodi spiritum, ac gustui ingratum esse, eius plane usum deserendum esse iudicavit: quod tamen nimium est.

1000. Occurrunt deinde hic loci commemoranda illa ex Ferro petita remedia, quae iam recensui (§. 770. et seq.) tum speciatim, quae ex Salibus Ammoniaci, et Tartari parantur; tum recensendae Aquae medicatae sive nativae, sive arte comparatae. Quae scilicet ob diversam principiorum indolem dicuntur *Aquae acidulae*, vel *calidae*, vel *frigidae*, *Aquae sulphuratae*, vel *ferrugineo sulphuratae*, *Aquae ferrugineo-compositae*, tum *Aquae* vel *muriatico-sulphuricae*, vel *Salino muriaticae*, vel *Salino-sulphurico-magnesianae*, vel *magnesiano-muriaticae*. Compertum porro cuique est quantam vim habeant eiusmodi Aquae si ad aliquot uncias quavis vice sumptae, ac pluries, iustis dein intervallis, iterum haustae diu usurpentur, dosi quotidie pedetentim aucta, donec tres, quatuor, aut ultra, ubi oporteat, librae ieiuno stomacho absumantur, iis servatis praeceptis, quae Clinici tradunt. Eos enim effectus saepe praestant, quos alia remedia non ediderunt, et graves saepe morbos tuto, atque iucunde curant.

1001. Scire praeterea expedit ad ea, quae efficaciter incidunt, iure optimo pertinere alia non pauca medicamenta, e quibus, pro varia rerum conditione, quod praesertim conveniat, Medici queant desumere. Modo siquidem utimur, ubi non sufficiant Extracta Centaureae, Cichorei, Fumariae, Taraxaci,

Sonchi, Sambuci, Cardui benedicti, Absynthii, et similium (§. 791. et seq.) aut ubi speciatim illa conveniant, quorum vis praecipua saponaceis inhaeret partibus, ad Sapones arte comparatos confugimus; quia certum est iisdem sive alcalicis, sive acidis, sive medicatis, incidendi, et resolvendi facultatem competere, quam de singulis alibi dicens exequar. Modo usurpamus utilissime eodem medendi fine vel Arnicam (§. 800.), vel Cicutam (§. 961.), quae affinibus stirpibus longe praestat. Modo resolvens, atque incidens remedium petimus a Siliquosis stirpibus, quas fuse iam recensui (§. 864., et seq.), vel ab Umbellatis (§. 858.), vel ab aliis, quas pariter proposui cum Stimulantia medicamenta expenderem (§. 840. et seq.). Modo etiam adhibemus, caeteris neglectis, Liliaceas Stirpes, atque inter eas praesertim ex *Scilla maritima*, aut ex *Colchico autumnali* petita medicamina, quae de urinam ducentibus disserens ea, qua decet, diligentia rimabor. Ista siquidem, atque alia nondum pertractata ideo dumtaxat proponebam, ut appareat, quam inter se natura, ac proprietatibus dissimilia in promptu habeat Medicina, quorum ope tenuatis, incisis, dimotis, resolutisque humoribus, ac solidarum viribus simul excussis, utilissime queat Infirmis solamen, et salutem afferre. Quare studeant diligentissime Medici, ut Incidentium speciem, quae maxime indicatur, ac prodest ex Clinices praeceptis, atque observationibus eruant, eamque opportune exhibeant,

ne secus indiscriminatim utentes hisce auxiliis quod optimum, ac solum esset proficuum praetereant, eiusque loco vel contrarium, vel alienum praescribant.

1002. Ad tertium denique Resolventium genus illa spectare censentur (§. 994.), quae tanta potentia agunt, ut non solum ex spissitudine, densitate, et coalitu congestiones, obstructiones, ac tumores inferrentem lympham solvant, ortis inde malis sublatis, verum etiam attenuent, impactamque discutiant, etsi virus syphiliticum, scrophulosum, aut aliud quodvis susceperit. Sunt vero non pauca, quibus tantam vim Medicinae Proceres adscribunt. Interea caeteris antecellere putant *Alcalica volatilia* medicamenta (§. 939 et seq.), quae iam sum exsequutus; *Aquae minerales alcalicae*; Vegetabilia, quibus utuntur Medici in syphiliticis morbis, ut opportunius dicetur; Gummi resinosa (§. 917. et seq.) iam tradita; ac quotquot praestantiora sunt Praeparata ex *Stybio*, atque *Hydrargyro*, quae in usum maxime veniunt, quaeque revera, proprio loco singillatim commemoranda, magnopere prosunt. Ea enim nisi iisdem abutatur Artifex, vel nimia dosi, vel non aptis interpositis remediis, vel gracilioribus, debilibusque, vel caeteris exhibens, qui ad tabem, phthisim, sanguinis fluxus, et scorbutum inclinant, magnas saepe aegritudines cito, et tuto sanant.

1003. Ista praecipua sunt, quae Medici resolvendo paria existere putant, suntque illa

etiam, quae eodem fine exterius Chirurghi solent imponere. Etenim apto eadem cataplasmate, aut malagmate, aut alio quovis modo excepta, atque applicita nunc relaxando, nunc stimulando, nunc solvendo suppositi haerentis, impactique humoris resolutionem promovere evidens est. Quare accidit, ut tum illa, quae paullo ante indicabam, veluti Resolventia, Chirurgia usurpet, ac generatim ipsa desumat modo ex Emollientibus, et Relaxantibus, modo ex Stimulantibus, modo ex reliquis remediorum Generibus, quae singula iam exposui; quaeque non praetermittunt qui Chirurgiam speciatim tradunt.

1004. Spissitudini vero contrarium vitium, nempe humorum vel in primis viis haerentium, vel adhuc per vasa fluentium nimiam tenuitatem ab iis natam caussis, quas Pathologi rimantur, corrigunt, eosque cohaerentes magis, crassioresque efficiunt Remedia, quae Incrassantia, vel Inspissantia, aut Ecpyctica vocantur. Eorum usum illa omnia postulant, quae iusto tenuiores humores declarant, ut ex acribus, septicis, ac venenatis quibusdam particulis, ex nutritionis defectu, ex haemorrhagiis, profusis sudoribus, ac praeter modum auctis urinarum, atque alvi egestionibus accidit. Hinc generatim iis, qui hisce morbis laborant, tum speciatim, qui in maciem, phthisim, febres lentas, diabetem, diarrhoeam, aut dysenteriam inciderunt, quam saepe mirifice subveniunt; quoties nempe, tenuitate morbosa praesente, ea Inspissantia eliguntur, quae singulari eiusdem solutionis caussae

adversantur. Quamquam enim in universum Therapeutae doceant Incrassantia desumenda esse ab eo remediorum genere, in quo mucilago eius indolis abundat, quae aqua facile solvitur, humoribusque humani corporis facile permiscetur, quaeque chylo, lymphae, ac caeteris fluidis sanguinis partibus unita opportunam tribuit spissitudinem, non omittunt tamen apposite animadvertere ad alia quandoque confugiendum esse genera auxiliorum, ut necessaria densitas humoribus reddatur. Cum enim tenuitati caussam praebeat vel laxitas fibrarum, vel earum debilitas, vel nutritionis defectus, vel humorum vitium ab acrimonia illatum, modo Adstringentia, modo Roborantia, modo Nutrientia, modo ipsa Demulcentia, aut Edulcorantia vires gerunt Incrassantium.

1005. Patet proinde ratio, ob quam ad hoc Auxiliorum genus revocare soleant Therapeutae omnia, quae suis locis iam dixi ad mox indicata genera pertinere. Cibi porro, qui maxime mucilagine abundant, ac speciatim e subacta farina confecti; (§. 156.), pulticulae, ac cremores ex Hordei, Tritici, Oryzae, aliisque Cerealium seminibus parati (§. 155. 156.), Olera magis mucilaginea, (§. 176. et seq.), emulsiones ex Oleosis Seminibus, (§. 193.), atque ipsa Olea expressa (§. 680. et seq.) huc pertinent. Ex Stirpibus etiam Asperifoliis vel parata decocta, vel educti succi ideo probantur quatenus iisdem mucilago inest. Propria vero est radicibus *Symphyti officinalis* seu Consolidae maioris, aut

Symphyti, floribus *Boraginis officinalis* seu Boraginis (cuius folia expressa succum leniter temperantem, et resolventem erogant) herbae *Pulmonariae maculatae* seu Pulmonariae, nunc in phthisi, aliisque chronicis pectoris morbis neglectae, Radici, herbae, et floribus *Anchusae officinalis* seu Buglossi, ac radicibus, et foliis *Cynoglossi officinalis*, seu Cynoglossae, dubiae, ut alibi dixi, virtutis.

1006. Praeferunt idcirco nuperiores Medici tum huic, tum reliquis mucilaginem paratam vel ex Radice Altheae, de qua satis disserui, (§. 697. 698.) vel ex *Mimosae niloticae* gummi, quod Arabicum dicitur. Hoc quippe in frustula modo oblonga, modo fere rotunda, variam magnitudinem habentia, albido flavicantia, et perlucida advectum inodorum, insipidum, cum vere gummi sit, nutriendi facultate emineat, aegre solubilia caeteris facilius subigat, medicamenta, quibus admiscetur, commode involvat, atque una sui uncia Aquae libram satis mucilagineam efficiat, usitatius reliquis est. Quam ob rem in iis casibus, in quibus alias gummi vel *Pruni cerasi*, vel *Astragali tragacanthae*, vel Amylum, vel Radix Salep, et Sagu adhibebantur (§. 168. 169.) Gummi Arabicum, modo per se solutum, modo in mucilaginem redactum adhibetur, nisi nutriendi, atque inspissandi caussa peti magis expediat rebus ex Animalibus petitis, nempe carnibus, atque iuribus meracioribus (§. 269., et seq.), gelatis seu concretis ex iisdem confectis (§. 280.), lactariis

pinguibus (§. 415.), atque ovorum albumi-
ne, et vitello, vel magis tenuitati corrigendae
propria videantur Acida, sive Vegetabilia, sive
Fossilia, Spirituosa, ac caetera, quae humo-
res cogere cum Medici existiment Coagulantia
vocant. Num iure? Sane, nisi omnia, plera-
que saltem aliis potius modis, quam coagu-
lando fluidas, solidasque partes ita afficiunt, et
corrigunt, ut necessariam densitatem humores
recuperent.

1007. Hisce traditis ad ea Artis Praesi-
dia accedo, quae aliis humorum vitiis ab
acri quolibet principio illatis, vel a quacum-
que labe acrimoniae nomine indicata profe-
ctis generali quadam virtute potissimum ob-
sistunt. Quando scilicet ex acri, aut alieno,
et nocuo aliquo principio labefactati humores
manifesto iam vitio laborant, et sanitatem
laedunt, quin ob incognitam nocentis principii
naturam, vel ob defectum remedii, quod
ipsum certo tollat, aut innoxium peculiari
vi reddat, Medentibus adhuc liceat singula-
rem exequi curationem, illa Auxilia indican-
tur, ac non mediocre emolumentum afferunt,
quae Demulcentia, subinde Edulcorantia, su-
binde Temperantia, subinde etiam Depuran-
tia iamdiu vocari consueverunt. Quae quidem
eo magis commodant, quod revera multipli-
cia illa vitia non satis natura, proximisque
caussis innotescant, aut, si innotescant, vix
aliqua praesens, aut absolutorium remedium
agnoscant, ac tunc etiam plerumque exigant
eorum una medicaminum usum, quae ipsius

singularis remedii actioni viam parent, vel motus salutares adiuvent. Ubi vero propriae medicinae locus non est, Demulcentia, quatenus partes muniunt contra vim nocui principii humoribus admixti, aut eiusdem stimulum retundunt, aliisve modis nocuam qualitatem immutant, aut acres involvunt particulas, aut earum e corpore exitum promovent, adeo utilia fiunt, ut ortis iam vitiis interdum medeantur, aut saltem, eorum incremento prohibito, nova, ac peiora mala efficaciter arceant.

1008. Demulcentium proinde usus valde probatus, usitatissimusque Clinicis est, qui norunt iuxta varium, quod tuto assequi, aut coniicere potuerunt, in humoribus vitium, (quod modo simplex, modo non unum subest), opportuniora auxilia ex uno potius, quam altero Medicaminum genere desumere, quae Demulcentia esse queant, atque Aegris maxime subvenire. Quod enim multiplicis vitii, quo tentantur humores, abdita natura non revelaverat, id Proceres Artis observatione, atque usu didicerunt. Eiusmodi scilicet adiuti subsidio reperere ad demulcendum pro vario caussarum, aliarumve rerum discrimine nunc quae diluunt, nunc quae aperiunt, nunc quae incidunt, aut saponis proxima vi resolvunt, nunc quae bilem speciatim tenuant, nunc quae inspissando involvunt, nunc alia medicamenta convenire.

1009. Caussa idcirco patet cuique ob quam ex istis auxiliorum generibus Demul-

centia passim desumantur, tum speciatim demulcendi fine usurpentur modo singula mucilaginea, atque oleosa paullo ante indicata, tum semina, quae mite oleum expressione erogant, ipsaque educta Olea (§. 680.), modo Saccharum, Mel, et Fructus dulces; (§. 191. et seq.) modo Olera aquosa, blanda, et temperantia (§. 178.), modo decocta, atque Alimenta quaelibet ex Cerealium seminibus petita (§. 155. et seq.), modo alia quae magis profutura videantur. Scire enim expedit hisce interdum anteponenda esse varia medicata iura Animalium, (§. 270. et seq.), nisi etiam carnes, aut succi expediant, quorum iam memini (§. 253.); interdum Ova (§. 418. et seq.); interdum Lac integrum, vel ipsum dilutum (§. 411. et seq.), maximeque Serum, quod demulcendo antecellit plerisque (§. 325. et seq.); interdum hisce relictis, subinde etiam una usurpatis, quaedam Vegetabilia, quae ad Compositas semiflosculosas pertinent.

1010. Neminem siquidem latet *Cychorio intybo* seu Cichoreo, sive tenera folia acetarium praestent, sive radices praebeant decoctum, sive e tota stirpe expressus succus vel recens, vel inspissatus in extractum usui inserviat, inesse vim, quae non solum, ut resolvens, atque incidens, verum etiam, ut temperans, ac demulcens obstructis, hypocondriacis, et cachecticis subveniat, ac febre, aestu, atque acrimonia vexatis prospiciat. Neminem pariter latet non absimiles effectus tum a *Cichorio endivia* seu Endivia Medicos

praesertim nostrates sibi polliceri, etsi, minus amara Cichoreo, debilior virtute ab aliis iudicetur; tum a *Leontodone Taraxaco* seu Taraxaco, e cuius radicibus succum vel recens expressum, ab una uncia ad duas, tresve quotidie diebus aliquot sumptum, vel Extractum Taraxaci ex coctis radicibus partite ad unam unciam, vel sesquialteram intra diem usurpatum ab obstructis, ictericis, hydropicis, et cutis, pectoris, aliarumque partium chronicis morbis obnoxiis iure Medici non parvi faciunt. Latet denique neminem folia tum *Lactucae sativae* seu Lactucae, si tamen stomachus eorum usum ferat, tum *Sonchi oleracei* seu Sonchi, sive in acetariis, sive in succo sumantur, dum leniter resolvunt, incidunt, atque abstergunt, temperare, et demulcere; etsi hodie communiter medendi caussa negligantur: quemadmodum negligi solent decocta ex radicibus *Scorzonerae humilis* seu Scorzonerae, *Tragopogonis pratensis* seu Tragopogi, ac similium, quae iam (§. 184.) indicata fuerunt.

1011. Praecipua haec sunt Demulcentia, quibus vitia humorum, quae vel nondum natura sunt comperta, vel propriam curationis methodum adhuc desiderant, corrigere, aut eorum saltem effectus prohibere Medici tentant. Nunc autem ordo postulat, ut iisdem addam quae cognitum humorum vitium, nempe morborum acorem impediunt, ne evolvatur, atque evolutum emendant. Eiusmodi medicamenta Absorbentia, vel Antacida dicuntur,

Utrum vero evolutus acor in primis dumtaxat viis occurrat, an etiam in sanguine, ac proinde, num intra stomachum circumscribi debeat actio horum Remediorum, an ultra extendi, hic loci solet disputari. Verum etsi credam Nuperiorum observata satis evincere, acidum posse in sanguinem cum chylo recipi, receptumque, ubi non omne absorbeatur, inficere facile humores, qui per vasa fluunt, vel e sanguine secedunt; attamen existimo adeo raro eiusmodi vitium occurrere, ut in unius fere acoris in stomacho, atque intestinis explicati correctione Absorbentium usus limitandus mihi videatur. Quanta vero ab Acido morboso vel in primis viis solum haerente immineant mala, quaeque ipsum praesto esse significent, nostrum tradere non est. Nostra siquidem interest novisse, quae Acidum ipsum prohibere, aut absorbere certius, atque ocyus queant. Non enim singula illa, quae olim vel probari, vel adhiberi consueverunt, ad utrumque assequendum accommodata censentur.

1012. Profecto vel solis Absorbentibus, quibus Acidum corrigimus, vel solo victu ex Animalibus cibis petito ab acore humores tueri posse, temere quidam generatim affirmant. Nam, praeterquamquod carnes, nisi facile transeant, stomacho acorem ipsae quoque tribuere possunt, atque iura imprimis facile acescunt, nec Piscium quorundam, ac Crustaceorum usus semper commodat, aut sufficit, nec Ovi Vitello, aliisve alimentis locus

saepe est, Esculenta animalia, ipsaque Absorbentia acori praecavendo ideo saepe, aut parum, aut nihil idonea futura caussae ipsae morbosi acoris satis indicant, atque una observationes evincunt. Cum enim docentibus Pathologis modo virium languori, modo stomachi, intestinorum, aliorumque viscerum robori fracto, modo nervorum debilitati, modo retardatae, ac multimodis laesae ciborum digestioni, aut propulsioni ex defectu stimuli, ex bilis inertia, aut inefficacitate, aliisve caussis, modo boni succi, et sanguinis inopiae, modo acescentium, vel acidarum rerum abusui morbosus acor vel in stomacho, vel alibi tribuendus sit, apprime eruitur quî fiat, ut ad eius evolutionem prohibendam nunc Roborantia, nunc lenia Adstringentia, nunc Stimulantia, nunc Nutrientia, nunc alia necessaria sint genera remediorum. Hinc rationem facile reddas cur ad acescentem acrimoniam humorum, qui in stomacho, atque intestinis adsunt, vel in circulum aguntur, impediendam Aqua pura, et frigida copiose hausta, Balnea frigida, variae exercitationis, ac gestationis species, Amara, Aromatica, Spirituosa, imo subinde Vina meraciora, subinde etiam Acida ipsa praesertim Fossilia, toties accommodatissima extiterint.

1013. Quo vero non omnia ad evolutum iam acorem corrigendum, et noxios eius removendo seffectus proposita, aut alias adhibita, proficua, ac necessaria non censeam ipsa re-

mediorum ratio postulat. Et re quidem vera Ossa alias valde probata Animalium, ac speciatim de Corde Cervi, ipsum Cornu Cervi, Ebur, atque Ossicula quorundam Cyprinorum, aliorumque Piscium etiam calcinata vere Absorbentia ideo dici nequeunt, quia, ut Ill. FOURCROEUS observat, Acidum primarum viarum *Acidum phosphoricum* seiungere non potest a *calce*, quam illud postea secum abripiat. Quae gluten habent ex eo item ad absorbendum non valent, quia ipsum impedit ne Acidum in caeteras partes operetur. Salia quaedam mediam naturam habentia, alias usurpata, non expediunt, quia dum acidum stomachi alcalinae eorum parti unitur, extricatur tunc acidum aliud, antea irretitum, quod in stomacho liberum manet. Item Creta, Lapides Cancrorum, testae Ovorum, Conchylia, Margaritae, aliaque huius generis, quae uno *Carbonatis calcarei* nomine indicantur, minus opportuna existunt, quia, eodem animadvertente FOURCROEO, Acidum in stomacho praesens dum eiusdem carbonatis acidum aggreditur, atque in Gas acidum carbonicum convertit, cardialgiam, dolores, inflationes, aliasve molestias suscitat. Similiter Corallia rubra, et alba, ad Carbonatem calcareum pariter relata, utpote iisdem incommodis obnoxia, ibi etiam exoleverunt, ubi, tamquam superflua, nondum erant neglecta. Terrae calcareae, aliaeque alibi indicatae ideo non conveniunt, quia vel satis acidum non absorbent, vel insolutae partim manent, aut etiam

in massas coalescunt, et pondere officiunt; Sapo denique alcalicus olim magni factus ad corrigendum Acidum ideo praesertim deserendus est, quia „ peius, inquit Ill. GREGO„ RYUS (*a*), incommodum in se habet, scilicet „ qui, dum acorem ventriculi corrigit, multum „ oleum crassum, et fortasse rancidum, in „ eo relinquit „.

1014. Ergo non sine caussa crediderim omnium Absorbentium materiem redigendam esse ad illa, quae apte divisa, diluta, paullatim sumpta, nec diu protracta acidum facile abripiunt, absorbent, atque in Sal mediae indolis convertunt, quod, cum alvo solvendae par evadat, mala etiam promptius, certiusque mitigat, aut si caussa tolli queat, omnino removet, quae morbosus acor, praesertim in Infantibus, Pueris, gracilioribus Viris, atque in Feminis procreat, quae chlorosi detinentur, vel uterum gerunt, ne dicam utilitates caeteras, quas Aegris aliis, maximeque calculo laborantibus affert. Porro tria sunt, quae ad absorbendum acidum retinenda mihi videntur, nempe *Salia alcalica*, quae reliquis anteferenda putant plerique Medicorum quando, dum acor corrigitur, una interest validiori stimulo fibras afficere, ut alia commoda Infirmis promanent; *Aqua calcis*, quae aliis etiam usibus ob varias vires, suis locis expendendas dicata ad uncias aliquot hausta, dum acidum egre-

---

(*a*) Op. cit. n. 1312.

egregie absorbet, et natis inde morbis subvenit, reliquis Absorbentibus commodior a nonnullis censetur quando lactis in Infantibus abunde, et nimis coacti indicia suppetunt; tum demum *Magnesia* seu quae in calcem redacta, aut pura est. Quamquam enim *Carbonas magnesiae* seu Magnesia alba, vel e Nitro parata, vel e Sale Epsomico educta, quae gas nondum amiserit, alias valde probaretur, atque a non paucis adhuc nullis obnoxia vitiis habeatur, quavis vice ab uno scriptulo ad unam, alteramve drachmam sumpta, ei tamen quae gastico principio spoliata, usta, aut pura audit, seu proprie Magnesia est, a praestantioribus Clinicis praeferri solet. Ista siquidem minori etiam dosi data dum acidum alicubi haerens involvit, absorbet, ac cum eo in Sal mediae indolis mutatur, (quod alvo laxandae, subinde urinae ciendae, aut sudori movendo, aliisve Salium mediorum effectibus praestandis par remedium evadit), ideo alteri praestat quia, nullo evoluto aere, inflationes nec auget, nec movet, ac validius acidum abripit, ipsamque alvum efficacius resolvit. Ob haec proinde commoda aliis coniuncta viribus, quas alibi exequar, iure Magnesia caeteris Absorbentibus hodie anteponitur.

1015. Num vero debeam Antacidis subiungere, ut plerique solent, illa quoque medicamenta, quae humorum acrimoniam corrigant, quam alcalinam, vel alcalescentem cum BOERHAAVIO quidam Pathologorum adhuc admittunt, non anceps haeream. Etenim hoc

fine indicare remedia, quae alcali adversentur supervacaneum mihi plane videtur. Interim cum interdum gravia, ac funesta mala oporteat avertere, aut removere, quae virus sumptum infert alcalicam habens naturam, aut forte alcalinorum abusus intulit, abs re non erit monuisse hisce damnis generatim occurrere, ac morbis inde natis mederi singula illa pluries indicata, quae vel acida sunt, vel facile acescunt.

CAPUT XII.

De Antisepticis.

1016. Superest illud Alterantium remediorum genus, quo in humano corpore futuram praecavere putredinem, vel iam se evolventem corrigere student, qui salutarem Artem profitentur. Quamquam enim verae, absolutaeque putredini humanum corpus tradi nequeat, vita superstite, ac sanguini, cuique humori, aliisve partibus, elementis iam putredine corruptis, liquatis, et resolutis, ut quandoque evenit, pristinam restituere integritatem nequeat Medicina, atque ineluctabilem aegri interitum prohibere; quaecumque tamen caussae naturalem corporis ad putrescendum proclivitatem augent, ut vitium putrescentis, aut putridae acrimoniae nomine a Pathologis indicatum succedat, aut imperfecta, ut aliis arridet, sequatur putredo, singulae auxilia requirunt, atque utilissime admittunt, quae futura mala, et quidem multa, ac perniciosa, avertant, vel iam evoluta removeant sive in aliqua parte, sive in toto corpore labes, aut putredo consistat. Non enim solum hoc vitium in humoribus, ac recrementis stomachi, atque intestinorum spectatur, nec tantum in extimis corporis partibus occurrit, nec ex solis primis viis, aut locis cuti propioribus ipsum

ad sanguinem per vasa adhuc fluentem propagatur, sed in hoc etiam proxime oriri, atque inde ad singulas corporis sedes extendi summo sanitatis detrimento, ac vitae discrimine Medici docent, nisi tot erumpentibus, evolutisve malis apta praesidia succurrant, nempe illa, quae sive putredinem arceant, sive ei se evolventi resistant, aut partim evolutam emendent, Antiseptica dicuntur.

1017. Quemadmodum vero non una esse solet caussa, ob quam nimiam, nocuam, perniciosamque indolem in veram putredinem sensim abeuntem humani corporis partes suscipiunt; ita non unum occurrit genus remediorum, quae ad Antiseptica pertineant. Profecto, etsi non diffitear intimam, propioremque rationem, ob quam putredo vita superstite evolvi incipit, non satis esse perspectam; etsi fatear quaedam eiusdem iam se evolventis, aut explicatae indicia ambigua ideo praesertim esse, quia foetet interdum oris halitus, foetet sudor, foetent reliquiae cibi et potus, atque ulcera foetent, quin ullum subsit putredinis periculum; etsi rursus admittam non omnes caussas, quae putredinem movent, nobis fortasse innotescere; contendo nihilominus non paucas eiusmodi caussarum certis signis, phoenomenis, atque effectibus satis esse compertas, easque rectissime a Pathologis rimari. Quis enim est qui modo ab abusu cibi ex animalibus, maximeque corruptis desumpti, modo a venenis, modo ab aere non renovato, respiratione corrupto, pu-

tridis halitibus, exhalationibusque onusto, aliave putrida mephiti, aut peste vitiato, modo ab insigni virium debilitate, modo a nimio calore, modo ab ipsius motus vel excessu, vel defectu ipsam concitari, atque intendi putredinem non affirmabit, cum ista plane sint tutissimis, ac passim in morbis institutis observationibus comperta?

1018. Quae cum ita sint, cumque apprime arguant dissimilitudinem caussarum putredinem inferentium, arguunt quoque evidentissime eos hallucinari, qui Antiseptica ex uno Auxiliorum genere desumere perpetuo solent, caussarum neglecto discrimine, aut unam tantum in iisdem agendi rationem spectare solent, quin imo non obscure arguunt a veritate plurimum abludere eorum sententiam, qui vim, atque usum Antisepticorum in morbis ab effectibus metiuntur, quos eadem extra humanum corpus tentata ad arcendam, corrigendamve putredinem, nempe animalium humoribus aut carnibus vel integris, vel putrescentibus, aut iam corruptis addita facile edunt. Quamquam enim non pauca eorum, quae in experimentis a PRINGLAEO, MACBROIDIO, ALEXANDRO, BOISSIEO, COLLINIO, a me ipso, atque ab aliis institutis Antiseptica apparuerunt, non dissimili careant virtute, atque aegris, qui putridis malis laborant, eximie subveniant; attamen ista nec perpetuo eiusmodi sunt, nec in omni casu conveniunt, nec pari agunt promptitudine, et securitate, suntque pariter alia, quae inef-

ficacia existant, aut etiam contraria ratione operentur.

1019. Recte proinde agunt Therapeutae dum eadem Antiseptica ita expendunt, ut appareat, varia eorum genera praesto esse, quorum unumquodque non indiscriminatim, at prudenter, quando speciatim conveniat, ab Artifice adhibitum aegris, qui ad putridos morbos inclinant, aut iisdem corripiuntur, efficaciter, ac tuto auxilietur; sive exterius, sive interius, sive utroque modo, quemadmodum saepe usu venit, adhibeatur. Iamdiu siquidem observatio monuit Medicos in morbis putridis aut nullo, aut longe minori, aut exiguo saltem commodo Antiseptica intus usurpari, nisi cum eorum actione ab extrinseco quaedam remedia, aut res aliae adhibitae, quae adversantur putredini, una conspirent; quemadmodum eadem observatio monuit Chirurgos ulcerum putridam indolem habentium, gangraenae, ac similium malorum curationem vel aegre contingere, vel perperam suscipi Antisepticis impositis, nisi eadem facultate praedita medicamenta eodem tempore intus diu, ac largiter insumantur.

1020. Caeterum quanti conferant ad putredinem arcendam, eiusque progressus inhibendos res bene multae apte administratae, ac speciatim optimus aeris vulgaris indesinenter renovati, et puri, maximeque oxyginii usus, eiusdem aeris moderatum frigus, corporis, cubilis, vestium, et domiciliorum mundities, appositus ciborum, ac praesertim vegetabi-

lium delectus, fructus horaei, atque inter eos, qui grate acescunt, et succo turgent, saccharum, et mel, vinum, zythum, atque alia huius generis, non est cur dicam cum iam de singulis satis dixerim expendens rerum non naturalium usum in secunda, atque in adversa valetudine. Ob quam sane caussam non tradam quanti pariter adversus putredinem valeant Acetum vel simplex, vel medicatum, Maltum, Aquae acidulae, Succi citri, aurantii, limonii, ribesii, ac similium, atque ipsa imprimis Acida fossilia potionibus modo ad gratum, modo ad validiorem acorem addita, cum de istis quoque egregie antisepticis remediis satis eo loco disseruerim.

1021. Non ideo vero existimandum est cum CULLENIO in febribus putridis Acida fossilia minus convenire, quia animalibus humoribus intime nequeunt admisceri, aut abunde assumi; nam, praeterquamquod apte diluta opportuna quantitate usurpari possunt, atque in sanguinem veniunt, egregie sane prodesse, ac saepe caeteris Acidis antecellere experientia apprime compertum est, quae eadem ad potentissima Antiseptica pertinere declarat, etiam si monstraverit, revera cedere Acidis Vegetabilibus in Scorbuto curando, ac cedere Vino, Spirituosis liquoribus, atque Alcoholi, quando, quae calefaciunt, excitant, ac motus intendunt, Antiseptica conveniunt. In hoc quippe casu, maximeque debilitate, aut nervorum languore praesente Vinum optimum magni faciunt Clinici, nec ipsum ne-

gligunt Chirurghi exterius applicitum, etsi generatim Alcohol crebrius adhibeant. Porro quod ad *Alcohol Aqueum* attinet seu Spiritum vini non rectificatum sive ex eo quod excitet, sive roboret, sive stimulet, sive alio agat modo, prudenter assumptum, additumve remediis aliis arcere putredinem, quae a motus, viriumque defectu pendeat, eiusque progressus impedire, quod secus noceret ubi stimulus officit, ac putredinem promovet, compertissimum est.

1022. Quod quidem valet de externo usu tum ipsius Spiritus vini, tum Spirituum destillatorum, tum praesertim Spiritus Terebinthinae; quibus in putridis ulceribus, in nimia, aut prava suppuratione, atque in gangraena nimis crebro quidam Chirurgorum utuntur. Qui enim indiscriminatim in ipsis ulceribus, ac gangraenis putredini resistere istis liquoribus student, videntur ignorare eosdem vix antisepticis viribus prodesse, ac potius (quod verisimile Ill. GREGORYUS (*a*) censuit) stimulantibus, „quae vel actionem iam deficientem vasorum, quae sanguinem vehunt, renovet, „atque intendat, vel inflammationem, et „bonam suppurationem ad marginem sanae „carnis efficiat, quae partes iam putridas, „atque corruptas a sanis separet, morbum„que ulterius serpere impediat.

(*a*) Op. cit. n. 1333.

1023. Pari iure si quando stimulus conferat, excussis viribus, aucto calore, ac solidis partibus extimulatis ad prohibendam putredinem, vel ad corrupta iam loca ab ea abstergenda utilia erunt, ac commodissima Stimulantia illa remedia, quae singillatim indicata sunt (§. 840. et seq.), ac speciatim quae extra ipsum etiam humanum corpus Antiseptica monstrantur. Aromatica, gummi resinosa, balsamica, et volatilia medicamenta ad eiusmodi genus pertinent, atque inter ea quidem Camphora antecellit. Nam ne dicam quantam opem eadem praestet intus adhibita in putridis, ac nervosis febribus, non minus insigne afferre solet Chirurgis auxilium in putridis, sinuosis, fungosis, antiquis, atque in gangraenam, vel in cancrum tendentibus ulcerationibus si modo pulveris instar inspersa, modo mucilagine subacta, modo apta ratione rebus aliis excepta prudenter imponatur. Haec quippe ulcera a varia humorum labe orta, putredine cohibita, et pure bonae indolis concitato, praesertim eodem tempore interius usurpata, quam feliciter Camphora sustulerit BURSERII, COLLINII, FLAIANI, aliorumque experimenta luculentissime monstrarunt.

1024. Num vero inter Stimulantia Antiseptica enumerandae quoque sint Siliquosae stirpes ex eo, quod stimulo maxime suo, et Scorbuticis, et putrescenti humorum vitio obnoxiis subveniant, vel potius istis succurrant, non secus ac quaedam evacuantia, corruptas particulas ad vias urinae, aut cutis

amandando, unde prodeant, nostra parum refert novisse quando scimus, Stirpes eiusmodi pro vario caussarum discrimine suum quoque locum inter Antiseptica iure sibi vindicare. Neque interest novisse num stimulando potius, quam aliter operando antisepticam suam vim in morbis exerant *Arnicae montanae* flores, ac praesertim eius radix, quam (§. 800.) ad praestantiora adversus putredinem auxilia pertinere multis innixus periculis arbitror, vel *Aristolochiae serpentariae virginianae* radix, quam in morbis putridis utilissimam passim experior, vel *Violae ipecacuanhae* radix, quam exiguis dosibus crebro iteratis exhibitam, quin vomitum moveret, longa experimentorum serie, alibi tradenda, decem ab hinc annis in putridis morbis praestantissimam reperi, quando non ignoramus ista pollere eximia antiseptica facultate, qua floribus *Anthemis nobilis*, et *Matricariae chamomillae*, radicibus *Valerianae sylvestris*, et *Dorsteniae contraiervae* seu Contraiervae fragrantis et subamarae, alias in nervosis, putridisque febribus nimium factae, ac Myrrhae, Aloe, Croco, et similibus, alibi expendendis, hodie anteponantur.

1025. Utrum praeterea utilitas, quam sinuosis, corruptis, putridisque ulceribus illinito gastrico succo ex Animalibus, maxime Carnivoris, sumpto pluries percepi, quamque Cel. Viri IURINIUS, TOGGIA, aliique eum diligenter adhibentes se accepisse ultro testati sunt, a stimulo, quem in se habet humor

iste, an ab antiseptica, an ab alia agendi ratione deducatur perinde mihi est. Satis enim mihi fuit, de eo disserenti (*a*) accuratissimis, et candide revelatis observationibus demonstrasse, succum illum eam, quam in se habet ab Ill. SPALLANZANIO iam evictam, antisepticam facultatem, retinere quoque, atque utiliter exerere ad humani corporis putrida ulcera curanda traductum, etsi neque alias affirmaverim, neque nunc contendam in omni casu convenire, aut caeteris Artis auxiliis, nisi aliqua caussa, aut necessaria mutatio remediorum, aut mali indoles eum postulet, sufficì oportere.

1026. Aliud autem Antisepticorum genus Adstringentia, et Roborantia constituunt. Nam illa, etsi adversus putredinem minus apta a plerisque nunc iudicentur, quatenus tamen laxitati medentur, et cohoesione restituta, servata, et aucta humorum integritatati prospiciunt, unam ex caussis, quae putredinem adducunt, evidenter arcent, imo ei se evolventi fraenum iniiciunt. Praesertim vero cum nonnulla ob alia principia queant corruptioni resistere, atque humores peculiari virtute corrigere. Roborantia vero ad inhibendam, corrigendamve putredinem maxime valent, quamquam non eo prodesse videantur modo, quo extra corpus fluidas, solidasque animalium partes adhuc integras a corruptione

---

(*a*) Ricerche sulla Nat. ec. del Sugo gastrico.

tuentur, corruptasve emendant. Quod quidem ex eo tutius deduco, quod viderim in illis experimentis quaedam Roborantia, ut singulari loco dicam, Peruviani corticis pari ratione adhibiti vires aemulari, attingere, imo interdum superare, quod de Arnica inprimis verum est, et nihilominus eidem intus, exteriusve in morborum curationibus usurpata antiseptica virtute concedere.

1027. Est porro idem Cortex eximium, validissimumque Antisepticum medicamentum in febribus, aliisve morbis putridis, sive internis, sive externis, ubi maxime a virium languore, ac solidorum debilitate, et vitio putredo oriatur, nec valida urgeat febris, nec sanguinis copia, aut nimia densitas humorum adsit, nec aliunde ad putrescendum pronitas aliis indigens auxiliis nascatur. Hinc in gangraena internarum partium, atque in externa vel praesenti, vel instante, nisi singularis eius indoles, et caussa aliud remedium requirant, mirifice prodest, dummodo liberaliter imponatur, atque una intus crebro, et largiter usurpetur. In vulneribus similiter, ubi expediat pus movere, vel gangraenam arcere, atque orta ulcera putrida, foetida, tetram saniem fundentia, sinuosa, et maligna corrigere, utroque item modo administratus magnam opem praestat. In cancro denique ulcerato, atque in ossium carie idem Cortex, quatenus utriusque teterrimi morbi progressus saepe inhibet, aut retardat, corruptarum partium a sanis secessionem adiuvat, atque istas

ab illarum viru tuetur, insigne praesidium largitur.

1028. Sales vero quod respicit, dicam cum Cel. GREGORYO (a) „ *alcalinos*, et qui-„ dem omnes alios Sales *neutros* terreos, et „ metallicos, quamvis plerique eorum, vel „ fortasse omnes, extra corpus ita adhiberi „ possint, cumque variis rebus putrescentibus „ ita misceri, ut putredinem earum satis effi-„ caciter impediant, parum apta remedia, „ videntur, ut hoc consilio in vivo corpore „ adhibeantur. Imprimis quia tantum eorum „ assumi nequit, quantum per mixturam che-„ micam cum tanta mole, ac corpus huma-„ num est, id praestaret; tum quia nonnulli „ ex efficacissimis eorum, parce admixti, vi-„ dentur potius putredinem promovere; tum „ demum quia multi eorum corpus nimium „ excitant, et calefaciunt, et sitim intendunt; „ et omnes fortasse sanguinem, aliosque hu-„ mores nimis attenuant, et nimis acres red-„ dunt. Caeterum Magnesia calcinata sive per se, sive Cortici Peruviano, aliisve remediis adiuncta, egregie antiseptica est, tum Aqua Calcis eam, quam extra corpus patefacit ad putredinem praecavendam, corrigendamve efficacitatem, in eo etiam satis ostendit. Ea siquidem exterius vel per se, vel cum aliis remediis adhibita, dum abstergit, discutit, atque exsiccat, putridas fistulas

---

(a) Op. cit. n. 1329.

eluit, et corrigit, ambusta a corruptione tuetur, ulcerum proserpentium progressus coercet, eorum malignitati resistit, ac gangraenam avertit.

1029. Sicuti denique spectato caussarum putredinem promoventium discrimine accidit, ut Sedantia inter Antiseptica debeant recenseri, mirum non erit si eiusmodi interdum fiant Sopientia, ac maxime si Opium intus datum ex Ill. POTII observatione, quam in duobus aegris ipse potui confirmare, sive mitigata, vel sublata irritatione, sive alio incognito modo unicum, atque eximium auxilium sit in ea valde dolenti, ac singulari gangraenae specie, quae a digitis pedum, maxime in debilibus, et senibus, incipiens paullatim ad totum pedem, atque ad tibiam propagatur, ac nisi protinus ei Opium subveniat, certam perniciem infert.

1030. Caeterum quae speciatim Antiseptica, quoquo modo in quovis casu, exterius adhibenda sint, singillatim, ac fuse tradunt Chirurgi cum de ulceribus, gangraena, ac cancro disserunt; in quibus tamen solent nonnunquam nihil omnia auxilia proficere.

ERRATA CORRIGE

Pag.	lin.		
50	6	corporis	corpori
86	21	metallins	metallis
89	17	argentaeum	argenteum
192	31	exsiccatum	exsiccatus
216	11	*uve ursi*	*uvae ursi*
261	32	censuisse	consuevisse
282	13	Serabridis	Scabridis
401	15	earum	earumque
403	10	eadem	eodem
489	22	succedant?	succedat?